www.e-rara.ch

Xenophontis philosophi et historici clarissimi Opera, quae quidem Graece extant, omnia

Xenophon

Basileae, anno 1551

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-637

Tomus primus

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

Xenophontis

PHILOSOPHI ET HISTORICI CLARISSIMI OPERA, QVAE QVIDEM Græcè extant, omnia, partim iam olim, partim nũc primùm, hominum doctiſsimorum diligentia, in latinam linguam cõuerſa, atq; nunc poſtremũ per Seb. Caſtalionem de integro, magno ſtudioſorum compendio, recognita. Quorum elenchum uerſa pagella reperies.



B c VII 487

Cum Imperatoriæ Maieſt. priuilegio ad annos quinque.

BASILEAE,
apud Iſingrinium, anno
1551.

41.609 Haus.
Nördlin.-W.
Katalog

Operum Xenophontis elenchus.

TOMVS PRIMVS HABET,

De pædia Cyri Persarum regis, lib. VIII. pag. 1
Interprete Francisco Philelpho.
De Cyri minoris expeditione, lib. VII. 309
Romulo Amasæo.
De rebus Græcorum, lib. VII. 564
Bilibaldo Pirckhemero.

TOMVS SECVNDVS.

De repub. & legibus Lacedæmoniorum. pag. 1
De Agesilai regis Laced. laudibus oratio. 24
Francisco Philelpho.
De factis & dictis Socratis, lib. IIII. 56
Bessarione Cardinale.
Apologia pro Socrate. 194
Leonardo Aretino.
De uenatione. 203
Omnibono Leoniceno.
Oeconomicus. 240
Iacobo Lodoico Strebæo.
Hieron siue Tyrannus 308
Eras. Roterodamo.
De re equestri. 360
Ioachimo Camerario.
Athenienſium politia. 423
Sebastiano Castalione.
ACCESSERVNT his nunc primùm à Ioan ne Ribitto uersi,
Hipparchicus. 335
Conuiuium. 387
Pori, siue de uectigalibus, 435

Mich. Isingrinius Lectori S.



ENOPHONTEM Socratis discipulũ Musam Atticam ob singularem eloquentiam nuncupatũ, si quis post luculentissimum M. T. Cic. & Fabñ Quintil. testimonium laudare instituit, is ceratis ope Dædalea Nititur pennis (ut de Pindaro canebat Horatius) uitreo daturus Nomina ponto. Quo fit, ut nostrorum etiam hominũ de tanto scriptore calculum superuacaneum facilè iudicem, tantùm abest ut ego meum addere uelim. Illud unum dixisse uolui, me nescio quo fato mirificè erga hunc autorem semper fuisse affectum: in quem cùm primò inciderem, singularem eius ac diuinã propè ingeñ uim plurimũ admirabar: cui etsi magnã natura facultatem dedit, illum tamen in dicendo nunq̃ non putaui deum. Laudent alñ Thucydidis uix imitandam breuitatẽ, Herodoti candorem, Demosthenis uim & grauitatem, Lysiæ elegantiam, & Isocratis suauitatem: ego uerò has uirtutes omnes cùm in hoc uno inuenio, hunc eundem in tantorum Græciæ procerum domicilio, & doctrina & lingua principem rectè iudico: quippe qui magnarũ artium scientiam egregiè calluerit, atq; in utraq; philosophia usqueadeo feliciter uersatus sit, ut postquàm ei inter oratores primas dederis, inter philosophos quoque non postremas iure occupare possit: quorum præceptionibus non intincta modò, sed referta eius scripta cernimus. Collegi itaque huius præstantissimi autoris scripta omnia, quotquot de græco in latinũ conuersa inuenire potui: non pauca quoq; transferri curaui, ratus uel hac noua accessione me nõ minimam apud æquos bonosq; lectores gratiam initurum, cùm propter uariam rerum cognitionem, tum propter argumentorũ admirandam raritatem: equitum enim instruendorũ, quin & equorum alendorũ rationem, ut reliqua interim taceã, nullos inuenias qui tractauerint unquam, paucos uerò qui uel leuiter attigerint. Xenophon uerò usqueadeo dilucidè, ornatè, & uariè in hoc negocio uersatur, ut facilè intelligas illum uerè eloquẽtem fuisse, qui ad id quodcũq; docuit (ut Cicero de præ

stantissimo oratore ait) orationē suam accōmodare potuit. Quapropter mirabatur Quintil. huius egregij uiri inaffectatam eloquentiam, quam eg- præter Cæsarem & Ouidiū, nescio si quisquam alius latino penicillo adumbrare possit. Cuperem itaque iuuentutem nostram græcis autoribus impensius operam nauare, à quibus ceu fontibus omnia sua Latinos mutuasse deprehendimus, & in primis Cicero: cuius non ieiunam tantùm & frigidam cutem, ut plurimi nostro tempore, sed neruos, ossa, & sanguinem, ac solidum denique corpus scribendo repræsentarent, si græcos scriptores, iuxta Horatij præceptum, noctura diurnaq; manu uersare non dedignarentur.

Vale, & fruere.

HISTORIARVM RE-

RVMQVE MEMORABILIVM IN SEQVEN

tes Xenophontis libros Index. Prior uerò nume rus tomum, secundus paginam indicat.


Abradatis mira inuentio machinarū. to.1. fol.195
Abradataspugnans cōtra Aegyptios occiditur to.1.220
Abradatas lugetur & sepelitur to.1.229
Adolescētes quomodo instituat Lycurgus to.2.3
Admonitio nulla ex ignauo fortem facere potest. to.1.105
Adulteri cur interficiātur. to.1.88
Aedificandi ratio t.2.144
Aegyptiorū in bellis ordo to.1.207
Aegyptiorum cum Persis conflictus to.1.221
Aegyptij ad Cyrum deficiunt to.1.223
Agamemnon uenerabilis ab Homero appellatus. to.2.125
Agamemnon populorū pastor dictus to.2.127
Agesilai genus to.2.24
Agesilaus in regē eligitur to.2.25
Agesilaus cum fratre Leotychide de regno disceptat to.1.640
Agesilaus copias parat in Persas to.2.25
Agesilai clementia in captiuos to.2.28
Agesilai exercitium apud Ephesum Ibid.
Agesilaus superat Tyssaphernem to.2.29
Agesilaus uulnerat. to.2.35
Agesilai conflictus cū Thebanis Ibid.
Agesilai comitas to.2.47
Agesilai temperantia to. 2.48
Agesilai cum Persarū rege antithesis to.2.49
Agesilaus Athenas ac Piræum capit to.1.679
Agesilaus Acarnanū pecora & mancipia prædat. to.1.684
Agesilaus uirtutis exemplum to.2.50
Agesilai uirtutū summa to.2.51
Agesilaus noluit statuam sibi erigi to.2.52
Agesipolis deorū iussu inducias Argiuorū soluit. to.1.686
Agis ab Eleorum uastatione terræmotu cohibetur to.1.637
Agriculturæ gratiarū relatio to.2.257
Agriculturę doctrina Ibi.

Agriculturæ incõmoda, & quomodo hæc auertenda to.2.258
Agriculturæ laus to.2.248.& 257.& 255.& seq.
Agricultura aliarũ artiũ parens ac nutrix t.2.258
Alcibiadis cum Pericle cõgressus to.2.69
Alcibiades Mindarum superat, classemq; diripit. to.1.566
Alcibiades captus à Tyssapherne nocte aufugit to.1.565
Alcibiades, Thrasybulus & Conon eliguntur duces to.1.577
Alcibiades summo applausu excipit ab Atheniensibus Ibid.
Alexandri Iasonis filij tyrannis & mors t.1.763.& 764
Ambitiosus auaro q̃ præstet to.2.288
Amicus ex hoste quomodo fiat to.2.105
Amicus uerus optimum prædium to.2.107
Amicorũ existimatio t.2.107.& 108
Amicus ueryꝰ fertilissima possessio to.2.108
Amicus quomodo examinandus to.2.109
Amicus nec ui, nec fraude comparatur to.2.110
Amicos conciliandi ratio to.2.111
Amicorũ copia sceptrum est regum to.2.294
Amici quomodo uenandi to.2.152
Amicitia in bello simulata aut dissimulata quid possit to.1.159
Amici inter opes cõnumerandi to.2.242
Amici diuites thesauri loco nobis sunt to.1.262
Amicus uerus in amici calamitate constans est. to.1.688
Amor an ueneficijs induci possit to.2.111
Amorem coërcent metus & lex to.1.145
Amor sit ne ultroneus t.1.145
Amor iniustus sophista. to.1.193
Amoris suppliciũ t.2.284
Anaxagoræ insania to.2.189
Anaxibius solum se hostibus obijcit pro suorum salute to.1.697
Animi morbi sæpe à corporis mala ualetudine oriuntur to.2.155
Animi diuinitas maximè in somno apparet to.1.296
Antiochus, Persarum regem spernit to.1.788
Apaturia festa qualia fuerint to.1.589
Apes frugalitatis exemplum sunt to.2.265

Apollinis de Socrate respō sum to.2.196
Apollo sine munerib.non dat responsa to.1.226
Apologus de ouibus & cane to.2.120
Aprorū uenatio to.2.225
Aprorū magna uis & impetus to.2.227
Apum œconomia to.2.265.& seq.
Aquila dextera dux itineris to.1.48
Aquila signū regis Artaxerxis to.1.346
Arandi tempus to.2.292
Araspas Pantheā deperit
Araspas explorator (to.1.191 to.1.206
Arborum serendorū ratio to.2.276
Arcadū uictoria cōtra Lacedæmonios to.1.807
Arcades à Thracibus obsessi to.1.491
Arcadū sacrilegiū to.1.810
Archedemus causarum actor to.2.122
Archidamo prodigia secunda eueniūt to.1.786
Ariæus dux to.2.254
Aristarchi aduersa fortuna to.2.117
Aristarchus Græcos CCCC Byzātȝ uēdidit to.1.518
Arma à Cyro fabricata,adhuc supersunt to.1.223
Armenȝ Medis subȝciunt to.1.86
Armeniorū regis copię & thesaurus quātus Ibid.
Armenius cū liberis & uxoribus à Cyro capit. t.1.79
Armenta facilius pastoribus,quàm regib. populi parent to.1.1
Arrogantiæ uindex deus to.1.492
Artabazi oratio ad Cyrū
Artabates sibi la- (t.1.241
tus acinace cōfodit t.1.340
Artaxerxis copiæ quantæ to.1.334
Artaxerxes Cyro fratri insidiatur to.1.309
Artaxerxes Cyri castra diripit to.1.344
Artaxerxes pacem constituit inter Lacedęmonios & Athenienses to.1.705
Artaxerxes à uictis arma aufert to.1.350
Artes bonorū fontes to.1.
Asiatici preciosissi- (226
ma in bellum secum deferunt to.1.24
Asiaticis spuere & mucū facere lege inhibitū t.1.299
Asiatici Cyro mortuo mores patrios deserūt Ibid.
Asiaticorū deliciæ t.1.301
Asinus quadrupedū inuerecundissimus t.1.477
Assyriorū rex suos ad pugnam hortatur t.1.104
Assyrȝ noctu è castris fugiunt to.1.111
Assyriorū rex Gobryæ filium transfodit to.1.14
Assyriorū quantus exerci

tus to.1.49
Assyriorum rex Caduſios cædit to.1.170
Assyriorũ pacta cum Cyro to.1.172
Athenæ in medio orbis ſitæ to.2.436
Athenienſes Lacedæmonios nauali prælio uincunt to.1.587
Athenienſes obſeſsi neque inducias, neq; pacem impetrare potuerunt to.1.602
Athenienſes Lacedæmonios bello ſuperant to.1.666
Athenienſes muros reſtaurant, Piræumq; muniũt to.1.690
Athenienſes rurſus maris obtinẽt imperiũ. to.1.701
Athenienſes Cercyrę auxilium mittunt to.1.744
Athenienſes deferendo Lacedæmonĩs auxilio conſultant to.1.775
Atheniẽſes Lacedæmonĩs auxiliũ ferunt to.1.777
Athenienſes mari, Lacedęmonĩ terra præſtant. to.1.780
Atticæ regionis natura. to.2.435
Audacia quantũ à puſilla nimitate diſtet to.1.721
Aurũ ex Paracremaſti cãpo effoditur to.1.697

B

Babylon obſidetur à Cyro to.1.224
Babylonis regia inuadit to.1.238
Babyloniorum rex occidi tur à Gadata & Gobrya to.1.239
Barbarorum arma arcus & fundæ to.1.416
Beatus quis to.2.255
Belli genus iudicrum à Cyro inſtitutum to.1.68
Bellum memorabile inter Athenienſes & Lacedæmonios to.1.679
Belli acies quomodo inſtruenda to.2.341
Beneficiorum, non iniuriarum, meminiſſe oportet to.1.480
Benemerentes officĩs uincendi ſunt to.1.157
Beneuolentiæ inſtrumentum beneficẽtia to.2.283
Bithyni Græcos cædunt. to.1.498
Bithyni à Græcis ſuperantur to.1.503
Bona à deo collata quomodo & inter quos partienda to.1.61
Bonorũ prauorumq; conſuetudo qd agat to.2.65
Bonorũ animos quæ frangant to.2.287
Bonos malis amicos eſſe impoſsibile eſt to.2.111
Bonũ eſſe, ad honores uia optima to.2.88
Bonus princeps uidẽs lex. to.1.254

Bonus uir qui to.2.281. & seq.
Bruta in quo ab hominib. differant to.2.324
Brutorum industria in sui defensione to.1.66
Byzantiũ Alcibiades obsi det & capit to.1.575

C

CAlami Carduchorum meri saporẽ habent to.1. 428
Callias pro pace apud Lacedęmonios orator to.1. 750
Callicratides Lysandro succedit to.1.582
Callistrati oratio ad Lacedęmonios to.1.752
Callixenus omnibus exosus fame perịt to.1.544
Calpes portus descriptio to.2.494
Calumnia nullũ opus caret to.2.121
Cambyses quas ponit leges, seruat to.1.46
Cambysis oratio ad Cyrũ & Persas de imperio t.1. 285
Canes quãdo melius odorentur to.2.220
Canum genera & species. to.2.206
Canis uenatici forma to.2. 228
Canum nomina to.2.219
Canum procreatio Ibid.
Canũ ornamenta to.2.215
Carbatini calcei to.1.426
Carduchi Græcis bellũ inferunt to.1.408
Carpæa saltatio to.1.481
Castris quis locus deligendus to.1.38
Celæne Cyri regia to.1.313
Cerasuntị terga uertentes in mare se abịciũt to.1. 474
Ceruorũ uenatio to.2.219. & to.2.222
Chaldæi prædones to.1.89
Chaldęorum liberi bellica uirtute præstantes to.1. 417
Chalonis pisces sacrosancti Syris to.1.323
Chalybarũ arma to.1.436
Chirisophus dux grẹci exercitus to.1.486
Chirisopho imperium abrogatur to.1.488
Chiron à dịs uenationem edoctus to.2.203
Chirisophi obitus t.1.496
Chrysantæ oratio to.1.200
Chrysantæ mores to.1.65
Chrysippus q̣ habitu iustitiam expresserit to.1.501
Cinadon ob proditionẽ flagris cẹsus occidịt t.1.642
Ciuitates cur in peius prolabuntur to.2.135
Clades Lacedęmoniorum apud Lechæum t.1.680
Clearchi oratio ad milites tumultuantes to.1.317
Clearchus dux fit Græcorum to.1.355
Clearchus cum Tyssapher

ne de rupto fœdere exposţulat to.1.365
Clearchi uita & interitus to.1.372
Cleombrotus cum Thebanis confligit to.1.755
Cleombrotus superatur to.1.758
Cligenis legati ad Lacedæmonios oratio pro Grecis to.1.709
Cœna à Seuthe Græcis exhibita to.1.527
Cognosce teipsum t.2.167
Conon à Callicratide classe obsessus to.1.585
Constantia Socratis cõtra triginta tyrãnos t.2.175
Continentia quid to.2.181
Continentia bonum ac honestum hominib. t.2.183
Conuiuarũ ordo apud Cyrum to.1.275
Corinthũ ab Athenien sib. deficiunt to.1.802
Corinthi capitulũ colũnæ sponte cecidit to.1.673
Cothurni nomẽ incõstantibus conuenit to.1.609
Critias & Alcibiades ciuibus obfuerunt to.2.63
Critias & Alcibiades deprauati to.2.66
Critias calumniatur Socratem to.2.67
Crœsus quando seipsum ignorabat aduersa passus to.1.227
Crœsus Assyriorũ impera tor constituitur t.1.197
Crœsus consulit Apollinẽ to.1.226
Cura ad quẽ maximè pertineat to.2.275
Currus falcati à Cyro facti to.1.190
Cursus equestris to.1.270
Cyaxares de bello consultat to.1.186
Cyaxares filiam Cyro despondet to.1.284
Cyaxares redit in gratiam cum Cyro to.1.183
Cyrus quomodo multis populis imperarit to.1. 2.& 3
Cyri genus to.1.3
Cyrus corporis & animi bonis pollebat to.1.4
Cyri pueritia & sobrietas, & comitas sub cœnam to.1.10.11.13
Cyri adhuc pueri iudiciũ to.1.15
Cyrus aliquãto loquacior erat to.1.17
Cyri studium aduenandũ to.1 18.19
Cyri prima concio ad milites to.1.29
Cyri aucupium to.1.45
Cyrus probos uiros tanquam seipsum amabat. to.1.67
Cyrus Armenijs bellũ infert to.1.76
Cyrus Chaldæos uincit. to.1.91. & 120
Cyrus ab Indis pecunias postulat to.1.95

Cyrus beneficus & uir bonus appellatus & pater to.1.26.96
Cyrus sacrificijs belli euentum à dijs petit to.1.102
Cyrus Assyrios in fugam uertit to.1.108
Cyri humanitas erga captiuos to.1.130
Cyri solicitudo erga uulneratos to.1.170
Cyrus Caduſios solatur. Ibid.
Cyri oratio ad amicos habita to.1.184
Cyrus spolia Assyriorum diuidit to.1.139
Cyrus singulis ducib. propria munia distribuit. to.1.209
Cyrus equo excutitur to.1.222
Cyrus in flumine turres facit to.1.236
Cyrus flumen Babylonis meabile facit to.1.237
Cyrus suos in ebrios Babylonios immittit Ibid.
Cyrus agriculturā & militiam simul exercuit. to.2.252
Cyri laudes Ibid.
Cyrus quales corporis custodes deligat to.1.244
Cyrus militiæ officia & ordinem diligenter excogitat t.1.252
Cyrus quomodo suorum sibi beneuolentiam conciliet to.1.258
Cyri apparatus ad sacrificandum to.1.268
Cyri concio de liberalitate to.1.280
Cyrus imperium dilatat to.1.291
Cyri uisio nocturna to.1.292
Cyrus filijs ac amicis mortem suam prædicit to.1.293
Cyrus Cambysem filium in regnum substituit. to.1.293.& 294.
Cyri cura de sua sepultura to.1.297
Cyro mortuo filij de regno disceptant to.1.298
Cyrus in fratrem exercitū congregat to.1.311
Cyrus cum exercitu Euphratem transit to.1.325
Cyri oratio ad Orontem to.1.330
Cyrus Artaxerxem uulnerat to.1.334
Cyrus ut corpus suū quotidie exercuerit to.2.255
Cyri cum Artaxerxe conflictus & interitus to.1.338.& 339
Cyrus ursum confecit to.1.340
Cyrus qualis erga suos. to.1.341.& 343
Cyri caput & dextera abscissa to.1.344.
Cyrus Autobisacem & Mitræum cur interfecerit. to.1.596

DAemonium Socratis to.2.190.& 196
Deos quis potius exoret to.1.32
Deos curam hominũ habere to.2.60
Deus arrogantiæ uindex to.1.492
Deus Lacedęmoniis uictoriam concesit to.1.675
Deus homines extollit ac deprimit to.1.387.760
Deo pœnas dare, si qui ali quid præter naturæ institutũ cõmittũt t.2.265
Deum in stolidos & incautos animaduertere to.2.270
Dexippus lapidat̃ ob proditionem to.1.505
Diæta Socratis to.2.76
Dianæ templũ, eiusdemq; sacra to.1.453
Dñ ante omnia colendi. to.2.279
Dñ legislatores sunt to.2.179
Dñ non in perpetuum ira scuntur to.1.618
Dñ omnia quibus homo indiget crearũt to.1.168
Dñ orandi ut fructus conseruent to.2.258
Dñs proximus nullis eget to.2.87
Dñs nõ minus pro fructibus quàm rebus bellicis litandum to.2.258
Dñ scelestos & iniustos minimè negligũt to.1.723
Diligentia tam in re rustica quàm cæteris quantũ possit to.2.302
Diuites plericq; minus sibi sufficiunt quàm pauperes to.2.170
Diuitiis ad quid utendum to.2.279
Dolio perforato haurire, quid to.2.267
Domini difficiles atq; uerè molesti qui to.2.243
Domini diligentia seruos bonos efficit to.2.285
Domus quid to.2.240.259
Dona Seuthi oblata to.1.
Duces ab Athenien- (527
-sibus electi to.1.577
Duces nauales Athenien-
siũ condemnant̃ t.1.590
Duces regionũ quas Græci peragrarunt to.1.556

E

EBrietas to.2.284
Educatio recta quid efficiat to.1.157. & to.2.160
Eleorum seditio to.1.638
Elĩ cũ Lacedæmoniis fœdus ineunt to.1.639
Enchusæ herbę succo fucãtur mulieres to.2.276
Epaminũdas Spartam ingreditur to.1.815
Ephororũ potestas apud Spartiatas to.1.11
Epistola Cyri ad Cyaxarẽ to.1.135
Epulæ cõtinuæ fastidium generant to.1.289
Equitũ instructio to.2.338

Equi

Equi qui laboribus apti to.2.354
Equi peregrini quid conducant to.2.358
Equi ne cadāt nec fatigentur, quid efficiat t.2.344
Equites pauci plures ut appareāt, & cōtrà to.2.348
Equitum ordo in prælio to.2.340
Equestris cursus to.1.270. & to.2.343
Equorum cura to.2.336
Equus Soli sacer to.1.430
Equi calcitrosi to.2.336
Equi ligatis pedib. ab Assyrijs noctu seruanē t.1.101
Equites quales esse debeāt to.2.337
Equis nisi sudarint nō dādus cibus to.1.56
Equorū pedes ut robusti fiant & rotundi to.2.338
Eripides castra Pharnabazi spoliat to.1.659
ἐνοχεῖσθαι quid to.2.159
Euphronis flagitia t.1.799
Euphron Argiuorum tyrannus to.1.791
Euphron obtruncaē to.1.798
Exercitus quomodo ductandus per diuersa loca to.2.344. & seq.
Exercitatio fortiores reddit to.2.86
Exercitus officium to.1.38
Exercitus pulchrè dispositus inexpugnabilis uidetur to.2.268
Exploratoris officiū to.2.345
Explorationes clandestinæ to.2.333

F

Faui effectus apud Colchos to.1.441
Feræ quæ cauendæ in uenatione, quæ nō to.1.18
Fides in animis ac manibus to.1.117
Fiducia & timor quid operentur to.2.133
Fœdera Macronū t.1.439
Fœderis iciendi mos priscus to.1.353
Flumen Babylonis meabile fit to.1.237
Fori distributio apud Persas to.1.4
Fortuna & actio prorsus contraria to.2.148
Frumenti terendi purgandiq; ratio to.2.295
Fundi emendi qui t.2.302
Fulgura & tonitrua dextera Cyro to.1.32
Fulmen afflat castra Lacedæmoniorum to.1.687
Furta permissa à Lycurgo to.1.432. to.2.4.

G

Gadatas lachrymatur quòd spado sit to.1.173
Gaudio & tristitiæ lachrymæ cōmunes to.1.786
Glaucon ambiens imperium to.1.134
Gobryas filij necem ulcisci postulat to.1.143

Græci quomodo liberos instituant to.2.3
Græci Byzantñ portas effringunt to.1.513
Græci barbaros uincunt to.1.413.& 434
Græci à bello reuersi dñs gratias referunt ac sacrificant to.1.442
Græci à uictis Persis ingentem prædam auferunt. to.1.649
Græcis reditus ad suos cõceditur to.1.360
Græcorũ desperatio cæsis eorum ducibus to.1.377
Græci legatos ad Persarũ regem mittunt t.1.787

H

Heraclides Xenophontem insimulat apud Seuthen to.1.536
Herculis deliberatio to.2.95
Hermocratis laudes to.1.568
Hesiodi sententia à Socrate explicata to.2.95
Hinnulorum ceruorumq; uenatio to.2.222
Hipparcho locorũ cognitio necessaria to.2.345
Hipparcho semper ad falsaciam animus esse debet to.2.349
Hipparchus quomodo beneuolentiam militũ sibi conciliet to.2.350
Hipparchi præfectio to.2.352
Hipparchum eloquentem esse oportet to.2.357
Hippocẽtauri unde t.1.127
Hippocrates dux bellãdo occiditur to.1.573
Historia ad quid prosit. to.1.561
Homines pecudesq; ad obediendũ quomodo parentur to.2.286
Homo omniũ animalium opt.& gratiss. to.1.274
Honoris appetentia hominem à brutis disiungit. to.2.324
Honor, opes, humana sapientia multis exitio fuere to.1.48
Hortatio ad uenationem to.2.229
Hostes quãdo maximè ad oriendi to.2.353
Hyrcani ab Assyrijs ad Cyrum deficiunt to.1.114
Hyoscyami efficacia to.2.242

I

Iason trucidatur t.1.762
Imbecilles exercitatiõe fortiores fiunt to.2.86
Imperare bene, opus omnium maximũ to.1.34.& to.2.304.& seq.
Imperator æstus & frigoris tolerantior esse debet to.1.41
Imperator militi formidabilis esse debet to.1.373
Imperatori ad res gerendas quæ necessaria to.1.37

Imperatoris boni, bonique agricolę par laus t.2.254
Imperatoris munus to.2.125
Imperatoris ad patremfamiliâs cõparatio t.2.131
Improbitas quid to.2.243
Impudentia comes ingratitudinis to.1.6
Indi cum Cyro societatem ineunt to.1.195
Ingenia acuta qualia to.2.156
Ingratitudinem Persæ plectunt to.1.5
Ingrati qui to.2.100
Iniustitia nõnunq; iustitia æstimatur to.2.162
Insania est seipsum ignorare to.2.143
Insaniæ & insscitiæ discrimen to.2.71
Insidiæ Græcis à bello redeuntib.factæ to.1.362
Insidiæ simulatæ quando prosint to.2.333
Inuidia quid to.2.146
Ira temerè omnia fiunt. to.1.718
Iudices certaminum to.2.317
Iuuenes alliciendi ad cupiditatẽ equitãdi to.2.314
Ismenias ob res malè gestas damnatur to.1.715
Isthmia ab Argiuis celebrata to.1.678
Iustitia regum uirtus to.2.164
Iustus quis to.2.166
Iustitiã quomodo pinxerit Chrysippus to.1.561

L

LAbores bonis uiris obsonium to.1.248
Lacedæmoniũ Athenas occupant to.1.603
Lacedæmoniũ cum Athenienſibus pacem faciũt to.1.754
Lacedæmoniorũ bellum cum Corinthijs to.1.46
Lacedæmoniorum res fluuijs cõparantur to.1.664
Lacedæmoniorum Athenienſisq; exercitus descriptio to.1.665
Lachrymæ cõmunes gaudio & triſtitiæ to.1.786
Laconica epiſtola t.1.567
Leges Lycurgi refrixerũt to.1.29
Leges Lycurgi bis eundẽ imperare nõ permittũt to.1.595
Legum uiolatio to.2.70
Leonum, pardorum, lyncum, urſorum uenatio to.2.229
Leporibus cur hebes uiſus to.2.213
Leporis deſcriptio, eiusq; duo genera to.2.212. & ſeq.
Lepores qui tardiſsimi, q uelociſsimi to.2.212
Lex quid to.2.70
Libertas uera, uitijs carere to.2.244
Lichę hoſpitalitas to.2.74

Loca uini frumentiq; recõ dendi apta to.2.172
Ludi acti à Græcis reuersis to.1.442
Lustrum in Græcorum castris conditum to.1.476
Lux noctu Cyri agmen affulsit to.1.117
Lycurgus diuersas ab alijs leges tulit to.2.2
Lycurgi lex de matrimonio Ibid.
Lycurgus quomodo puberes & egressos pubertatem instituat to.2.6.7
Lycurgus publicè cõuiuari constituit to.2.8
Lycurgus omnia communia decernit to.2.9
Lycurgus Spartiatas diuitijs uacare uetat to.2.10
Lycurgus leges laturus prius Apollinem consulit to.2.12
Lycurgus quomodo senes habuerit to.2.13
Lycurgus qualem discipli nam militarem instituerit to.2.14
Lycurgus ignauos grauiter punit to.2.13
Lycomedes finem felicissimum cõsecutus to.1.802
Lysander de improuiso Athenienſiũ classem diripit to.1.598
Lysander Athenas obsidet to.1.602
Lysander Lacedęmonẽ redit spolijs onustus t.1.605
Lysander à Græcis interficitur to.1.655
Lysander Cyro societatis nomine dona attulit. to.2.254

M

MAchinæ à Cyro factæ to.1.189. & 190
Macrones quo ritu fœdera sanciant to.1.439
Magi constituuntur à Cyro to.1.254
Magi deos interpretantur to.1.267
Malum in procliui, uirtus in arduo est to.2.95
Malus uir qui to.2.282
Mania cũ filio à Midia genero impiè occidit to.1.628
Mania à Pharnabazo satrapiã impetrat t.1.628
Matrimonium tyrannorum infaustum to.1.190
Matrimonij descriptio. to.2.263. & seq.
Matronæ officium Ibid. & 266. & 277
Mendaciũ homini impedimento ad ueniam cõsequendam to.1.80
Mechanicarum artiũ uituperatio to.2.252
Medi cùm à Dario defecissent, rursus subacti sunt to.1.573
Menonis uita et dira mors to.1.374
Mesis quomdo terẽda & purganda to.2.295

Metendi

Metendi modus Ibid.
Midię omnis poteſtas abrogatur to.1.631
Milites ignaui fucis cõparantur to.1.63
Milites ad res gerendas excitandi uerbis & rebus. to.1.73
Milites externos conducere turpe to.1.199
Militum obedientia to.2.336.&339
Militiæ plura incõmoda to.1.426
Miniſtri quí meliores to.1.85
Minium quid to.2.276
Mithræ nomine Perſæ ſolem uocant to.2.255
Mithridates à Græcis turpiter uictus to.1.397
Mnaſippus dux claſsis Lacedæmoniæ to.1.743
Mori in pugna præſtat, q̃ fugæ ſeruari to.1.106
Mortalium nemo ſine crímine to.1.752
Morte hoſtis non exultandum to.1.721
Mors præſtat ignominioſæ uitæ to.2.191
Mortẽ nullus æquiore animo quàm Socrates tulit to.2.191
Moſynœcorũ arma & habitus to.1.454
Moſynœces cũ Græcis ſocietatem ineunt Ibid.
Mulier fucata to.2.276
Mulieres in re familiari ad miniſtranda meliores, maritos ſuos ſibi miniſtros reddunt to.2.267
Mulier ſapiens quę t.2.275
Mutatio ſubita periculoſa to.1.201

N

NIhil ita noſtrum ut ípſi nobiſipſis to.1.126
Nicomachides ambit imperium to.1.127
Nix ingens cœlo demiſſa. to.1.423
Noualis parandí ratio to.2.291

O

OBedientia in exhortatione conſiſtit to.1.40
Ocioſi qui cenſenẽ t.2.147
Ocium quid to.2.147
Oculus domini to.2.285
Odryſiorum mos patrius in parentando to.1.633
Oeconomi officiũ to.2.240
Oeconomía uicina politicæ to.2.132
Oeconomia qd,&an ſcientiæ nomen ſit to.2.240. & 259
Officium exercitus t.1.38
Olea quomodo ſeratur to.2.298
Oligarchía Athenis conſtituta to.1.604
Opes quæ proſunt,nõ obſunt,exiſtimãdæ t.2.241
Opſophagus quis dicatur to.2.158
Orontes quo mortis genere perierit to.1.332

Orationes Cyri to.1.184. 198. & 212
Ordo militaris à Cyro seruatus to.1.281
Ordo nauis to.2.270
Ordo domus t.2.271. 273
Ordinis laus & utilitas. to.2.268. & 271
Ordinis constantia rebus salutẽ, perturbatio perniciem adfert to.1.384
Orontes Cyro insidias parat to.1.329
Osculari cognatos Persarũ lex to.1.26
Ostentatores qui dicantur to.1.60

P

PAlamedes iniustè ab Vlysse occisus to.2.199. & 166
Palladis templũ in Phocęa fulmine ictum to.1.573
Palladis templũ Athenis deflagrauit to.1.582
Panthea uirum armat t.1. 211. Acinace ex luctu seipsam iugulat to.1.230
Paphlagoniæ situs t.1.463
Parentes fletibus filios temperantes reddũt to.1.60
Parentum cura pro liberis to.2.100
Parentũ duriora uerba æquo animo ferenda Ibi.
Parentes nõ obseruans, legibus coërcetur Ibid.
Parœnia quid to.2.411
Patrisfamiliâs ad Imperatorẽ cõparatio to.2.131
Patroclis Phliasij sententia & oratio to.1.775.778
Pauper diuite securior to.1 272
Pausanias accusatus ab Ephoris damnat to.1.656
Pecuniarum usus to.1.263
Pecunijs supprimitur iustitia to.1.800
Pecunijs sacris non esse utendum ad bellũ t.1.810
Pedites inter equites occultandi to.2.350
Pericles à Socrate instruit to.2.132
Persæ exercitia cuicq; ætati præscribunt to.1.5
Persarum exercitus ordo. to.1.204
Persarum mos in equitatu to.2.338
Persarũ regis circa res œconomicas administrãdas ingenium to.2.252
Persarum signũ aquila aurea to.1.214
Persarum disciplina to.1.6
Persarum in conuiuio modestia to.1.153
Perseuerãtia necessaria uiro bono to.1.246
Persicarũ legum præstantia to.1.4
Persidis ciuium numerus. to.1.9
Persidis regio aspera to.1. 245
Pharnabazus in Cherroneso undecim cinxit muro ciuitates to.1.634
Pharna-

Pharnabazi filij mutuò se regno pellunt to.1.662
Pharnabazus fœdè uastat Lacedæmoniorū regionem to.1.689
Phliasiorum urbs dolo capitur to.1.792
Phliasijs à Lacedæmonijs illatum bellum to.1.720
Phliasiorum fides to.1.791
Phrygū rex in manus Persarum uenit to.1.233
Phyllides ex Aphrodisijs mulieres rapit to.1.724
Pictorū industria to.2.148
Pietas in parentes to.2.99
Pius est qui deos uenerat. to.2.184
Plinteria celebritas t. 1.577
Pæana Castoris & Pollucis to.1.107
Pœna eorum qui in Atheniensis iniurij fuerunt. to.1.591
Polydamæ Pharsalij oratio to.1.738
Polydorus à fratre nocte interfectus to.1.763
Portus Calpes descriptio. to.1.494
Possessiones siue opes quę sint to.2.241. & 259
Potentia augetur oppressis auxilium ferendo to. 1.653
Prædium optimum amicus uerus to.2.107
Præmia addunt animos. to.2.340
Prædæ hostiles to.2.347
Prętecti equitum officium to.1.125
Præfici an subesse utrū expediat to.2.93
Prælia ex animis magis q̄ uiribus censeri to.1.100
Principem bonum à bono patre nihil differre to.1. 249
Principi obediendum to. 1.250
Principum liberi quomodo instituant apud Persas to.1.340
Procuratoris boni descriptio to.2.283
Prodigia quæ Thebis euenerunt to.1.756
Promæ officium to.2.274
Proxenus qualis dux fuerit to.1.374
Prudentioribus ultrò parendum to.1.40
Pudor & erubescentia Cyri to.1.17
Pudoris & temperātię discrimen to.1.255
Puellarū institutio to.2.1
Pueri aliter docēdi quam adulti to.1.44
Pugna stataria to.1.421

Q

Quæ à dijs petenda to.2 279
Quæstus amor diligentes reddit to.2.284

R

Reges qui to.2.147
Regia Cyri to.1 313
Regius honos in exercitu.

to.2.17
Regñ quæſitores to.1.290
Regum multi oculi & aures to.1.261
Regis & paſtoris comparatio to.1.262
Regni & tyrannidis diſcrimen to.2.187
Regia uirtus quæ to.2.254
Regia Pharnabazi t.1.658
Rex Armenius à Cyro ſe ſubtraxit to.1.78
Rex iturus in prælíũ quo ritu ſacrificet to.2.17
Rex quid ex publico accípiat to.2.20

S

SAgenarum, caſsium, retium forma & materia to.2.205
Saltationũ genera t.1.481
Sapientum eſt quandoq; bellum ſoluere to.1.751
Sapientia quibus obſuit. to.2.169
Sardianorũ urbẽ cũ Crœſo capit Cyrus to.1.224
Scrobis fodiendæ ad ſationem uitium & olearum ratio to.2.296
Seipſum noſſe felicitas to.1.227
Senectus incõmoda to.2.195
Serendi tempus & modus to.2.292
Seruos manumiſſos Cyrus equites fecit to.1.140
Seruitus miſera atq; inhoneſta quæ to.2.243
Seuthis fortuna to.1.512
Seuthes in regnũ reſtituítur to.1.535
Seuthis ingratitudo t.1.536
Sociorũ Vlyſsis in ſues cõuerſio quid to.2.76
Socratis dæmoniũ to.2.57
Socrates in dubijs & arduis diuinatione opus eſſe aiebat to.2.58
Socrates de quibus accuſatus to.2.56
Socrates de quibus diſputabat to.2.59.& 60
Socratis auditores to.2.70
Socratis temperãtia t.2.61
Socrates ſine mercede docebat to.2.62
Socratis reſpõſum ad Chariclem & Critiam t.2.68
Socratis dictum de amicis to.2.71
Socratis de parentibus cenſura Ibid.
Socrates qualis erga deos to.2.74
Socratis integritas & continentia to.2.74.83
Socratis diſputatio de deo to.2.79
Socratis colloquiũ de gubernatione ciuitatis to.2.90
Socrates altercãtes fratres conciliat to.2.104
Socrates amicorũ indigentias conſilijs leuabat to.2.117
Socratis diſputatio de ſapientia to.2.161

Socratis uirtutes to.2.193. & 197
Socrates morituras uestẽ mutare noluit to.2.198
Socrates morituras futura prædixit to.2.200
Solis eclipsis to.1.668
Somnium faustum Xenophontis to.1.417
Sophistarũ insectatio to.2.229
Spadonũ natura to.1.244
Spe leuatur metus t.1.217
Spes alacres facit milites to.139
Spes fruendi amoris iucundissima to.2.284
Stabuli conficiendi ratio. to.2.367
Stasippus cum suis ad Dianæ confugit templum. to.1.766
Stercoratio to.2.300
Stirpium satio to.2.296
Stratagema ab Agesilao editum to.1.733
Suum natura inuenatione to.1.113

T

Teleutiæ oratio ad milites to.1.701
Teleutias Olynthijs bellũ inferens uincit to.1.718
Teleutias portũ Atheniensium capit to.1.703
Templũ Dianæ eiusq; sacra to.1.453
Temulenti facilè officij obliuiscuntur to.2.284
Teribazus cum Græcis fœdus init to.1.422
Teribazus à Græcis superatur to.1.424
Terra hominibus carens, caret & bonis to.1.129
Terræ ingenium cognoscere oportet eum qui rectè agrum culturus est. to.2.290
Terræ ingenium facilius q̃ animalis experitur to. 2.301
Terræmotus factus ob inducias ruptas to.1.686
Themistogenes historiographus to.1.625
Theramenes falso accusatus to.1.607
Theramenes sibi obiecta diluit to.1.610
Theramenes ueneno iniustè necatur to.1.615
Thracum cornea pocula. to.1.521
Thraces uulpinis pellibus capita uelant to.1.531
Thraces armati ad tibiam saltant to.1.481
Thrasylus à Tyssapherne uincitur to.1.571
Thrasybulus triginta tyrannorũ præsidium capit to.1.616
Thrasybulus Athenas recuperat to.1.618
Thrasybulus spõte se morti obiecit pro ciuium salute to.1.619
Thrasybulus noctu in tabernaculo obtruncatur.

to.1.696
Toachi lapides in Græcos deuoluunt to.1.435
Toachos oppugnant Græci to.1.434
Triremis instructio to.2.269.& seq.
Tyranni pacis expertes sunt to.2.315
Tyranni de cur non sit tutum discedere to.2.325
Tyranni prædari cogūtur to.2.320
Tyranni nec amicis prodesse, nec lædere inimicos possunt to.2.322
Tyrannicidis præmia decreta to.2.319
Tyrānisomnia minus esse suauia quàm priuatis to.2.309.& seq.& 311
Tyrannis omnia suspecta to.2.310.& 317.& 321
Tyrānis Lacedæmoniorū in Athenienses capta urbe to.1.606
Tyrānis triginta imperiū abrogatur to.1.620
Tyrānorū difficultates ad regnū tuendū to.2.327
Tyrannorū amor nullus to.2.313
Tyrannorum cōiugia Ibi.
Tyrannorum diffidentia etiā erga proximos to.2.318
Tyrannorū epulæ t.2.311
Tyrannorum honores extorti to.2.324
Tyrannorū ministri quales to.2.320
Tyrannū quæ in tuto constituant to.2.326.& seq.
Tyssaphernes in Cariam mouet exercitū to.1.30
Tyssaphernes capite truncatur to.1.649
Tyssaphernis astu Græcorum duces oppressi to.1.370
Tyssaphernes Grecis commeatum præcludit to.1.404

V

VAletudo q̄modo tueat to.2.280
Venandi tempus to.2.215
Venatio instruit ad bellica munera t.1.256.& to.2.42.& 230
Venatio & canes deorum inuentum to.2.203
Venatores præcipui, eorūque laudes Ibid.
Venatoria instrumēta q̄modo disponēda t.2.209
Venatoris persona qualis esse debeat to.2.205
Venereæ rei amore detenti, inutiles to.2.284
Venti ac flumina deorum ministri to.2.174
Vento sacrificant Græci. to.1.425
Vespas irritare to.1.664
Vestigatio ferarū t.2.209
Vestitus Cyri & amicorū to.1.257
Veterina quæ sint t.2.278
Vi quod sumitur uolupta

te caret to.2.314
Victores duplex bonũ cõsequuntur to.1.104
Victoria præclaræ res omnes adipiscuntur to.1.53
Victoria nullum maius lucrum to.1.120
Victoria prima cõtentum esse debere to.1.113
Victoria in manibus sita est to.1.618
Victores coronis olim decorabantur to.1.593
Villicus quomodo paran dus to.2.283
Villici institutio to.2.286. & seq.
Victoribus omnia proposita sunt præmia to.1.65
Vinũ acetumq; ex palmulis fit to.1.357
Vinũ in pauimentatis lacubus conditũ to.1.415
Vir cur muliere robustior seu torosior to.2.264
Vir bonus & honestus qs. to.2.281.& seq.
Viri & fœminæ se et filios præcipitant to.1.436
Viri cõstantis oratio quid ualeat to.1.548
Vir mulierq; ad quid creati,& quomodo to.2.265
Vir officia muliebria præter naturæ institutũ subit,& econtrà Ibid.
Virtus an studio comparetur to.2.145
Virtus in arduo, malũ in procliui to.2.95
Virtus omnis sapientia est to.2.146
Virtus maior est hostẽ seruasse, quàm extinxisse. to.1.559
Virtutis quàm uitñ lõgior ætas to.2.12
Virtutis oratio to.2.97
Vitñs seruire quale præmiũ sortiat̃ t.2.243.& seq.
Vitium satio to.2.298
Vitis ut naturam suam cognoscendam præbeat. to.2.299
Vlysses certus orator t.2. 188
Vlysses qualem se suis exhibebat to.2.73
Voluptates simulatæ to. 2.243
Voluptatis oratio to.2.97
Vsus leges genuit to.1.561
Vsus & exercitatio rei bellicæ to.2.348
Vtile quid to.2.240.& 259
Vxores quales ducendæ. to.1.278
Vxoris institutio, utilitas & officium to.2.250

X

Xenophontis somnium to.1.379
Xenophontis oratio deregibus agẽdis t.1.380.& 386
Xenophontis cum Cyro familiaritas to.1.378
Xenophontis consiliũ ad cõmeatum comparandum to.1.444
Xenophon mœrẽtes Græ

cos ſolatur to.1.456
Xenophon contra æmulos ſe purgat to.1.470. & 476.& 539
Xenophõtis oratio ut noxñ puniantur to.1.472
Xenophonti Græcorũ imperiũ offertur to.1.484
Xenophontis exhortatio ad milites to.1.501
Xenophon captiuis libertatem impetrat to.1.509
Xenophon milites à præda Byzantñ dehortatur to.1.514
Xenophon cũ Seuthe de perfidia expoſtulat to.1.547
Xenophon à priſcis Attica Muſa cognominatus to.1.562

Y

Yphicrates q̃modo ſuos milites exercuit t.1.747
Yphicrates Syracuſanorũ naues ſubigit to.1.749
Yphicrates dux ſegnis to.1.777

INDICIS FINIS.

Errata quæ inter excudendum obrepſerunt, ſic emendabis.

Tomo 1.pag.10.uerſ.15.à fine,lege,purpureæ. to.1.pag.114.uerſ.1.lege,eam. to.1.pa.140.uerſ. 1.pro dicere,lege,licere. to.1.pag.120.uerſ.3.à fine,lege,proficiſcerẽtur. Tomo 2.pag.18.uerſ. 15.à fine,lege,perfectè. to.2.pag.132.uerſ.10.à fine,aut,abundat. to.2.pag.259.uerſ.22.lege,arbitramur. to.2.pag.315. uerſ. 11. lege,regnum, pro regum.

Scaliger de emend. temp. in prolog. f. 3. Xenophontem tam constat historiam noluisse scribere sed exemplum bene conducti principis voluisse proponere, quam certum est nihil in tota Cyropædia verum esse præter sola nomina aut mediam mentionem aliorum aut trium casuum.

Xenophontis di

SCIPLINAE CYRI REGIS

Persarũ liber primus, Francisco Philelpho interprete.

PROOEMIVM.

SVBIIT aliquando nos cogitatio, quot populi dominatus per illos soluti sunt, qui uellent alia quadam ratione quàm populari rempub. gerere: & quot item regij paucorumq; principatus iam per populos sunt sublati: quotq; aggressi tyrannida, eorum alij citò admodum defecerũt, alij uerò si quantulumcunq; etiam temporis in imperio perseuerarint, admirationi haberentur, perinde atq; & sapientes fuerint, & fortunati quidam uiri. Præterea cognouisse uidebamur, in priuatis quoque domibus esse alijs famulos uel compluris, alijs perpaucos, qui tamen ne his quidem paucis uti omnino possent heriliter. Ad hæc cogitabamus, & bubulcos principes boum esse, & equorum item eos, qui equos pascunt: & omnes qui per se pastores uocantur horum animalium, quibus præsunt, non absurdè principes existimari: uidereq; uidebamur omnia hæc armenta facilius adduci, ut pastoribus pareant, quàm principibus suis homines: Nam & pergunt armenta quacunque à pastoribus dirigan-

tur, & in ijs regionibus pascuntur quò acta ab illis fuerint, & ab ijs abstinent, à quibus arceantur: & quos fructus produxerint, sinunt his uti pastores pro uoluntate. At ne ullum quidem armentum unquam accepimus, quod in pastores insurgeret, quò aut minus eis obtemperaret, aut fructuum usum prohiberet. Quin difficiliora in alienigenas omnis præstant se armenta, quàm in hos quos & præsides habent, & fructibus suis fouent. Homines uerò in neminem magis, quàm in illos insurgunt, quos imperium senserint moliri aduersus sese. Cùm hæc igitur commentaremur animo, in hanc sententiam agebamur, ea esse hominem natura, ut facilius alijs omnibus animantibus imperitet, quàm hominibus. At ubi uenisset in mentem, Cyrum, qui foret Perses, permultos quidem homines, permultas urbes, permultas gentes, iussis suis reddidisse obedientis, hinc sententiam mutare coacti sumus, utpote quòd hominibus imperare, neq; impossibile sit, neque factu difficile, si quis prudenter id agat. Nouimus sanè Cyro non inuitos paruisse, alios qui plurimorum dierũ, alios qui etiam mensium iter distarent: alios item, qui ne ipsum quidem aspexissent unquã: alios etiã, qui quamuis certò scirent fore, ut non uiderent, ei tamen libenter audiebãt. Etenim usqueadeo præstitit alijs regibus, tum ijs qui à parentibus accepissent imperia, tum ijs qui suo ductu ea essent adepti, ut & Scytha, quamuis Scytharum magnus sit numerus, nulli alij nationi queat imperitare, sed satis superq; habeat, si diuturnũ in suos principatũ gesserit: & Thrax in Thracas, & Illyricus in Illyricos. Atq; eodem modo de alijs gentibus audimus. Itaque fertur esse in Europa etiam hac tempestate quasdam

dam liberas gentes, easq; inuicem dißidere. At Cyrus identidem aſſumptis liberis quoq; gentibus Aſiæ, ſoluens cum parua Perſarum manu, Medis uolentibus atq; Hyrcanis imperauit. Subiugauit Syros, Aſſyrios, Arabas, Cappadocas, Phrygas utroſq;, Lydos, Caras, Phœnicas, Babylonios. Potitus eſt etiam Bactrianis & Indis ac Cilicibus, & itidem Sacis & Paphlagonibus, & Maryandinis, atq; alijs quamplurimis gentibus, quarum ne nomina quidem quis dixerit. Inſuper dominatus eſt Aſiaticis Græcis. Cùm uerò deſcendiſſet ad mare, Cyprios quoque & Aegyptios imperio tenuit. Atqui hiſce quidem gentibus imperauit, quæ neque cum illo, neque inter ſeipſas lingua conuenirent. Et potuit tamen formidine ſui nominis tantum orbis terrarum peruadere, ut omnes terrore concuteret, haberetq; neminem repugnantem. Tantam autem omnibus cupiditatem iniecit gratificandi ſibi, ut ex eius ſententia gubernari optarent. Tot nationes ad ſeſe conuertit, ſibiq; deuinxit, ut eas dinumerare operoſum ſit, quocunq; quis ire à regia eius cœperit, ſiue ad orientem, ſiue ad occidentem, ſiue ad ſeptentriones, ſiue ad meridiem. Nos ergo hunc uirum ut admiratione dignum conſiderauimus, & quo natus genere, & quo fretus ingenio, & qua inſtitutus diſciplina, tantum ad imperandum cæteris mortalibus antecelluit. Quæ igitur de illo & audiuimus & ſentimus, hæc in medium referre aggrediemur.

Cyrus quibus gentibus imperauerit.

CYRVS quidem natus eſt patre Cambyſe rege Perſarum: hic autem Cambyſes ex Perſidarũ genere extitiſſe dicitur. At Perſidæ à Perſeo nomen habent. Matre uerò conſentitur fuiſſe Mandane, quæ nata eſt patre

Cyri genus.

Corporis & animi bona.

Astyage Medorum rege. Fuisse autem Cyrus natura fertur, & hoc etiam tempore à Barbaris decantatur, tum corporis forma pulcherrimus, tum animo humanissimus, tum disciplinæ atque honoris maximè studiosus. Quapropter laborem omnem exantlabat, & omne periculum laudis gratia perferebat. Huiusmodi Cyrus bonitate formæ animiq; præditus, in Persarum legibus educatus traditur. Prima his legibus cura est à bono publico. Haud enim incipiunt itidem, ut aliæ plurimæ ciuitates, quæ parentibus permittētes pro uoluntate filios educare, & ipsis parentibus pro arbitrio uitam agere, eis iubent, ne furentur, ne rapiant, ne in alienas ædis ingrediantur ui, ne iniustè percutiant quenquam, ne adulterium patrent, ne principi aduersentur, reliquaq; huiusmodi. Quòd si quid horum transgressus quis fuerit, pœna mulctatur. At Persarum leges anticipantes maximè curant, ne initio tales sint ciues, ut cuiusquam uel improbitatis, uel turpitudinis desiderio capiantur. Curant autem hoc pacto. Est illis forum quod uocatur liberum, ubi & regiæ, & alia sunt palatia. Hinc & uenalia, & circunforanei, & horum clamores atq; ineptiæ in alium locum reiecta sunt, ne horum turba excultis moribus misceatur. Est autem forum circa palatia distributum in partes quatuor, quarum una est puerorum, altera pubescentium, tertia uirorum, qui perfectam ætatem iam agunt: quarta uerò eorum qui sunt emeriti. Legeq; horum singuli adsunt locis suis: pueri, cum primũ illuxerit, & eodem modo perfectæ ætatis uiri. Seniores uerò, cùm per ocium cuique licuerit, exceptis constitutis diebus, quibus adsint necesse est. At adolescentes cubant etiam in palatijs

Persicarũ legũ præstantia.

Fori apud Persas distributio quadruplex.

tijs cum gymnicis armis, exceptis maritis, qui ne requiruntur quidem, nisi antea iussi adesse fuerint. At neque honestum ducitur sæpius abesse. Et præsunt cuique harum partium duodecim principes: nam in duodecim tribus Persæ distributi sunt. Hi uerò pueris præsunt, qui selecti ex senioribus eos uideantur reddituri q̃optimos. Adolescentib. quoq; hi, qui ex absolutæ ætatis uiris perquamoptimos eos existimentur effecturi. Viris autẽ ipsis hi sunt præfecti, quorum illi institutione censeantur quæ constituta sunt & à magistratu maximo imperata, maximè præstituri. Electi etiam sunt præsides seniorum: præsunt enim quò hi quoq; suo fungantur officio. Quæ autẽ cuiq; ætati imperantur faciunda, enarrabimus, quò dilucidius fiat, quàm diligentiam adhibeant, ut ciues sint quàm optimi. Pueri igitur euntes ad ludos, iustitiæ discendæ dant operã, aiuntq; ita illos huic rei studere, quẽ admodum apud nos qui eunt ad literas perdiscendas. Eorum autem magistri magnam diei partem consumunt in eorum disceptationibus iudicandis. Habent enim pueri quoq; inter sese, quemadmodum uiri, causas, & de furto, & de rapina, & de ui, & de fraude, & de maledicentia, & de alijs criminibus, ut & par est. Quos autem norint horum aliquid deliquisse, eos plectunt. In illum item animaduertunt, quem minus iure accusantem inuenerint. Et de illo crimine iudicium faciunt, quod est in causa, ut se homines odio mutuò insectentur quammaximè. Nam uehementer causam agunt ingratitudinis. Et quem cognorint posse referre grati nec refert, in hunc seueriſsimè animaduertunt: quippe qui arbitrantur eos qui sint ingrati, & deos maiorem in modum negligere, &

Exercitia cuiq; ætati præscripta.

Ingratitudinis crimen præ cæteris exosum.

parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinem uerò potißimum impudentia ſequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxima eſt dux. Docent etiam pueros temperantiam, ad quam diſcendam eis plurimũ conducit, quòd uident ſenes ipſos quotidie temperanter uitã agere. Tradunt præterea ijs præcepta parendi magiſtratibus. Multum quoq; huic rei conducit, quòd ſeniores intuentur parere magiſtratib. magno ſtudio. Eoſdem inſuper docent, ut & cibi & potus continentiam ſeruent: ad quod illos admodum adiuuat, quòd ante oculos habent ſenioris nõ prius abire uentris implendi gratia, quàm principes permiſerint: quodq; non apud matrem ueſcuntur pueri, ſed apud magiſtrum, quando principes ſignificarint: ferũtq; domo pro cibo panem, pro obſonio naſturtium, ad potum uerò capedinem ut ex flumine aquam hauriant. Ad hæc etiam diſcunt ſagittam & iaculum. Atq; ad ſextum uſque ad ſeptimumdecimum ætatis annum hæc agunt pueri. Dein uerò ubi in adoleſcentiam exceſſerunt, ita rurſus degũt. Pueritiam enim egreſſi cubant, ut antea diximus, ad palatia, idq; tum cuſtodiendæ urbis gratia, tum ob temperantiæ ſtudium. Videtur enim huic ætati maiorem in modum diligentia opus eſſe. Præbent etiam ſeipſos interdiu principibus, ſi cui eis uſui ſint pro republica. Et cùm oportuerit, manent omnes ad palatia. Cùm uerò ad uenationem rex exierit, id quod perſæpe agit in menſe, relinquit cuſtodiæ dimidiũ. Habeant autem exeuntes oportet arcus, & iuxtà pharetram, in uagina mucronem, aut ſecurim, præterea cratem, & pila duo, quò & alterum emittant, & altero, ſi opus fuerit, cominus utantur. Ob hanc autem rem publicè dant operam

Impudentia comes ingratitudinis.

Temperãtia in cibis admirãda.

Venationis laus & modus.

operam uenationi, & rex quemadmodum in bello se ducem ijs præstat, & ipse tum uenatur, tum ut alij uenentur diligentiam adhibet, quòd hæc eis uerissima uidetur meditatio rerum bellicarum. Etenim diluculo assuefacit surgere, frigoraq; & calores tolerare. Exercet etiam eos itineribus & cursibus. Necessarium etiam est sagitta bestiam ferire ac iaculo petere, ubicunque occurrerit. Quinetiam animũ acui sæpe necesse est in uenatione, ubi ferox aliqua bestia contrà sese obiecerit. Nam & percutere oportet, quæ occurrerit, & irruentem cauere. Quare haud facilè in uenatione eorum quicquam abesse reperiatur, quæ inter bellandum accidunt. Exeuntes autem in uenationem prandium habent, & id quidem maiore quantitate, ut par est, quàm pueri, cæterũ eodem modo. Et donec uenantur, non prandent. Sed si quid opus fuerit aut feræ ipsius gratia præstolari, aut aliter uelint tempus terere in uenando, hoc prandio pro cœna usi postridie uenantur ad cœnam usq;: & duos hos dies pro uno supputant, quòd unius dici cibum consumunt. Hoc autem faciunt consuescendi gratia, quò si quid etiam in bello oportuerit, id eis sit factu facilè. At obsonium quidem hoc puberes habent, quodcunq; uenati fuerint. Nam si id minus, nasturtio uescuntur. Quòd si quis eos existimat aut uesci iniucundè, quum aliud nihil præter nasturtium addant ad cibũ, aut potu minus suaui uti, cùm aquã bibant, reminiscatur, quãta cum uoluptate massa paneq; uescuntur in fame, quamq; suauc est bibere aquam in siti. At reliquæ tribus quæ domi manentes in uenationem non exeunt, tum alia exercent, quæ pueri didicerũt & sagittando & iaculando, tum hæc inter sese decertando agitant.

Iuuenum exercitium ac ministeria

Sunt præterea publici horum ludi præmiaq; proposita. In qua autē tribu plurimi fuerint peritißimi fortißimiq; ac maximè fideles, horum laudatur à ciuibus & honorā tur nō præsens princeps duntaxat, uerumetiam ille qui eos in pueritia eruditiuit. Et his adolescentibus utūtur magistratus, si qua in re præsidio opus fuerit, uel ad maleficia inquirenda, uel ad insequendos latrones, uel ad alia agenda, quæcunq; aut uirium aut uelocitatis sunt opera. Ab adolescentibus igitur hæc geruntur. Sed ubi annos decem absoluerint, excedunt in perfectæ ætatis uiros, quo tempore hi rursus annos quinque & uiginti ita degunt. Principiò, quemadmodum adolescentes præstò sunt magistratibus, ut si quid pro repub. opus fuerit, se utantur ijs in rebus quæ prudentiam uiresq; requirunt. Quòd si militiæ danda sit opera, qui ita sunt instituti arcubus & pilis amplius non utuntur, sed ensibus & armis quibus cominus pugnant: feruntq; thoraca circa pectora, & in manu sinistra cratem, qualem habere pinguntur Persæ. In manu autem dextera gladium aut mucronem. Et ex huiusmodi uiris magistratus omnes constituuntur, ex ceptis puerorū magistris. At posteaquam annos quinq; uigintiq; complerint, agentes hi ætatis annum aliquanto amplius quàm quinquagesimum (illorū iam ætatem ingressi qui & sunt & uocantur seniores) nō etiā in exercitum eunt extra solum patrium, sed manentes domi iudicant omnis causas & publicas & priuatas. Iudicant etiam hi causam mortis, ijdemq; legunt omnis magistratus. Quòd si quis aut in adolescentibus aut in uiris deliquerit quippiam contra leges, deferunt eum singuli tribuni, & ex alijs qui uoluerit. Quem seniores ubi audierint

rint, damnant. At damnatus degit reliquam uitam cum ignominia. Verùm ut omnis Persarũ respub. clarius pateat, repetemus paulò altius. Nunc autem ex antè dictis declaratum sit paucis. Persæ dicuntur esse circiter centum uiginti millia hominum. Horum nemo lege excluditur à dignitatibus atq; magistratibus. Sed licet omnibus Persis mittere filios ad publicos iustitiæ ludos. Verũ qui possunt filios per ocium alere, eos mittunt ad ludos. Quibus uerò alendi non est facultas, nequaquã mittunt. Qui autem fuerint apud publicos magistros instituti, licet ijs inter adolescentes eius ætatis opera exercere, alijs uerò non licet. Qui rursus legitima inter adolescentes absolue rint, possunt hi inter eos uersari, magistratuũq; participes atq; honorum fieri. At hi qui pueritiæ atq; adolescentiæ legitima non obierint, inter uiros non admittuntur. At hi rursus, qui inter perfectæ ætatis uiros sine reprehensione se gesserint, fiunt ex ordine seniorum. Et ita seniores hi constituuntur, qui per omne honestatis genus uitam egerint. Et hæc est uiuendi institutio, qua qui utuntur, optimi uiri existimantur. Quin hoc etiam tempore testimonium durat, tum moderati eorum uictus, tum etiam defatigati. Nam nunc quoque turpe est apud Persas & spuere, & emungi, & flatus uideri plenos. Turpe item ducitur, si quis appareat quoquam ire aut meiendi, aut cuiusquam huiusmodi rei gratia. Quæ quidem facere nullo pacto possent, nisi & uictu modico uterentur, & humiditatem per laborem consumerent, quo fit, ut ea aliò quopiam secedant. Hæc igitur de Persis omnibus dicere possumus. At cuius gratia hoc tempore nobis oratio cœpta est, res gestas Cyri narrabimus, à pueritia or-

Persarum nobilio res ſtũ cenſente.

dientes. Cyrus enim ad duodecimũ usq; annum, aut paulò amplius hac institutus disciplina, æquales omnis antecellebat, & celeriter discendo ea quæ opus erant, & pulchrè ac fortiter singula obeundo. Exhinc filiam suam Astyages eiusq; filium accersiuit, quippe qui eum uidere cupiebat, quem & pulchritudine audiret & probitate præstare. Venit igitur Mandane ad patrem, Cyrum filium secum habens. Ad quem simulac peruenisset, Cyrusq; nouisset Astyagen matris eius patrem, continuò, ut erat ingenio facili atq; perhumano, tum eum amplexatus est familiariter atq; perbenignè, ueluti si quis diu unà educatus, diuq; illum amans amplexaretur. Tum eundem exornatum intuens & suppicturatione oculorum, & coloris infricatione appositioneq; comarum, quæ fieri mos erat in Medis (hæc enim omnia Medorum sunt, & purpuræ tunicæ, & candidi amictus, & torques ad collum, & armillæ ad manus. At in Persis quum domi sunt, uel hoc tempore & uestes sunt uiliores, & uictus tenuiores.) Intuens inquam Cyrus aui Astyagis ornatum, fixis in eum oculis: O mater, inquit, ut pulcher est auus meus. Sed cùm mater eum rogasset uter ei pulchrior uideretur, patér ne, an auus: respondit Cyrus, O mater, Persarũ quidem pater meus longè est pulcherrimus: at Medis, quantũ scilicet ipse in uijs atq; in uenationibus uidi, meus hic auus maximè præstat pulchritudine. Quod audiens Astyages, rursus eũ amplexatus atq; osculatus, & pulcherrima stola induit, & torquibus armillisq; honorauit, ornauitq;: ac si quò equitaret, in equo freuis aureis insigni circunductabat, quemadmodum ipse quoq; proficisci cõsueuit. At Cyrus ut et puer, et elegans,

& am-

& ambitiosus delectabatur stola, atq; equitandi disciplina mirum in modum lætabatur. Nam in Persis, quoniam difficilè est & equos alere & equitare, quia montosa sit regio, uel uidere equum rarissimè datur. Cum uerò cœnaret Astyages unà cũ filia & nepote, uelletq; puerum quamsuauissima uti cœna quò minus res domesticas deficeraret, apposuit ei & paropsidas & omne genus pulpamenta & epulas. Itaq; aiunt dixisse Cyrũ: O aue quot negocia habes in cœna, si tibi necessariũ sit in omnia hæc fercula manus extendere & degustare hasce tam uarias multasq; epulas. Quid ais, inquit Astyages? Nónne tibi multò uidetur pulchrior hæc cœna quàm Persica? Atq; ille respondit: Aue, mihi sanè haud uidetur: sed longè simplicior apud nos ac rectior est ad explendum uia, quàm apud uos. Apud nos enim panis & carnes ad hoc deducunt. Vos autem cũ eôdem studetis peruenire quô nos, per multos circuitus ac ambages sursum deorsumq; errantes uix aliquando uenitis, quô nos iandudum peruenimus. Sed ô fili, inquit Astyages, hi errores nobis molesti non sunt: quòd si hæc tu quoq; gustaueris, cognosces admodum esse suauia. Tum Cyrus inquit: At ego aue uideo etiam tibi has epulas esse fastidio. Et Astyagen ferũt interrogasse: Et cuiusnam rei cõiectura istud ais? Quòd te, inquit, uideo cum panem tetigeris nihilo manum detergere, sed ubi horum quicquam attigeris, continuò manum purgas ad mantilia, ueluti molestè admodum feras istorum satietatem. Ad quæ subdidit Astyages: Si ergo ita sentis, ô fili, saltẽ carnibus uescere, quò robustior domum repetas: simulq; hæc locutus, permultũ ei carnium apposuit & syluestriũ & cicurum. At Cyrus cũ uidisset

Profusum obsoniorum apparatum fastidit Cyrus.

carnium tantum, ait: Num mihi das hasce carnes, ô aue, ut ipsis utar pro uoluntate? Do tibi, inquit, ô puer. Tum igitur Cyrus acceptis carnibus eas distribuit inter ministros aui, cum huiusmodi uerbis: Tibi quidem hoc à me datur, quod alacriter mihi tradis equitandi præcepta. Tibi autem, quòd tragulam dedisti mihi: nam hanc ego nunc habeo. Tibi uerò, quoniam auo perpulchrè inseruis. Tibi quoque, quia patrem meum honore prosequeris. Hæc faciebat, donec distribueret carnes omnis quas accepisset. Sed Astyages, Sacæ, inquit, pincernæ, quem ego honoro maximè, nihil das? Erat autem hic Sacas excellenti forma, eaq; fungebatur dignitate, ut eos deduceret, quibus Astyage opus foret, intempestiuos autem arceret. Sed Cyrus ut puer adhuc ueritus nihil, rogat inconsultò Astyagen: Quam ob rem aue hunc ita honoras? Cui Astyages cauillatus, inquit: An minus uides quàm pulchrè quamq; aptè uinum fundit? Horum enim regum pincernæ aptissimè ac purissimè uinum fundunt, ferentesq; phialam tribus digitis eam præbent. Afferunt enim ita, ut qui bibiturus est, poculum capiat commodissimè. Tum Cyrus ait: Iube igitur Sacæ, ô aue, ut mihi poculum tradat, quò ipse quoque pulcherrimè uinum fundens te mihi conciliem, si potero. Quod ubi iussisset Astyages, Cyrus accepto poculo ita illud bene eluit, ut Sacan uiderat. Iam etiam composita facie studiosè & aptè quodammodo præbuit, tradiditq; in manum phialam ipsi auo, ut & matrem & Astyagen multo risu afficeret. Cyrus uerò ipse profusus in risum ad auum prosiluit, eumq; simul osculatus ait: O Saca peristi, ex honore te eijciam: nam & pincernæ officio melius quàm tu fungar,

fungar, & nõ bibam uinum ut tu. Regum enim pincernæ cùm dant phialam, ex ea uinũ cyatho haustum fundentes in sinistram manum obsorbent, ne si uenena infudissent, ipsi nõ lædantur. Hinc Astyages ait per cauillum: Cur Cyre, qui alijs in rebus Sacam imitaris, nõ uinum obsorbuisti? Quòd metueram, inquit, medius fidius, ne in cratere mixta uenena forent. Etenim cùm tu in natalitijs amicos accepisti, perspicuè didici eum uobis uenena infudisse. Et quonam pacto, inquit ille, ô fili, hoc dignosti? Quòd, inquit, uos uidebam neq; mentis esse neq; corporis compotes. Primùm, quæ à uobis pueri facere prohibemur, hæc uos faciebatis. Omnes enim clamabatis simul, & intelligebatis inuicem nihil. Canebatis magno cum ridiculo, & cùm canentem minimè audiretis, iurabatis optimè eum canere. Et quisq; uestrûm cùm de suis uiribus loqueretur, mox saltaturi surgebatis, cùm nõ modò ad numerum nõ saltare, sed ne erigi quidem possetis. Eratisq; obliti omnino, & tu, quòd rex esses, & alij, quòd sibi imperares. Per id enim temporis ego primũ didici, hoc quod à uobis tum agebatur, causam esse perpetuæ uestræ confabulationis. Itaq; nunquam tacebatis. Et Astyages ait: At patrem tuum fili, cùm bibit, nónne capit ebrietas? Non, inquit, mehercule. Sed quomodo facit? Sitim extinguit, et patitur aliud mali nihil. Non enim Sacas ei, credo, uinum fundit. Mater autem inquit: Quid tandem fili adeò Sacam oppugnas? Quoniam, inquit Cyrus, ipse odio mihi est, quippe qui me sæpe cupientẽ ad auum accurrere, prohibet homo sceleratissimus. Verũ te suppliciter aue precor, da mihi tris dies in Sacam imperium. Et Astyages inquit: Quo pacto ei imperitaueris? Cyrus autem re-

Cyri reprehensio in auum de uita immodica

ſpondit: Stans ego, quemadmodum hic in aditu, cùm uoluerit ingredi ad prandium, dicerem, nondum fieri poſſe, ut prandio interſis: auus enim quibuſdam uiris dat operam. Deinde cùm ad cœnam uenerit, dicturus ſim, quòd auus lauatur. Cum uerò magno ueſcendi deſiderio affice retur, dicerem, auum eſſe apud mulieres. Tandem aliquando ita ego hunc protrahèrem, ſicuti ipſe me ab auo arcendo protrahit. Tot inter cœnandũ relaxationes animorum eis præbebat Cyrus. Interdiu uerò ſi qua reſenti ret, uel auum uel auunculum indigere, ad id officij omnes anteuertebat. Quicquid enim Cyrus gratificari ijs poſſet, quamlibentiſſimè obibat. At cum Mandane reditum pararet ad uirum, rogabat eam Aſtyages, Cyrum apud ſe linqueret. quæ uelle quidem, reſpondit, omnibus in rebus patri morem gerere, uerũ putare eſſe factu difficile, inuitum puerum dimittere. Hîc Aſtyages ait ad Cyrum: O fili, ſi apud me manſeris, omnium primùm aditus ad me tui, nulla Sacæ facultas erit, ſed poteſtas omnis in te futura eſt: habebóq; tibi gratias, quanto ſæpius ad me ieris. Dein & equis meis & alijs utêris, quot uolueris. Et cùm abire inſtitueris, habiturus es quoſcunq; libuerit abeunti tibi. Præterea incedes quam uiam ipſe delegeris pro cœnæ mediocritate ex ſententia tua. Inſuper tibi do & quæ nunc in hortis feræ ſunt, & alias omne genus colligam, quas cumprimùm equitare didiceris, inſequêris, proſternesq; & ſagittando & iaculando, ut uiri magni. Præbeboq; tibi pueros colluſores, & alia omnia conſequêris. quæ uelle te dixeris. Hæc Aſtyages ubi dixiſſet, Cyrum mater interrogabat, utrum uellet, manere ne an abire? Hic autem nihil cunctatur, ſed quamcelerrimè ſe uelle

se uelle manere respondit. Rursusq; interrogatus à matre, quam ob rem: dixisse fertur, Quoniam domi, ô mater, & sum, & uideor esse æqualibus superior iaculando sagittandoq;: hic autem noui me esse æqualibus meis equitando inferiorē: quæ quidem res mihi mater est permolesta. Quòd si me hic reliqueris, equitationemq; didicero, cùm in Persis fuero, facilè arbitror me illis omnibus fore superiorem, qui pedestri præstant. Cùm uerò uenero huc ad Medos, enitar (quia factus iam fuero bonorum equitum optimus) auo auxilium ferre. At iustitiam, inquit mater, ô fili, quî disces, cùm magistri tui sint in Persis? Respondit q; Cyrus: Verùm hæc ego mater examussim calleo. Quî id tibi cognitum est? inquit mater. Quoniam meus magister, inquit, me perinde atq; iustitiam optimè tenentē constituit alijs iudicem. Atqui olim in quadam lite uerberibus cæsus sum, utpote qui minus rectè iudicarim. Erat autem causa huiusmodi: Puer magnus corpore, cui parua esset tunica, alterum paruum puerū qui tunicam haberet magnam exuerat, suaq; illum tunica induerat, illius tunica se induto. Ego igitur horum causa audita, iudicaui esse melius ambobus, ut aptam uterque haberet tunicam. Itaque hac in re magister me percussit, inquiens: Si de conuenientia essem iudex, ita iudicare oportere: cùm uerò iudicandum fuerit, utrius sit tunica, hoc ita considerandum esse: Quæ possessio est iusta? utrum habere is debet, qui ui tunicam abstulit, an hic possidere, qui uel fecit, uel emit? quoniam id est, ait, iustum, quod legitimum sit: quod uerò sit contra legem, id est uiolentum. Quare secundum legem iubebat semper ferendam esse à iudice sententiam. Ita igitur ego

Iudicium Cyri.

mater iura omnino diligenter calleo. Quòd si quid mihi fortasse defuerit, meus hic auus me docebit. At non eadem fili, inquit Mandane, iura conueniũt & apud auum & inter Persas. Nam hic auus tuus rex Medorum omnis habet in potestate sua: at in Persis æqualitatem seruare iustum ducitur. Tuusq; pater primum constituta facit, quæ facit reipublicæ. Constituta etiã accipit. Estq; ei modus non libido, sed lex. Caue igitur, ne uerberibus cæsus pereas cùm domum reuerteris, si uenias accepta ab hoc rei tyrannicæ, pro regiæ rei disciplina. Nam in tyranni de decorũ existimatur plus habere quàm omnes. At pater tuus, inquit, ô mater, peritior est, docendi minus quàm plus habere. An minus fortasse uides eum docuisse Medos omnis minus habere, quàm sese? Esto igitur bono animo. Pater enim tuus neq; alium quenquam, neque me ita edoctum ab se dimittet, ut sim habendo superior. Cùm talia Cyrus confidentius loqueretur, ad postremum abiuit mater, cùm ipse illic relictus apud auum educaretur, celeriterq; æqualibus cõmiscebatur ad familiarem consuetudinem. Quorũ etiam parentes adiens, liquidoq; ostendens eorum à se filios plurimum diligi, sibi cuestigio reddebat affectos, ut qui indolem admirarentur. Itaque si qua uellent in re beneficio uti regis, hi filios iubebant, rogarent Cyrum, id sibi ut perficeret. At Cyrus rogatu puerorũ, ut erat & humanus & honoris appetens, plurimi faciebat petita transigere. Astyages uerò si quid esset rogatus à Cyro, aduersari non poterat, quin ei morem gereret. Etenim auũ in ægrotatione, qua olim correptus est, reliquit nunquam, neque flere unquam destitit, sed omnibus clarum reddidit se de aui obitu ma-

tu maiorem in modum pertimescere. Nanq; si quid noctu Astyagi opus esset, Cyrus sentiebat primus, & omnium impigerrimus exiliebat ministraturus, quod auo gratum fore censeret. Quibus rebus sibi Astyagen omnino deuinxerat. Et erat fortasse Cyrus aliquantò loquacior, idq; tum ob disciplinam, quòd cogeretur à magistro, & rationem reddere eorum quæ faciebat, & ab alijs accipere cùm causam audiret: tum etiam quòd ob discendi studium & multa ipse semper à præsentibus requirebat, ut haberent, & quæcunq; per alios quæsita essent, ob dexteritatẽ ingenij celeriter respondebat. Quare ex hisce omnibus multus ei sermo conflabatur. Sed quemadmodnm hi iuuenes, qui corporibus supra ætatem quanquam adoleuerunt, ostendunt tamen iuuenile quid dam, id quod annorũ paucitatẽ arguit: ita ex Cyri multiloquio non audacia promebatur, sed simplicitas quædam atq; lenitas: quò fiebat, ut quis cuperet plura etiam eum dicentem audire, quàm tacenti adesse. Vt autẽ produxit eum tempus cum magnitudine corporis ad pubertatem, tum & oratione utebatur breuiore, & uoce sedatiore: ac pudore adeò afficiebatur, ut etiam erubescceret, cùm in seniores incideret. Nec eandem habebat petulantem adulationem æquè ingerendi se omnibus. Itaq; erat ira remissior, & in congressibus gratus admodum ac iucundus. Etenim quæ sæpenumero æquales inuicem decertant, non ad ea socios prouocabat, quæ norat melius se tenere: sed in quibus certò sciret sese esse inferiorem, ab ijs initium faciebat, futurum inquiens, ut melius quàm hi faceret. Quare incipiebat uel in equos prosilire, uel sagittare, uel iaculari ab equis, cùm nondum bene equæ

insideret: cumq; uinceretur, ipse plurimum ridebat de seipso. Verum ubi non detrectat id agere, quo superatus foret, sed eodem reuolutus tentat idem rursus melius facere, breui eò peruenit, ut æque atq; æquales equestrem sciret: breui etiam ob rei studium illis superior factus est: breui quoque in hortis quæ seruabantur feras consumpsit insequens, feriens, interimens, adeò ut Astyages nequiret ei bestias colligere. Quare Cyrus ubi sensisset auum non posse, quamuis uellet, multas sibi uiuas præbere feras, ait: O aue, quid est opus ut labores in bestijs quærendis? Si me in uenationem emiseris unà cum auunculo, facilè putabo feras omnis quas uidero, ali à te mihi. Cùm uehemẽter autem cuperet exire in uenationem, non itidem ut cùm esset puer, rogare auum blandius poterat, sed uerecundius adibat: & quæ Sacæ antea uitio dabat, quòd nõ se ire ad auũ sineret, ipse iam sibi factus est Sacas. Non enim adibat, nisi uideret esse tempestiuum, Sacamq; rogabat, omnino sibi significaret, quando foret introëundi tempus, & quando tempestiuum non esset. Quare & Sacæ & alijs omnibus erat is iam charissimus. Vbi igitur nouit Astyages Cyrum magna teneri cupiditate in uenationem egrediendi, emittit eum unà cum auunculo, datis etiam unà custodibus quibusdam equitibus senioribus, qui eum tum à locorũ difficultatibus, tum à syluestribus feris custodirent, si quæ apparuissent. Cyrus igitur promptè eos, qui se sequebantur, interrogabat, quæ feræ proximè adeundæ non sint, & quæ fidenter insequendæ. Hi autem dicebant, permultos cum ursis & apris & leonibus & pardalibus congressos, esse interemptos: ceruas & capreas, & syluestris

stris oues, & asinos etiam syluestris esse innocuos. Addebant hoc præterea, nihilo esse minus locorum difficultates obseruandas quàm bestias: iam enim plures simul cum ipsis equis præcipites corruisse. Quæ quidem omnia Cyrus strenuè discebat. Sed ubi ceruam uidisset exilientem, omnium quæ audierat oblitus, eam insequebatur, aliud nihil aspiciens, quàm quô fugeret, cùm eius equus prosiliens cadit in genua, & illi propè collum enodauit, quin Cyrus uix equo se continuit. Surgente autem equo ut uenit in campum, ceruam iaculo prosternit, rem sanè pulchram ac magnam. Cyrus igitur plurimum lætabatur. At custodes adequitantes conuicio eum appetebant, dicentes, quantum in periculum deuenisset, subdiderant q; eum se ad auum delaturos. Itaq; Cyrus equo descendit, stabatq;, atq; his auditis tristis erat: sed ubi clamorem sensisset, in equum tanquam lymphatus resiluit, uidensq; aprum ex aduerso tendentem, ei obuius equum agit, iaculoq; contorto aprum rectissimè in frontẽ ferit ac detinet. Hìc etiam iam auunculus uisa audacia, cõuicio Cyrum afficit, qui eum quamuis obiurgantem, orabat tamen, ut has feras omnis quas cepisset, sineret portare se, atq; auo dare. Sed auunculus fertur dixisse: At auus si te hasce insecutum senserit, non te modò acerrimè increpabit, sed etiã me, qui te id facere permiserim. Quinimò si libuerit, inquit Cyrus, meipsum uerberet, ubi has ego dedero. Et tu quoq;, ait, auuncule crucia me ut libet, modò mihi hoc gratificeris. Ac Cyaxares tandem inquit: Facito ut uis, tu enim ut uideris hoc sanè die geris in nos imperium. Ita igitur Cyrus portatis feris & dabat eas auo, & illi se uenatũ illas dicebat. Et iacula

quidem minimè monstrabat, sed ea cruore illita illic posuerat, ubi ab auo uisum iri arbitrabatur. At Astyages: Num, inquit, uerum, ô fili? accipio equidem libenter quæcunq; abs te dantur: sed nihilo horum egeo, quò ipse pericliteris. Et Cyrus inquit: Si igitur tu non eges, oro te aue, ut has feras des mihi in meos æqualis distribuendas. Cui Astyages respondit: Accipe fili has feras, & aliud quodcunq; libuerit, & distribue pro tua uoluntate. Quibus Cyrus acceptis, eas distribuebat inter pueros, simulq; dicebat: O pueri, ut certè nugabamur, quando hortorum feras uenabamur? Nam id mihi simile uidetur, quemadmodum si quis ligata animalia uenaretur. Primùm enim erant paruo in loco, deinde tenues & scabidæ, & alia earum clauda erat, alia manca. Sed quæ in montibus bestiæ sunt & pratis, ut sunt pulchræ? ut sunt magnæ? ut pingues apparebant? Atq; ceruæ quidem tanquam uolucres saltu tollebantur ad cœlum: apri uerò, ut uiri fortes traduntur, ferebantur aduersi, quorum tanta est latitudo, ut ab his ictus aberrare nequeat. Pulchriores profectò hæ mihi feræ uidentur uel mortuæ, quàm uiuæ illæ munimine hortorum muroq; occlusæ. Num, inquit, permitterent uos parentes uenatum ire? Et facilè quidem, illi respondebant, si Astyages iusserit. Quis igitur uestrûm, inquit Cyrus, sit apud Astyagen internuncius? Quis enim, dixere, te alius persuadere melius poterit? At ego mediusfidius qui homo factus sim, nescio: neq; enim facere possum uerbum, neq; respicere ad auum iam ex æquo. Quòd si tantum creuero, uereor ne secors quispiam reddar & fatuus. Cùm puellus essem, uidebar in loquendo accerrimus. Ad quod dicebant

pueri

pueri: Male habere negocium dicis, si ne nostra quidem causa ubi quid opus fuerit possis agere, sed alium quenquam id nos rogare oporteat quod in te sit. Quæ Cyrus audiens, animi angebatur, atq; abiens cum silentio, seq; ipse ad audendum hortatus, ad auum ingressus est, meditatus quæ illi sine ulla prorsus molestia loqueretur, perficeretq; & sibi & pueris quæ rogabant. Hoc igitur eius fuit initium: Dic, inquit, mihi ô aue, si quis è famulis tuis aufugerit, & eum postea ceperis, quî eo uteris? Quî aliter, inquit, quàm ut eum uinctum cogam operis exerceri? Quòd si ultrò ad te reuerterit, quomodo facies? Quid, inquit, aliud quàm ut uerberibus cæso, ne hoc iterum faciat, utar ut antea? Tempus tibi fuerit, inquit Cyrus, parare quò me uerberes, quoniam statui à te fugam facere, æquales capiens ad uenandum. Atque, inquit Astyages, pulchrè abs te factum est quòd prædixeris: extrinsecus ne mouearis, tibi caue. Pulchrũ est enim si carnicularum gratia, filiæ Mandanæ filium perdidero. Quibus auditis paruit auo Cyrus, ac mansit. Cumq; tristis & mœstus esset, tacitus degebat. Astyages uerò ubi eum nouit uehementius tristari, uelletq; ei rem gratam facere, educit ad uenationẽ & pedites multos & equites, congregatis etiam pueris. Cumq; in eam pestrem regionem feras compulisset, magnam fecit uenationem. Atq; ipse regio more præsens uetabat quenquam bestias ferire, priusquam Cyrus feriendo expleretur. At Cyrus impedire alios non sinebat: sed si uis aue, inquit, libenter me uenari, permitte meos æquales omnis & insequi & certare ut quisq; possit quamoptimè. Hic igitur Astyages permittit, stansq; eos spectabat,

qui & æmularentur in bestias, & contenderent, & inse querentur, iacularenturq;. Ac Cyro quidem delectabatur, quòd præ uoluptate silere non posset, sed tanquam generosus catulus circuiret cùm propinquabat feræ, & quenq; nominatim uocans hortaretur. Vidensq; Cyrum deridere alium, & alium sentiens laudare, ac nemini inuidere, plurimum gaudebat. Abijt domum Astyages bestias plurimas secum habens: cæterum uenatione est adeò tum delectatus, ut semper cùm per ociũ liceret, unà cum Cyro egrederetur, aliosq; quamplurimos pueros Cyri gratia assumeret. Cyrus igitur plurimũ temporis ita egit, sese omnibus uoluptatis boniq; cuiusquam, nullius autem improbitatis autorem præstans. Cùm uerò quintum sextúmue ac decimum ageret ætatis annũ, regis Assyriorum filius uxorem ducturus cupiuit etiam ipse per idem temporis uenari. Audiẽs igitur in ijs locis, quæ Assyrios Medosq; dirimunt, feras esse permultas, quoniam cessatum esset ab illarum uenatione propter bellum, cupiditate affectus est eò excundi. Quò igitur tutius uenaretur, & equites pluris assumpsit & scutatos, qui feras expellerent ex asperioribus syluis in locos cultos atq; spacioſos. Sed postaquam eò uenit, ubi ijs erant castella & statio, hic cœnatus est, quò postridie manè uenaretur. Vbi uerò tempus uespertinũ iam esset, aduenerũt ex urbe, qui priori stationi succederent & equites & pedites. Is igitur arbitratus est multũ adesse exercitum, cùm duæ stationes simul essent, & secum ipse permultos adduxisset equites ac pedites: itaq; consilium cepit, optimum factu esse, ut prædam ageret ex Medorum solo, ita ratus & opus uenationis clarius uisum iri, & uictimarum copiam

piam fore maximam. Manè igitur surgens ita agebat agmen. Pedites liquit frequentis intra fines: ipse uerò cum equitatu immittens uersus Medorum castella, hic manebat, optimos secum habens atq; plurimos equites, ne præsidiarij Medorum milites possent aduersus palantes suos auxilium ferre. Idoneos uerò dimisit per tribus, aliosaliò discurrentis: iubebatq; ut facta præda, prout quis incideret, ad sese equitarent: & hi quidem hæc agebant. Sed ubi increbuisset apud Astyagen in agro suo esse hostes, ipse cum suis auxilium tulit ad confinia: idemq; fecit filius simul cum præsenti equitatu, alijsq; omnibus ut ipsi quoq; auxilio essent, significat. Vbi autem uidisset Assyrios magna hominum multitudine instructos, & equites quietem agere, steterunt etiam Medi. Cyrus uerò intuitus totis uiribus alios auxilium ferre, ipse quoq; auxiliator accedit tum primum indutus arma, cùm ne id quidem esset unquam suspicatus, usqueadeo armari ijs cupiebat. Ea enim arma quæ ab auo sunt facta, & perpulchra erant, & aptißima eius corpori. Ita ergo armatus equo adactus est. Quod uidens Astyages, non potuit nõ mirari cuius iussu ueniisset, eiq; tamen dicebat, iuxta se ut maneret. At Cyrus cùm uidisset multos aduersos equites, rogabat: Num hi aue, inquiens, hostes sunt, qui stant cum equis adeò quietè? Hostes, inquit Astyages. An etiam illi, ait, qui equitant? Illi quoq;, respondit. Papæ, Cyrus ait, ô aue: ueruntamen & aspectu ignaui, & super equuleos ignauos res nostras abigunt: itaque opus est, ut ex nostris aliqui aduersus eos immittantur. At non aspicis, inquit, ô fili, quantus equitum globus stat cum equis instructus? qui si aduersus illos nos agamur,

rursus nos intercludent. Neq; adhuc nobis adsunt copiæ. Verùm si tu manseris, inquit Cyrus, & auxilium ferentis exceperis, metuent hi, neq; se mouebunt: qui autem prædam agunt, cùm uiderint aliquos in se impetus facientis, eam dimittent. Visus est Cyrus Astyagi aliquid dicere, simulq; admiratus uim acrimoniamq; ingenij, iubet Cyaxari filio, ut accepta equitum manu eos inuadat, qui prædam agunt. Ego autem in hos ferar, si aduersus te moueantur. Itaq; nos cogentur obseruare. Ita ergo Cyaxares acceptis equis uirisq; robustissimis in hostes agitur: quos Cyrus moueri ut uidit, ipse etiam motus sese primus celeriter ducem præstitit: quem & Cyaxares sequebatur, & alij quoq;. Eos autem propinquantis ut uidere, qui prædabantur, continuò dimissis rebus uertuntur in fugam. Cyri autem milites eos intercludentes, quoscunq; assequerentur continuò feriebant, Cyrusq; in primis, eosq; post terga pertinacius insequentes, quotquot dilapsi sunt, cœpere nonnullos. Et quemadmodum generosus canis ob ruditatem temerè fertur aduersus aprum, ita etiam Cyrus ferebatur, nil aliud uidens quàm captum percutere, atq; aliud prouidens nihil. At hostes ut uidere suos laborantis, promouere globum, quò insequentis auerterent, cùm eos intuerentur progredi. Cyrus autem nihilo remissior, quinimò auunculum præ gaudio cohortans insequebatur hostes, eosq; acriter premens, uehementem fugam facere cogebat. Ac Cyaxares quidem sequebatur ob patris fortassis uerecundiam, atq; alij quoq; sequebantur, & erant ad fugandum hi tum etiam alacriores, quamuis essent hostibus non admodum pares uiribus. At Astyages ut uidit

hos

hos temerè insequi, hostes autem frequentis instructosq; occurrere, filio atq; Cyro metuens ne ipsi imparati in illos paratos incidentes quicquam aduersi paterentur, ad uersus hostes continuò agebat exercitum. Sed illi rursus ut Medos uiderent promoueri, intendentes alij tragulas, alij sagittas, constitere, perinde atq; eos progredi prohibituri, cùm ad iactum sagittæ uentum foret, ut sæpenumero facere consuerunt. Cum enim propè essent, hucusq; se inuicem adoriebantur, & uelitationibus persæpe ad uesperam usq; certabant. Sed ubi uiderunt Assyrij & suos fuga recipere se ad exercitum, & Cyri milites ferri frequentis aduersus eos, & Astyagen cum equitibus iam adesse intra iactum sagittæ, inclinata acie uertuntur in fugam. Medi uerò inde scilicet totis uiribus insequentes, permultos fecere captiuos: quosq; caperent, & equos feriebant & uiros, cadentis uerò interimebant. Nec stetere prius, quàm ad Assyriorum peditatum peruentum esset. Hic ueriti, ne insidiæ aliquæ subesserent, substiterunt. Hinc igitur reduxit exercitum Astyages, equestri lætus uictoria, nec obiurgandi Cyri rationem habens, quem & eius operis autorem sciret, & audentia furentem nosset. Etenim cæteris abeuntibus domum, solus omnium ille tum aliud nihil quàm interemptos obequitans spectabat: ac uix eum qui huic rei præfecti erant abstrahentes, ad Astyagen adduxerunt: quos ille multo ante se præmisit, quoniam aui faciem intueretur in se spectando turbatam. Hæc igitur gerebantur in Medis. Et cum alij omnes Cyrum habebant in ore, & oratione, & carminibus, tum Astyages quem antea honorabat, tum maximo stupore prosequebatur. At Cyri pater Cambyses his

auditis lætabatur. Sed ubi accepiſſet iam res uiro dignas ab eo geri, illum ad ſe reuocauit, quò patria inſtituta diſcendo abſolueret. Hic Cyrus dixiſſe traditur, ſibi eſſe abeundum, ne quid pater moleſtè ferret, ac ciuitas uitio ſibi daret. Itaq; Aſtyagi uiſum eſt neceſſarium, ut eum remitteret. Quare datis ei equis, quos ipſi capere libuiſſet, cum alio multo apparatu, ab ſe dimiſit: idq; tum quia illum charißimum haberet, tum etiam quia magnam in eo ſpem reponeret, ut qui uir ſatis futurus eſſet qui & prodeſſet amicis, & maleſaceret inimicis. Cyrum autem abeuntẽ omnes in equis deducebant, & pueri, & æquales, & uiri, & ſenes, & Aſtyages etiam ipſe. Feruntq; fuiſſe neminem, qui ſine lachrymis reuerteretur. Et ipſe etiã Cyrus dicitur multis cum lachrymis deceßiſſe. Qui cum dona plurima diſtribuiſſet inter æquales, quibus donatus fuerat ab Aſtyage, dediſſetq; ad poſtremũ exutus ſtolam Medicam cuidam, hunc ſignificans ſibi eſſe charum & periucundum, ea illi cum accepiſſent admiſiſſentq;, detulerunt ad Aſtyagen. Quæ Aſtyages accepta rurſus miſit ad Cyrum. At ea Cyrus iterum miſit ad Medos, dicẽs: O aue, ſi uis me rurſus audacter ad te ire, ſine hæc eos habere, quibus data à me ſunt. Quibus Aſtyages auditis, Cyri uoluntati eſt obſecutus. Quòd ſi amatorij ſermonis mentio eſt faciunda, dicitur in Cyri abitione, cum ſe inuicem ſeiungerent, cognatos per oſculum oris eum ab ſeſe amiſiſſe lege Perſarum. Etenim hoc etiam tempore id faciunt Perſæ. Medus autem quidam, qui & honeſtus ualde & bonus uir eſſet, diu in ſtuporem adductus eſt ob Cyri formæ præſtantiam. Hic cum uideret cognatos illum oſculantis, ipſe ſubſtitit. Vbi uerò alij

Cognatos oſculari, lex Perſarum.

rò alij abierunt, Cyrum adijt, atque ait: Me solum ex cognatis Cyre ignoras? Cui respondit Cyrus: Num etiam tu cognatus es? Maximè, inquit. Propterea, inquit Cyrus, me intueris? Nam sæpe mihi hoc facere uisus es. Adire enim te, inquit, cùm usq; uellem, per deos immortalis me pudebat. At nullo, inquit Cyrus, te pudore teneri oportebat, cùm esses necessarius: simulq; adeuntem osculatus est. Et Medus post acceptum osculum quæsisse dicitur, num etiam inter Persas hæc esset consuetudo cognatos osculandi. Maximè, inquit, ubi aut post curriculum temporis se inuicem uideant, aut aliquò ab inuicem eant. Hora esset admodum, inquit Medus, osculandi mei rursus. Iam enim, ut uides, abeo. Et Cyrus eum osculatus ab se dimittit. Qui cùm abisset, ac nondum multùm peregisset itineris, iterũ uenit sudanti equo. Et Cyrus hunc intuitus, Num, ait, eorum aliquid es oblitus, quæ dicere mihi uelles? Non equidem respondit, sed ueni post curriculum temporis. Cui Cyrus inquit: At mediusfidius breue ô cognate. Quod breue, Medus respondit? An ignoras Cyre, quòd quantulum etiam temporis oculos moueo, mihi uidetur esse permultum, quòd tum te talem nõ aspicio? Atq; hìc Cyrus ex prioribus lachrymis primùm risit, & abeunti illi, Confide, inquit, nam post parum temporis uobis adero. Itaq; tibi si uolueris, aspicere me licebit uel fixis oculis. Cyrus igitur cùm ita abisset, in Persis traditur annum etiam egisse inter pueros, qui primũ cauillis eum appetebant, tanquã rediisset edoctus in Medis uoluptuose uiuere. Sed ubi uiderent eum quemadmodum ipsos & comedentẽ suauiter & bibentẽ, & in festo die si quãdo epulatio fieret, de portione

etiam sua alijs dantẽ potius quàm quòd ipse egeret, eum sentirẽt: ad hæc alijs quoq; in rebus omnibus eundem sibi præstare cognoscerent, hic rursus eum æquales uerebantur. Quum hanc uerò pueritiæ disciplinam absoluisset, & pubertatem iam esset ingressus, inter puberes ĩtem uisus est tenere principatum, tum ea exercens, quæ par foret, & tolerans quæ oporteret, & reuerentia utens in senioris, & magistratibus parens. Temporis autem progressu moritur in Medis Astyages, & Cyaxares Astyagis filius, fraterq; Mandanes regnum Medorum possidebat. At rex Assyriorum Syris omnibus subiugatis, natione sanè maxima, & Arabum rege in deditionem acto, ac subditis iam Hyrcanis, Bactrianisq; obsessis, cum arbitraretur, si Medos fecisset imbecillos, futurum ut finitimis omnibus facilè imperaret, cum hæc natio uideretur finitimorum omnium ualidissima: mittit & ad subditos suos omnis, & ad regem Lydorum Crœsum, & ad regem Cappadocum, & ad Phrygas utrosq;, & ad Paphlagonas & Indos, & ad Caras & Cilicas, tum apud eos insimulans Medos ac Persas, tum etiam dicens hasce gentes & magnas esse, & ualidas, & ad idem consentientis, & mutuis inter sese matrimonijs coniunctas, atq; in unum conuenientis: periclitariq; nisi quis eos anteuertẽs debilitarit, ut singulas adorti nationes in seruitutẽ agant. Quare his uerbis alij persuasi, alij muneribus ac pecunijs inducti, quibus ille plurimum abundabat, faciebant cum illo societatẽ. At Cyaxares Astyagis filius cum accepisset & insidias eorum & apparatum aduersus sese, tum ipse cõtinuò omnia parabat cõtrà, quæ poterat, tum mittebat in Persas & ad rempub.

& ad

& ad Cambysen, qui & sororem haberet uxorem, & regnaret in Persis: mittebat etiam ad Cyrum, cum rogãs operam daret, ut si quos milites respublica Persarum in auxilium sibi mitteret, eorũ ipse iret imperator. Iam enim Cyrus impletis annis decem inter puberes, erat in perfectæ ætatis uiris. Ita igitur cum rem Cyrus approbasset, seniores consultantes exercitus legunt eum imperatorem, qui mittebatur in Medos. Ad hæc ei dederunt, ut ducentos ex ijs legeret, qui ab honoris æqualitate homotimi uocantur: quibus item sigillatim dederũt electionem quaternorũ uirorum, & horum quoq; homotimorum. Ac fiunt hi quidem mille. quibus etiam singulatim constituerunt electionem expopulo Persarum denorum scutatorum, & funditorũ denorũ, ac sagittariorũ item denorum. Et ita fuere sagittarij decem millia, & scutati decem millia, & funditores quoq; decem millia. Præter hos autem erant ij mille homotimi. Tantus igitur exercitus Cyro datus est. Sed electus est, simulac initium fecit primùm à dijs immortalibus, factáq; per id temporis litatione, legit ducẽtos illos: qui ubi etiã ipsi sigillatim quaternos legissent, eos cõuocauit, & hæc tum primùm apud eos ita locutus est: Ego uos legi, uiri amicissimi, nõ propterea quòd nunc de uobis primùm periculum fecerim, sed quoniam uiderim ab usq; pueris, quæ ciuitas ad honestatem constituit, hisce uos alacriter operam dare: quæ autẽ ducit turpia, ab his omnino abstinere. Quorũ autem gratia & ipse nõ inuitus in hoc sum imperiũ constitutus, & uos rogaui, uolo hæc uobis non esse obscura. Cogitaui equidem maiores nostros nihilo fuisse nobis deteriores. Exercuerunt enim illi quoq; assiduè, quæ uirtutis ducum

Homotimi.

Concio Cyri.

tis ducuntur opera. Quod autem bonum uiri huiusmodi uel reipub. Persarum, uel sibijpsis addiderint, uidere id nequeo. Atqui nulli uirtuti, ut mea fert opinio, ab hominibus datur opera, quò nihilo plus habeant uiri probi q̃ improbi: sed & hi qui à præsentibus abstinent uoluptatibus non id agunt, ut lætentur nunquam, sed ut per hanc continentiam multò maiore in posterum tempus lætitia afficiantur: & hi qui dicendo student cæteris antecellere, nõ hoc exercent, ut à bene dicendo nunquam cessent, sed quod existimant hac orationis præstantia dum reddunt homines persuasos, fore, ut & multa & magna bona ipsi consequantur. Et item hi qui hasce bellicas res exercent, non hoc laborant ut à prælijs nunquam uacent, sed quia putant etiam hi, si rerum bellicarum gloria excelluerint, futurum ut multas opes, multam felicitatem, maximosq; honores, & sibi comparẽt & reipub. Quòd si qui uersati bellicis in rebus prius quàm fructum ab his quenquam perceperint, senectute redditos se uidere patiantur imbecillos, simile hi mihi uidentur pati, ueluti si quis bonus agricola esse studuerit & bene serendo & bene inserendo, cùm de his fructus capiundus est, cum non conuehat, sed sinat rursum humi defluere. Aut si quis in ludo per multum sese ad laborem exercuerit, & dignus uictoria defecerit ad calcem, neq; hic uidetur mihi nõ esse iure demẽtiæ accusandus. At ne uiri amicissimi hæc nos patiamur, cauendum est. Sed quoniam conscij nobis sumus, quòd ab usq; pueris rebus honestis bonisq; studuimus, eamus aduersus hostes, quos ego certò scio, quò ad nos, rudis esse imperitosq; bellandi ac planè inutilis. Nec enim hi boni bellatores sunt, qui etsi sagittãdi sunt & iaculandi

culandi equitandiq; periti, ibi tamen relaxentur, ubi laborandum fuerit, sunt enim rudes quod ad labores attinet. Neque hi, qui uigilandum cùm sit, uigilare nequeunt, suntq; hi rudes, quod ad somnum attinet. Nec item hi, qui quamuis hæc præstare possent, tamen quoniam neque amicis, neque hostibus uti nouerunt, magnarum disciplinarum non obscurè indocti sunt. At uos æquè nocte positis atq; alij uti die: labores uerò iucundæ uitæ duces existimatis: famem habetis pro obsonio: aquæ potum fertis facilius quàm leones. Et quam omnium pulcherrimam maximeq; ciuilem possessionem in animos importastis, laude magis quàm alijs rebus omnibus gaudetis. At laudis amatores necesse est huiusce rei gratia ea sibi comparare, quorum causa laudentur, ob eamq; rem omnem laborem, omne periculum quamliben tissimè subire. Quòd si hæc de uobis loquens aliter sentio, meipsum fallo. Nam quod minus huiusmodi per uos eueniet, aduersus me erratum uenturum sit. Verùm tum ob peritiam atque beneuolentiam in me uestram, tum ob hostium insciti am credo fore, ut me hæ spes optimæ haud falsum habeant. Itaque bona cum fiducia iter capiamus, quoniam liquidò iam patet nequaquam nos per iniuriam appetere aliena. Nunc enim hostes ueniunt autores inferendæ iniuriæ. Nos uerò amici in auxilium uocant. Quid igitur est aut iustius quàm propulsare iniuriam, aut pulchrius quàm amicis succurrere? Atqui uos illius etiam rei gratia fidere opinor, quòd haud ad bellum egrediar per neglectum rerũ diuinarũ. Nam qui de me plura cognoscitis, illud minimè ignoratis, me non solum in magnis rebus, sed etiam in paruis semper à

dijs immortalibus initium facere. Ad postremum inquit: Quid est amplius dicendum? Lectis uos assumptisq; uiris fortissimis, paratisq; rebus alijs, ite in Medos. Ego autem me iterum ad patrem refero, quò res hostilis quamcelerrimè edoctus, ea parem omnia quæ usui sunt, ut quamoptimè cum diuina ope belligeremus. Et hi quidem hæc gerebant. Cyrus autem domum reuersus, precatusq; Vestam patriam, atq; Iouem patriũ aliosq; deos, pergebat ad exercitum, eumq; pater unà deducebat. Sed posteaquam ædis egressi sunt, dicuntur fulgura ei atq; tonitrua dextera esse facta. Quæ ubi apparuissent, nullo præterea utentes alio augurio iter faciebant, quòd signa dei optimi maximi nihil aliud portenderent. Procedenti autem Cyro, pater huiusmodi sermonẽ facere est aggressus: O fili mihi charissime, quòd dij immortales te mittũt propitij ac mites, & in sacrificijs manifestum est, & in signis cœlestibus, id quod ipse etiam nosti. Nam rerum harum ego tibi doctrinam de industria tradidi, quò non alijs interpretibus mentes deorum calleres, sed ipse cognosceres & uidens & audiens, quæ uidenda audiendaq; sunt, neq; augures peteres, si uelint te decipere, dicentes alia quàm dij ipsi significẽt: neq; rursus ubi careas augure ambigeres, quid tibi diuinis signis portendatur, sed cognoscens per diuinationẽ deorum consulta, ipsis obtemperares. Atq; Cyrus inquit: O pater, quò dij non aduersi consulere nobis uelint, pro uiribus diligentiam adhibebo, ut mones. Memini enim ex te olim audisse, itidem à dijs illum magis exorare, quod uelit, quemadmodum etiam ab hominibus, qui nõ cum in difficultatibus fuerit, tum assentetur, sed quũ rebus secundis utitur, tum reminisca-

Pie dictum.

niſcatur deorum: & amicorum dicebas eandem habendam eſſe diligentiam. Propterea, inquit, ô fili, ob illos cultus libentius uenis deos rogaturus ita affectus, ſperasq; futurum ut magis quæcunq; rogaueris, cõſequare, quòd tibi conſcius ſis nunquam eorum cultui defuiſſe. Valde, inquit, ô pater, ita ſum affectus in deos, ut in amiciſſimos mihi. Quid enim fili, Cambyſes inquit, meminiſti ne illa, quæ nobis olim uidebantur, felicioris eſſe homines ſi didicere quæ dij dederint, quàm ſi eorũ fuerint inſcij? & ſi operantur, efficere magis, quàm ſi fuerint ocioſi? & ſi diligentiam adhibuerint, quàm ſi horum fuerint negligentes, degere poſſe ſecurius? Qui ergo tales ſe præſtarent, quales par eſt, ita nobis uidebatur bona ijs petenda eſſe à dijs immortalibus. Ita, inquit Cyrus, memini equidem hæc abs te audiſſe. Etenim neceſſariò parendum eſt orationi tuæ. Nam noui te dicere ſemper ſolitum, haud fas eſſe à dijs petere, neq; uictoriam eos equeſtri pugna, qui equitare nõ didiciſſent: neq; ſagittæ ignaros, ſuperare illos ſagittando, qui huiuſmodi peritiam callent: neq; gubernandi imperitos optare nauiũ ſalutem gubernando: neq; eos, qui frumentum nõ ſeuerint, ſibi precari frumentũ pulcherrimum naſci: neq; ſalutem petere, qui ſibi in bello non cauerint: huiuſmodi enim omnia eſſe præter diuina inſtituta. Sed qui optant nefaſta, dicebas conſentaneum eſſe hos æquè à dijs optata non conſequi, atq; ab hominibus non adipiſci, quæ illicita rogant. Sed illorum es ne oblitus, cùm ego ac tu commentaremur, ſufficiens uiri opus atq; pulchrum eſſe, ſi curare quis queat, ut & ipſe honeſtus ac bonus omnino ſit, reſq; ad uictum neceſſarias, tum ipſe, tum famuli habeant abundè: &

cùm magnum hoc opus esset? ita etiam scire alijs præesse hominibus, ut habituri sint omnis res necessarias affatim, & ut futuri sint omnes, qualis oportet, hoc nobis mirabile sanè uidebatur. Ita mediusfidius ô pater, memini hoc dixisse te: itaq; mihi quoq; uidebatur opus esse maximum pulchrè imperare, ac nunc eadem mihi uidentur, cùm ipsum imperandi munus mecum ipse considero. Equidem cùm ad alios homines oculos cõuertens animo uoluto, quales sunt qui principatũ obtineant, et quales hi qui sint nobiscum decertaturi, turpissimum mihi uidetur eiusmodi homines formidare, minusq; libenter ijs obuiam ire in pugnam, quos ego, ut ab hisce amicis nostris incipiam, sentio existimare id esse operæ precium, ut rex subditis antecellat cœnæ sumptu ac magnificentia, auri magnitudine, diuturniore somno, utq; omnibus in rebus minore degat cum labore quàm subditi. At ego arbitror decere principem subditis anteire, non dolo & ocio, sed prouidentia & industria. Verũ quædam sunt, inquit, fili, quæ non erga homines exerceri debent, sed circa res ipsas, quibus difficile est abũdare. Exempli gratia breui perituram imperium, ubi exercitus caruerit commeatu. Atqui hunc Cyaxares ipse ait, ô pater, præbiturum sese nostris hinc proficiscentibus omnibus. Vadis ne igitur, inquit, fili, fidem habens hisce Cyaxares pecunijs? Certè, inquit, ô pater. Quid, inquit, nosti quot pecuniæ ei sunt? Non mehercule, inquit Cyrus. Veruntamen fidem adhibes his rebus incertis? Quòd autem tibi grandi pecunia opus erit, & multa tibi hoc tempore alia impensa necessariò faciunda est, id haud nosti? Noui equidem, inquit Cyrus. Si igitur eum, inquit, impensa defecerit, uel

Principem subditos præstare qua in re maximè deceat.

rit, uel ipse etiam ultrò mentiatur, quomodo tibi exercitus res habebunt? Videlicet nequaquam bene. Idcirco, inquit, ô pater, si quem tu redditum uides, à me quoq; præstari posit, dum adhuc sumus in pacato, expone. Interrogas, inquit, fili, ecquis à te commeatus parari queat? A quo magis consentaneum est suppeditari commeatum, q̃ ab eo, qui exercitui præsit? Tu uerò hinc agis tecum peditatum, quem scio cum alio longè maiore non cõmutares. Equitatum autem Medorum, qui optimus est, socium habebis. Quam ergo finitimam gentem nõ existimas tibi gratificaturã, & obsequendi uoluntate, & metu pœnæ? Quæ quidem tibi unà cum Cyaxare considerandæ sunt, quò nunquam deficiat uos aliquid necessarium. Quin etiam assuescendi gratia excogitandus est pecuniarum redditus. Hoc insuper omnium maximè memineris, nunquam expectandum esse, ut tum cõmeatum pares, dum ipsa caritudo te coëgerit, sed cùm maximè abundaueris, tum ante indigentiã illum strue. Etenim magis à quibus opus fuerit, cum consequêris, cùm non uisus fueris indigere. Neq; præterea à tuis militibus accusabere. Magis etiam ex hac te re alij uerebuntur. Ac si quos tuis uiribus uolueris uel bono afficere uel malo, obsequẽtioris eris milites habiturus in rerum necessariarum copia. Et oratione tum utêris magis ad persuadendum appositâ, cùm maximè poteris demõstrare, te satis esse qui et bene possis, & male facere. Verùm Cyrus inquit: O pater, mihi uideris hæc omnia quamoptimè dicere: & item, quòd quæ nunc milites accipient, eorũ mihi nemo sit gratiam habiturus, quippe qui norunt, quas ob res eos Cyaxares socios accersit: & quòd ea præterea quæ quis accipiat,

tum sibi honori ducturi sunt, tum danti horum gratiam cõsentaneè plurimum habituri. Qui autem uires habet, quibus potest tum ijs amicis gratiam referre, qui de se bene meruerint, tum de his quos habet inimicos, operã dare ut ultionem sumat, hunc negligere pecuniæ redditum, putásne (inquit) minus esse turpe, quàm si quis & agros habeat, et ad eorum cultum operarios, deinde eos sinat ob negligentiam esse inutilis? Quare ita de me tibi persuade: nunquam fore, ut res necessarias militibus moliri negligam, neq; inter hostis, neq; inter amicos. Quid enim, inquit, fili, meministne quæ nobis olim necessariò uidebantur non esse negligenda? Non enim memini, inquit Cyrus, quandò ego sanè ueni ad te argentum petitu rus, quod ei soluerem, qui dicebat sententiam rei militaris mihi tradidisse: & tu id mihi cum dedisses, ita me simul quodammodo interrogabas: Num fili in præceptis rei militaris uir iste, cui fers mercedem, fecit ullam etiã mentionem de administratione rei familiaris? Nihilo certè minus rebus ad uictum necessarijs est opus militibus, q̃ in domo famulis. Sed ubi ego tibi ueritatem loquens, respondissem illum hac de re nihil omnino meminisse: rursus ex me quærebas, si quam mihi præceptionem tradidisset de bona ualetudine, aut de uiribus corporis, perinde atque imperatorem oporteat non secus de his rebus, quàm de re militari habere mentionem. Cum uerò hæc etiam negassem, rursus ex me quærebas, si quam dedisset mihi doctrinam de reddendis socijs optimis circa singula belli opera. Quod ubi etiam negassem, hoc idem es percunctatus, dedisséte mihi institutionem ullam de inijcienda militibus alacritate & promptitudine, cum di

ceres

ceres alacritatem ignauiæ atq; inertiæ omnino præstare in omni opere. Vbi autem hoc quoq; abnuissem, quærebas item argutius, si quam habuisset orationem de præcipua imperatoris industria ad persuadendum exercitum. Quod cùm negassem omnino, rogabas me ad postremum, qua tandem ille doctrina diceret me scientia rei militaris ab sese institui. Cui cùm responderem, instruendi exercitus doctrina: risisti tu quidem, mihiq; unumquodque conferens enarrasti, cui exercitus instructio utilitati foret rei militari sine commeatu, sine bona ualetudine, sine scientia dictarum artium circa rem bellicam, sine obedientia. Cumq; mihi ostendisses, nosse aciem instruere, breuem quandam esse partem rei militaris: ipseq; rogassem, si quid horum posses me docere, iussisti ut irem, & cum his uiris dissererem, qui militares habentur, & ex ijs quærerem, qua ratione hæc singillatim fierent. Ex hoc igitur tempore eorum ego consuetudine usus sum, quos huius rei prudentißimos esse audiebam. Et de alimento quidem sum persuasus id satis fore, quod Cyaxares nobis præbuerit. De bona uerò ualetudine, quod & audirem, & uiderem etiam urbes, quibus bene ualere opus esset, medicos eligere, & duces militum gratia medicos educere: sic etiam ego postea quam in hac sum dignitate constitutus, cõtinuò huius habui rei curam. Atq; existimo equidem, mi pater, me uiros habiturum mecum, qui artem medicam satis calleant. Pater igitur ad hæc inquit: Verùm, fili, bi quos tu dicis, quemadmodum amictuum fractorum sunt resarcinatores quidam: sic etiã medici, cùm aliqui ægrotarint, tum his medentur. Sed tua bonæ ualetudinis cura erit, quàm horum

magnificentior. Nam ne initio ægrotet exercitus, tibi curandum est. Et quæ ego uia, ô pater, hoc agere satis queam? Si quo in loco diutius sis futurus, diligentia tibi est adhibenda primũ, ut castra in salubri loces: id quod nisi neglexeris, facilè assequêris. Etenim dicere homines assiduè consuerunt, & qui loci morbidi sunt, & qui salubres: his uerò utrisq; certissima afferunt testimonia, tum corpora, tum colores. Dein non satis est locos ipsos considerare, sed meminisse etiam debes quid ipse obserues, ut bene ualeas. Et Cyrus inquit: Primùm equidem operam do, ne unquam saturer: id enim difficile est & graue. Dein uerò per laborem ingesta consumo: Ita enim mihi uideor & perseuerantius bene ualere, & robustior effici. Ergo ita, inquit, tibi fili de alijs est curandum. Num, inquit, ô pater, ocium erit militibus ad exercenda corpora? Imò uerò, pater respondit, non solùm exerceri oportet, sed necessariò exerceri. Nam exercitus opus est, si suo munere fungi uelit, ut cesset nunquam aut nocere hostibus, aut prodesse sibi. Difficile est enim uel unum hominem alere ociosum: multò etiam difficilius totam domum: sed omnium est difficilimum, uniuersum exercitum ociosum alere. Nam & plurima sunt in exercitu, quæ uescuntur, & quæ à minimis incipiunt, & quæ ijs, quæ ceperint, utantur affluentissimè. Itaq; exercitum cessare nunquam decet. Dicis tu, Cyrus inquit, ô pater, ut mihi uideor intelligere, quemadmodum ociosus agricola est inutilis, ita imperatoris nullam esse utilitatem, si sit ociosus. Illum autem imperatorem ego, inquit, admitto, qui nisi quis deus aduersetur, opera sua simul & cõmeatum militibus maximè redditurus

Castris locus salubris eligẽdus.

Exercitus officium.

turus,& corpora sit paraturus q̃optima. Sed ob meditationes rerum omniũ bellicarũ, ut mihi pater uidetur, si ludos aliquos pronũciauero singulis, ac præmia proposuero, eos reddam exercitatos quamoptimè, ut ad singula cum opus fuerit, eis præstò utar. Pulcherrimè, inquit, dicis fili. Hoc enim si feceris, certò scito militaris te ordines semper spectaturũ ueluti choros cõueniẽter suũ officiũ meditari. Atqui ad reddendos milites alacris et strenuos nihil mihi uidetur satius, inquit Cyrus, q̃ spem inijcere hominibus. Verùm, Cambyses inquit, ô fili, hoc huiusmodi est, quale si quis in uenatione canes hortetur semper eadem appellatione, qua solet ubi feram aspicit. Nam primũ alacriter parent. Quòd si eas fefellerit sæpius, ad postremũ neq; quando feram uerè intuens uocarit, ei obediunt. Ita etiã de spe accidit. Si quis frequenter bonorũ expectationes inijciens fefellerit, uir huiusmodi ne tum quidem potest persuadere, cum spem uerã attulerit. At nõ ea debet, fili, is dicere, quæ minus certò norit. Verùm alij hæc quandoq; dicendo perficiãt. Adhortationẽ autem suã in maxima pericula seruet quamsi deliss̃imè, opus est. Dicis tu, inquit Cyrus, mediusfidius perpulchrè, ac mihi ita iucũdius est. Haudquaq̃ mihi pater uideor imperitus, quo pacto reddendi sunt milites obediẽtes. Nam et tu cõtinuò me ex puero hoc docebas, cum tibi ipsi primũ parêre cogebas: dein ubi magistris me tradidisti, illi quoq; idem hoc agebant. Cùm uerò essem in pubertate, rector noster eiusdẽ rei uehementẽ habebat diligentiã. Atq; leges itẽ plures, hæc duo mihi uidentur maximè docere, & imperare, & imperiũ pati. Itaq; de his cogitãs in omnib. mihi uidere uideor obedientiam

Obedientia in exhortatione consistit.

in exhortatione maximè consistere, quæ obedientem laudat & honorat, inobedientem verò ignominia supplicioq; afficit. Vt necessitate adducti pareant, fili, hæc est uia. Sed, quod hoc longè melius est, ut ultrò pareant, alia est uia compendiosior. Quem enim seipsis prudentiorem duxerint circa suam ipsorũ utilitatẽ, huic homines perlibenter obediũt. Ac noris hoc ita habere cùm in alijs multis, tum in ægrotis, quòd alacriter eos uocãt, qui iussuri sunt faciunda: & in mari, quòd gubernatoribus qui unà nauigant, audiunt: & quos aliqui putarint quàm se melius uias nosse, ab ijs tanquam ab harum peritissimis ducibus abesse nunquam uolunt. Cùm verò si obediant, arbitrantur fore, ut mali quippiam capiant, neq; detrimentis admodum cedunt, neq; muneribus efferuntur. Nam ne dona quidem causa mali sui sponte quis accipit. Dicis tu (inquit) pater, ad habendos obedientis mili tes nihil esse efficacius, quàm ut dux subditis prudentior esse uideatur? Dico id sanè. Et quo pacto de se quisquam posit, ô pater, talem opinionem celerrimè præstare? Non est, inquit, fili compendiosior uia, quàm earum rerum quarum uideri uis prudens, habere prudentiam. Quòd si de his singillatim cõsideres, facilè cognoscas dici ab me uera. Nam si uideri uelis bonus agricola, qui nõ sis bonus: aut eques, aut medicus, aut tibicen, aut aliud quippiam, cogita quot sint machinanda tibi quò uidearis talis. Quòd si tuo persuasu & te multi laudent, quò autoritatem adipiscaris, & in eorum singulis bona iecceris fundamenta, tum modò decipias, tum paulò postea, ubi de te periculũ feceris, qualis sis, arguaris, tum ostentator præterea appareas. Sed de futura utilitate, quo pacto quis

Prudentioribus ultrò paretur.

cto quis prudens uerò fuerit? Perspicuum est, inquit, fili, ea te discendo assecuturum, quæcunq; potes per disciplinam cognoscere, quemadmodum instruere aciem didicisti. Quæcunque uerò neque per disciplinam, neque per humanam prouidentiam prospici possunt, de hisce tu per uaticinium deos consulens, sis alijs prudentior, præsertim si quod noueris factu melius, curaueris quonam id modo agendum sit. Etenim curare quod opus sit, prudentioris uiri est, quàm negligere. Vt autem quis ametur à subditis, id quod mihi uidetur esse maximum, eadem est ratio, quæ si quis amicis charus esse cupiat. Oportere enim puto ut beneficium appareat. Sed hoc, inquit, fili difficile est, ut in eos semper beneficium conferre quis possit, in quos uelit. At illud certè potest, ut unà cum ijs lætetur, quibus aliquid boni contigerit: & unà tristetur, si quid acciderit mali: & opem ferre alacriter studeat eorum difficultatibus, & præcaueat, ne qua in re labantur: & enitatur prouidere, ne quid item decipiantur, quibus in rebus magis se quodammodo socium debet præstare. Atq; in rebus gerendis, si quidem in æstate fuerit, debet imperator tolerare plus solis, & id quidem non occultè: in hyeme uerò plus frigoris, & in laborando plus laboris: hæc enim omnia conducunt ad amorem subditorum. Dicis tu quidem, inquit Cyrus, tolerantiorem esse imperatorem ad omnia oportere quàm subditos? Ita plane. Confide fili, ac scito similia corpora imperatoris ac priuati hominis, ijsdem laboribus nõ similiter affici. Honos enim labores imperatori leuiores efficit, & quòd intelligit in hominum esse oculis quicquid faciat. Sed ubi habuerint milites commeatum, ô pater, ijdemq; bene ua-

leant, & labores perferre possint, sintq; bellicis artibus exercitati, cupiatq; uiri apparere fortissimi, libentiusq; obire imperata uelint quàm detrectare, nónne quis tibi pater sapere uideatur, si uoluerit quamcelerrimè cum hostibus manum conserere? Ita, inquit, mehercule, si me liorem conditionem sit habiturus. Sin id minus, quò me censebo meliorem & meos item melioris, eò cauebo magis: quemadmodum alijs in rebus, quas nobis plurimi ducimus, has opportunè ac tutò facere studemus. Meliorem habere pater conditionem q̃ hostes, quî possit quis maximè? Non minimum, inquit, fili mediusfidius neque simplex opus interrogas. At noris, qui hoc facturus sit, & insidiatorem esse oportere, & dissimulatorem, & doloſum, & deceptorem, & furem, et raptorem, & omni in re hostib. præualere. Et Cyrus arridens, inquit: OHercules qualem me pater uirũ esse dicis oportere? Qualis, inquit, fili & iustissimus sis, & legum uir obseruantissimus. Quomodo tamen, inquit, cum pueritiam puberta temq; ageremus, his cõtraria docebatis? Ita, inquit, per Iouem. Et eadem nunc quoq; erga amicos ac ciuis. Sed ut hostis malè afficere possitis, an ignoras didicisse uos maleficia permulta? Ignoro equidem pater. Quam ob rem, inquit, discebatis sagittare? Quam ob rem iaculari? Quam ob rem subigere sues agrestis & retibus & foueis? Cur ceruas pedicis & laqueis? Quid autem? Nónne aduersus leones, & ursos, & pardos, non ex æquo constituti pugnabatis, sed cum meliore conditione quadam semper studebatis aduersus eas bestias certare? An hæc omnia minus nosti, & maleficia esse, & deceptiones, & dolos, & fraudes? Ita, inquit, mediusfidius

dius, quò ad bestias quidem. Quòd si uisus forem uelle decipere quenquam hominem, multis uerberibus cæsus essem. Neque enim sagitta, inquit pater, neque iaculo hominẽ ferire permittebamus uobis, sed ad scopum propositum iacere docebamus. Et ne nunc quidem, ut in amicos utamini maleficio hortamur. Quòd si quando bello utendum foret, possetis & in homines ictum dirigere, atque decipere, & fraudare. Non aduersus homines uos erudiebamus, sed in bestias, quò ne in his quidem amicis noceretis. Verùm si quando belligerandum esset, neque harum rerum exercitatio uos lateret. Si ergo, inquit, pater conducit horum utrorunque scientia, & beneficiorum & maleficiorum, hæc quoque docenda fuerant aduersus homines. At dicitur, fili, fuisse olim apud maiores nostros uirum quendam magistrum puerorum, qui pueros iustitiam docebat, quemadmodum etiam ipse iubes, non mentiri & mentiri, & non decipere & decipere, & non calumniari & calumniari, & non fraudare & fraudare. Definiebat etiam quæ horum erga amicos faciunda essent, & quæ aduersus inimicos. Atque in hanc sententiam docebat iustum esse amicos fallere, uidelicet propter bonum, & furari amicorum bona propter bonum. Qui uerò hæc docebat, necesse erat pueros inuicem exercere ad hæc faciunda: quemadmodum dicuntur Græci docere pueros in luctatione decipere, eosq; exercere inter sese, qui facere hoc possint. Cùm ergo aliqui ita essent ingenioſi & ad bene decipiendum, & ad fraudandum, fortasis etiam non obtusi ad lucrandi studium, hi ne ab amicis quidem abstinebant, quo minus

tentarent eos fraudare. Quam ob rem ex his manauit lex, qua hoc etiam tempore utimur, simpliciter pueros docendos esse, quemadmodum erga nosipsos erudimus famulos, uerum dicere, & non decipere, neq; habendi auiditati studere: quos si secus egerint, supplicio afficimus, quò assuefacti huiusmodi consuetudine, ciues reddantur mitiores. Sed ubi habuerint ætatem, qua nunc ipse es, etiam quæ aduersus hostes iura seruanda sunt, securum uisum est docere. Non enim amplius uidemini incitari, quî ciues immanes efficiamini, cùm ad mutuum pudorem sitis educati. Sicuti de rebus uenereis uerba non facimus admodum ad iuuenes, ne addita ad uehementem libidinem malitia, eis iuuenes utantur immoderatè. Mediusfidius, inquit Cyrus, me igitur perinde ac tardum ad discendum, si quid habes pater harum fallaciarum, docere ne parcito, quò ipse fallam hostes. Molire igitur pro ea quanta tibi est acies instructa, adoriri hostes imparatos, & armatus inermes, & uigilans dormientis, & apertos improuisus: & qui in locorum difficultate sunt, tu eos tuto in loco excipito. Et quomodo, inquit, pater in istiusmodi erratis hostes deprehendantur? Quoniam, inquit, fili multam huiusmodi occasionem necesse est & à uobis & ab hostibus præberi. Necessariò utriq; frumentatum itis, utriq; cubatis, & manè ad res necessarias ferè unà omnes secedere oportet, & uijs qualescunque sint necesse est uos uti: quæ omnia tibi uolutãda sunt animo. Et qua in re noueris nos esse maximè imbecillos, hæc tibi maximè est cauenda. In qua uerò senseris hostes esse captu facillimos, in hac eos potissimum adorire. Vtrum, inquit Cyrus, in his solum studendum est, ut simus superio-

superiores, an etiam in alijs quibusdam? Et in alijs longè magis, inquit, fili. Nam in his propè omnes faciunt custodias acerrimas, quippe qui norunt esse necessarias. Qui autem hostis decipiunt, possunt eos tum iniecta fiducia, incautos offendere, tum fugãdi sui facultate tradita, reddere turbatos, tum simulata fuga, in locos difficilis subducere, hicq; adoriri. Est igitur, inquit, opus ubi hæc omnia studiose didiceris, non his solum utaris, sed tuo quoque ingenio alia aduersus hostis moliare: quemadmodũ musici non his utũtur duntaxat, quos didicere, sed alios nouos modulos facere student. Ac sicuti in musicis quoque noua & florida habentur plurimum in precio, sic in rèbus bellicis noua inuenta existimãtur longè illustriora, quoniam hæc magis queunt hostis decipere. Quòd si tu fili, uel aliud nihil ad homines transferas, quàm ea inuenta, quæ propter bestiolas excogitabas, non putes ad modum meliore esse cõditione aduersus hostis? Tu enim ad capiũdas aues in uehementissima surgens hyeme ibas noctu: & priusquam mouerentur aues, his pedicas interea fixeras, & quem locum moueras, erat immoto persimilis. Erantq; aues quædam abs te edoctæ, quæ & utilia tibi suppeditarent, & eiusdem generis auis deciperent. Ipse uerò ita eras in insidijs locatus, ut auis aspiceres, nec aspicereris ab auibus. Num te exercueras, ut assequereris auis plagellarum tractu, antequam fugerent? Aduersus leporem uerò, quoniam in tenebris pascitur, diem autem uitat, canes alebas, quæ odoratu eum inuenirent. Et qui celeriter fugeret, ubi esset inuentus, alias habebas canes, quæ erant eruditæ ad eum intercipiendum. Quòd si ab ijs etiam euasisset, cognito lepo-

rum transitu ac saltu, & ad quos locos fugientes, à uenatoribus capiuntur. Hic casses usu difficiles tendebas, quò in uchementi cursu ipse seipsum incidens induceret. Quò autem neq; hic diffugeret, eius rei speculatores constituebas, qui ex propinquo loco euestigio superuenirent, atq; ipse tu à tergo clamore obstrepens, continuò ita leporem exterrebas, ut imprudens caperetur. Qui uerò anterius erant in insidijs, hostu silentium edoctos observare, latére faciebas. Quemadmodũ igitur antè dixi, si res huiusmodi uolueris etiã aduersus homines ipsos excogitare ac moliri, nescio equidem an ullum hostium reliquum facies. Si quando uerò necesse fuerit & in campestri planitie, & aperto Marte, & armatis utrisq; manum conserere, in huiusmodi casu, fili, paratæ ex longo meliores conditiones, plurimum possunt. Has autem esse dico, si & milites bene fuerint exercitati corporibus, & animis bene excitati atq; acres redditi, & meditationibus bellicarum artium bene instructi. Hoc te præterea quamoptimè oportet nosse, quicunq; ipse duxeris dignum ut tibi pareant, eos omnis dignũ iudicaturos, ut talis sis, qui præcipuè sibi consulas. Nunquam igitur temerè tibi habendum est, quin antea noctu cõsideres, quid subditos facere oporteat, cùm dies aduenerit. Interdiu uerò quomodo res nocturnæ perpulchrè sint ordinandæ, & quo pacto sit instruendus ad pugnam exercitus, aut quomodo interdiu ducendus sit, quomodo noctu, uel angustis, uel latis itineribus, uel montuosis, uel campestribus. Aut quî sit castramentandum. Aut quomodo nocturnæ excubiæ, diurnæúe custodiæ sint constituendæ. Aut quo pacto sit uel agendus aduersus hostis miles, uel

ab ho-

ab hostibus abducendus. Aut qua ratione aduersus hostilem urbem oporteat exercitum ducere. Aut quo pacto is ad murum ducendus sit, aut inde abducendus: aut quomodo uel per nemora sit, uel per flumina transeundum: aut qua item ratione cauendus sit equitatus: qua item iaculatores sint & sagittarij. Siq; ubi tu exercitum ducas in cornu, hostes superuenerint, ut is contrà sit disponendus. Quòd si ubi illum agas in phalange, ex alio quopiam loco hostes appareant quàm ad faciem, qua sit ratione illis occurrendum, quò aut quæ geruntur ab hostibus quis maximè sentiat, aut res tuas minimè hostes sciant. Hæc autem omnia quid tibi dicam esse opus? Nam quæcunq; ipse teneam, persæpe audisti, præsertim quòd si quis horum aliquid scire uideretur, eorum nihil neq; neglexeris, neq; minus didiceris. Oportet igitur cùm aliqua huiusmodi acciderint, his uti præceptis, quæcunq; tibi conducere uideantur. Disce præterea uel in primis hæc ab me fili. Nam præter sacrificia & auguria neque solus, neq; cum exercitu ullum discrimen adeas, animo uolutans solere homines res gerendas eligere coniectatione potius, quàm quòd norint, à quibus ipsarum rerum bona futura sint. Verùm scias ea esse ab his, quæ eueniunt. Multi enim persuaserũt ciuitatibus, & hi quidem qui sapientissimi uidentur, aduersus hos bellum suscipere, quorum eæ usæ persuasionibus periere. Multi etiam auxere multos & priuatos homines & respublicas, quorũ amplificatio ijs maxima attulit mala. Multi quoque his, quibus poterant amicis uti per mutua beneficia, cum maluissent seruis uti quàm amicis, his ipsis dedere pœnas. Multi item non contenti partem ha-

bentes suauiter uiuere, cùm uoluissent omnium esse domini, propterea amiserunt etiam quæ habebant. Multi quoq; ubi diuitias quas maximè optabant, adepti essent, propter illas perierunt. Et ita humana sapientia nihilo magis nouit expetere summũ bonum, quàm si quis hoc agat, quod ei sorte tributum est. Sciunt enim, charissime fili, dij immortales omnia & præterita & præsentia, & quæ sunt ex ijs singillatim euentura: consulentibusq; hominibus, dij ipsi quibuscunq; sint propitij, antè significant, quæq; faciunda sunt, quæq; non faciunda. Quòd si minus omnibus consulere dij uolunt, nihil est mirandum. Non enim coguntur necessitate ea curare, quæ nolint.

XENOPHONTIS CYRI DISCIPLINAE LIBER SECVNDVS,

Francisco Philelpho interprete.

CVM *talia differentes, ad fines usque Persidis uenissent, essetq; his aquila dextera apparens itineris dux facta, deos heroasq; precati, terram colentes Persida, ut se propitij mitterent ac mites, ita fines superarunt. His uerò superatis cùm rursus orationem habuissent ad deos qui Mediam habitãt, ut se propitij mitesq; exciperent, mutua se charitate ut decet complexi, pater Cambyses reuertit in Persas, Cyrus filius in Medos ad Cyaxarem proficiscitur. Quò cùm uenisset, primùm, ut par erat, se inuicem amicè complexi sunt: dein rogabat Cyrum Cyaxares, quantũ agmen duceret. Cui respondit Cyrus, uiginti millia à se duci, qui*

& an-

& antea ad uos ierant ſtipendio conducti. Alij etiam qui nunquam egreſſi ſunt, præter hos, ueniunt ex ordine optimatium. Hi quot ſunt? inquit Cyaxares. Numerus, inquit Cyrus, ſi audieris, ſit tibi minimè iucundus. Sed illud cogitato, quòd pauci optimatis, qui ab honoris æqualitate homotimi uocãtur, facilè in alios Perſas, qui ſunt permulti, imperium gerũt. Verùm num tibi ijs opus eſt? an fruſtra timuiſti, hoſtesq; non ueniunt? Veniunt, inquit, certè, & multi quidem. Quî hoc noſti? Quoniam, inquit, multi qui inde ueniunt, alius alio modo, omnes tamen idem dicunt. Certandum eſt igitur nobis aduerſus uiros? Eſt, inquit, neceſſarium. Quid igitur, inquit Cyrus, nondum ui res dixiſti mihi quantæ ſint adorientium hoſtium, ac item noſtræ, quò ambabus cognitis, ad hæc nos conſultemus, ut certemus optimè? Accipe igitur, inquit Cyaxares. Crœſus quidem Lydus ducere fertur ſecum equites decem millia: ſcutatos uerò atq; ſagittarios pluris quadraginta millibus. Sed Artaman, qui magnæ Phrygiæ eſt princeps, aiunt ducere equites ad octo millia: haſtatos autem ſimul cum ſcutatis non paucioris quàm quadraginta millia. Aribæum autem Cappadocũ regem equites ducere ſex millia: ſagittarios uerò & ſcutatos non paucioris triginta millibus. At Maragdum Araba, & equites ducere ferunt ad decem millia, & currus centum, & funditores magno quodam numero. At Græci qui habitant in Aſia, nõdum certò dicitur, an ſequantur. Sed qui ſunt ex Phrygia quæ Helleſponto adiacet, eos commiſceri tradunt Gabæo, qui habet ad Cayſtrium campum ſex millia equitum, & ſcutatos ad decem millia. Caras quidem ac Cilicas & Paphlagonas rogatos negant ſequi. At Aſſyrius qui ha-

bet & Babylona, & aliam Assyriam, ut existimo, ducet equites nō paucioris quàm uiginti millia: currus, id quod certò scio, non pluris quàm ducentos: pedites uerò, ut arbitror, permultos. Ita enim consueuit, cùm huc impetum facit. Tu, inquit Cyrus, hostes esse dicis equites sexaginta millia, scutatos autem & sagittarios plus quàm ducenta millia, agè nunc exercitum tuum quantū esse dicis? Sunt, inquit, Medi equites quidem supra decem millia. Scutati uerò & sagittarij fiāt in nostro scilicet regno, saltē sexaginta millia. Ex Armenijs uerò, qui finitimi nobis sunt, equites aderūt quatuor millia, pedites uiginti millia. Dicis tu, inquit Cyrus, equites nobis esse minus quàm tertiam partem hostium equitatus, pedites uerò circiter dimidium? Quid igitur, inquit Cyaxares, non paucos esse putas Persarum pedites, quos ais ducere? An pluribus uiris, inquit Cyrus, nobis opus sit an non sit, rursus consultabimus. Verùm pugnam mihi dicito, quæ est cuiusq;. Ferè, inquit Cyaxares, eadem est omnium. Sagittarij enim sunt ac iaculatores, & illorum, & nostri. Ergo in armis huiusmodi, inquit Cyrus, opus est uti ferentariorū dimicatione. Necessariò enim, inquit Cyaxares. In hac igitur re pluriū est uictoria. Longè enim celerius pauci à multis uulnerati absumētur, quàm à paucis multi. Si ergo ita res habet Cyre, quid aliud quis inueniat melius, q̄ mittere in Persas, unaq; docere, si quid mali Medi patiantur, fore, ut in Persas clades eat, simulq; maioris copias petere? At hoc uelim scias, Cyrus inquit: Neq; si omnes ueniant Persæ, posßimus hostes multitudine excedere. Num hac re aliud quicquam melius intueris? Equidem, inquit Cyrus, si facultas sit, arma facerem quamprimùm Persis omni-

omnibus aduenientibus, qualia his sunt ueteranis, qui à nobis uocantur homotimi. Hæc autem sunt circa pectus thorax, et cratis in læua manu, & mucro aut securis in manu dextra. Si hæc nobis paraueris, facies ut & ipsi tutissimè obuiam eamus aduersus hostis, & hostes fugere q̃ manere magis expetant. Instruimus aũt nosipsos ad uersus illos qui manserint: uobis uerò equitibus q̃; uestris illos tribuimus, quicunq; ex ijs fugerint, quò neq; manendi, neq; reuertendi facultatem habeant. Cùm Cyrus ita dixisset, essetq; Cyaxari uisum eum bene dicere, de pluribus accersendis militibus nullam amplius mentionem fecit, sed antedicta parabat arma, quæ propè parata erant, cùm iam adessent Persarũ homotimi, qui Persicum habebant agmen. Hic igitur Cyrus his uocatis in concionẽ, ita locutus traditur: Ego uos intuens uiri amicissimi, ita instructos armis & animis paratos ad manum cum hostibus conserendam, cognoscens etiam Persas qui uos sequuntur, ita esse armatos tanquam ad pugnam maximè propinquam sint collocati, uereor ne pauci atq; nudi socijs cõgredientes cum hostium multitudine, aduersi quippiam patiamini. Nũc igitur cùm ueneritis habentes proborũ uirorũ corpora, & socijs arma futura sint nostris similia, uestrum opus erit eorum animos acuere, ad pugnamq; fortis reddere. Decet enim principem non se bonum præstare duntaxat, uerumetiã pro subditis diligentiam gerere, ut q̃ optimi sint futuri. Cyrus ita locutus est. At hi omnes lætati sunt, cùm putarent sibi esse cum maiore multitudine dimicandum, quorũ unus huiusmodi uerba habuit: At ego absurdam fortassis habere uidebor orationem, si Cyro consuluero, ut pro nobis aliqua uer- Cyri oratio.

ba faciat, cum hi arma ceperint, qui nobiscum unà in pugnam socij sunt ituri. Enimuero cognoscere mihi uideor eorum orationes, qui plurimum ualent & ad bene & ad male faciendum, has maximè reddere auditores persuasos: siq; à talibus dentur dona, quanquam etiam minora sunt quàm ea quæ à sui similib. uiris dantur, ea tamen pluris æstimãt, qui accipiũt. Et nunc, inquit, astantes Persæ maiore cum uoluptate Cyri adhortationem, quàm nostram excipient. Et in homotimorum ordinem constituti, hoc sibi munus certius ducent, si & à regis filio & ab imperatore collatum fuerit, quàm si à nobis idem hoc fiat. Quanquam ne nostræ quidem adhortationes abesse debent, omni tamen modo uirorum animositas acuenda est omnino. Nobis enim hoc conducet, quomodocunq; hi meliores fiãt. Vbi ergo Cyrus ita in mediũ arma posuisset, atq; omnis Persarum milites conuocasset, huiusmodi ora
Oratio Cyri. tionẽ habuit: Vos uiri Persæ, ut & in eodem estis, ubi nos, orti solo atq; enutriti, & corpora nihilo quàm nos habetis deteriora: ita & animos uestros nihilo esse conuenit nostris ignauiores. Cum tales autem estis, nõ tamen in patria ijsdem quibus nos, honoribus fungebamini: & ne id quidem, quòd per nos essetis expulsi, sed quia necesse foret, uobis necessaria pararetis. Nunc uerò ut hæc habeatis, mihi cum diuina benignitate erit curæ. Licet autem uobis, si libuerit, acceptis armis qualia nobis sunt, ijdem nobiscum obire periculum: & si quid boni ac præclari ex hisce eueneri, æquè atq; nosipsos honorari. Superiore tempore & uos sagittarij iaculatoresq; eratis, & nos item. Ac si quid eratis quàm nos, ad hæc faciunda deteriores, nihil mirandum. Non enim erat

uobis

uobis ut nobis ocium circa horum diligentiam. In hoc autem armorum genere uobis nihilo præstabimus. Thorax erit circa pectus accommodatus cuiq; : & cratis in manu læua, quam omnes gerere consueuimus. Gladius autem uel securis in manu dextra : quibus quidem ipsis ut percutiamus aduersarios opus erit, minimè cauētes, ne quid percutiendo aberremus. Quid igitur in his alterno strùm alteri præstiterit, præterquā audentia, qua nō minus uti uos decet, quàm nosipsos. Appetere enim uictoriam, quæ præclaras res omnis atq; optimas & adipiscitur & tuetur, quid nobis magis quàm uobis conuenit? Et imperio, quod eorum qui uicti sunt, omnia uictoribus elargitur, quid nobis magis opus est quàm uobis? Ad postremum ait : Audistis omnia, aspicite arma, & hæc qui eget, capiat, describatur q; apud ordinis centurionē in similem ordinem, quo descripti nos sumus. Cui autem satis est in mercenarij loco esse, maneat inter ministratoria arma. Cyrus ita locutus est. Quibus auditis Persæ putauerunt fore, ut iurè in omne æuū uitā per inopiā agerent, si inuitati ad similem laborem, quo eadem ipsi præmia consequerentur, facere id noluerint. Ita igitur describuntur omnes, & arma omnes acceperunt. In quo uero tempore aduentare hostes dicebantur, ac nondum aderant, interim enitebatur Cyrus ad uires suorum corpora exercere, docereq; ordinandos milites, & ad res bellicas animos acuere. Quare acceptis primū à Cyaxare frequentibus ministris, ijs imperauit, ut singulis militibus omnia præberent effecta, quibus foret illis opus. Hoc autem cùm parasset, eis reliquit aliud agendū nihil, quàm res bellicas exercere, illud arbitratus didicisse, hos circa singula esse optimos,

qui parcentes rebus pluribus mentẽ adhibere, circa unũ uersarẽtur opus. Quare ex ipsis rebus bellicis sagittæ ac iaculi meditatione sublata, hoc solùm eis reliquit, ut cum gladio crateq; & thorace pugnarent. Quo factum est, ut cõtinuò paratis eos redderet animis, qui aut irent obuiam hostibus, aut concederent se pro nihilo esse habendos socios. Hoc autem molestum est ijs concedere, qui nolint se ob aliud nihil ali, q̃ ut pro alentibus sint pugnaturi. Ad hæc item cùm cogitasset, hæc homines longè male exercere, quorum gratia lites cõtentionesq; oriuntur: & ijs ludos pronunciauit omniũ rerum quascunq; à militibus exerceri cognouit utile esse factu: & hæc pronunciauit, ut homo priuatus principib. se præstaret obedientem, & laboris cupidum, & periculi studiosum cum modestia: & gnarum rerum militarium, & in armis elegantem, & in omnibus huiusmodi rebus ambitiosum. Quin curioni uerò se talem exhiberet, qualem bonũ decet priuatum, & talem quoad eius fieri potest quincuriam præstaret, & decurioni itidem decuriam, & primipilo manipulum, & ordinis centurioni eodem modo se præberet, nulli culpæ obnoxiũ circa eorũ principum diligentiam, qui sub illo sunt, quò illi rursus præstarent, ut hi quibus præsunt, suo fungerentur officio. Præmia etiam declarauit ordinũ centurionibus: eos, qui uisi forent parasse ordines optimè, tribunos futuros: & primipilis, qui uisi essent optimos reddidisse manipulos, eos ascensuros in centurionũ ordinũ locos, & optimos decuriones in primipilos constituendos, ac item quincuriones optimos in decurionũ locos constitutũ iri. Qui uerò inter priuatos excelluissent, in quincurionũ locos ascensuros. Existebat autẽ omnibus

Præmia militibus decernũtur.

omnibus his principibus primũ, ut à subditis colerentur. Dein alij quoq; honores cõuenientes consequebantur. Et aliæ quædã spes maiores uiris dignis accumulabantur, ac laudes, si quid maioris boni in uenturo apparuerit tẽpore. Pronunciauit etiã præmia uictoriæ et ordinibus totis, & manipulis totis, & eodem modo decurijs, & quincurijs, si uisæ fuerint tum suis præsidib. maximè parére, tũ ea quæ antea sunt dicta alacriter exercere. Erant autẽ ea præmia ijs proposita, qualia in multitudine decẽ. Hæc igitur & pronũciabantur, & ab exercitu exercebãtur. Tabernacula uerò parauit ijs Cyrus tũ multitudine pro numero centurionũ ordinũ, tum magnitudine ut singulis ordinib. satis essent. Erat aũt ordo quilibet centũ uiri. Ita igitur pro ordinib. erant in tabernaculis. Videbãtur hi citò hãc utilitatẽ cõsequi ad futurũ certamen, quòd inuicẽ se aspicerẽt similiter ali: neq; ea inesset excusatio, quòd propterea alius alio sit aduersus hostes timidior, quoniã minus bene tractetur. Videbãtur etiã iuuari, quòd simul habitantes se inuicẽ cognoscerẽt: at in mutua notitia innascitur magis omnib. uerecũdia. Qui aũt ignorãtur, uidẽtur procliuiores quodãmodo ad desidiã, tanq; uersentur in tenebris. Videbãtur etiã Cyro maximã cõsequi utilitatẽ ad ordines diligẽter exquirẽdos propter cõtuberniũ. Habebant enim et ordinũ cẽturiones sub sese ordines ornatos, quãdo singillatim ordo proficisceretur, & primipili manipulos eodem modo, & decuriones decurias, & quincuriones quincurias. Cõstituere autẽ ordines diligenter, uisum est ei plurimũ conducere & ad non turbandũ, & ut celerius restituerẽtur, si turbati essent, ueluti et lapides et ligna si copulari oporteat, ea utcũq; prostrata fuerint, fã

cilimè coaptantur, si manifestas habeant notas ex quo sit loco ipsorum quodq;. Quòd simul alerentur, uidebantur ei etiam utiliter agere, ut minus inuicè se desererẽt, quòd intueretur bestias quoq; simul enutritas incredibili duci sociarum desiderio, si quis eas ab inuicẽ distraberet. Vtebatur præterea Cyrus hac diligẽtia, ut nunquã nisi prius sudassent, ad prãdium cœnamq; introirent. Aut enim ad uenationem educendo ut sudarent faciebat: aut ludos tales excogitabat, qui sudorem essent præbituri: aut etiamsi quid eum agere oporteret, ita ducem se præstabat ad rem gerendam, ut sine sudore non redirent. Hoc enim sciebat ad suauiter etiam uescendum esse bonum, & ad bonã ualetudinem, & ad laborẽ sustinendum. Præterea existimabat labores conducere, ut forẽt inuicem mansueti magis, quòd & equi inuicem laborantes mansuetius simul starẽ consuerũt. Atq; aduersus hostes elatiore sunt animo, qui bonæ exercitationis sibij ipsis cõscij sunt. At sibi Cyrus tabernaculum id parauit quod satis ijs foret, quos inuitaret ad cœnam. Inuitabat autem frequenter centuriones ordinum, quos ei uisum esset opportunum. Interdum & primipilos, & decuriones quosdam quincurionesq; inuitabat. Interdum uerò et quincuriam totam, & totam decuriã, & totum manipulum, et ordinem totum. Quandoque etiam milites quosdam. Inuitabat præterea atque honorabat, cum aliquos uideret, qui huiusmodi quiddam feciissent, quod eos facere uolebat. Quæ autem apponerentur in mensam, paria erant semper & ipsi, & inuitatis ad cœnam. Et ministris exercitus æqualem portionẽ semper faciebat esculentorum omnium. Nihilo enim minus militum ministri ei honorandi uidebantur, quàm ca-

duceato-

duceatores, quàm oratores: etenim fideles putabat hos esse oportere, & peritos rerũ militariũ, & callidos insuper, & uehementis, & celeris, & impigros, & moderatos. Ad hæc intelligebat Cyrus esse omnia et tenẽda & exercenda ministris, quæ habentur ab his qui optimi dicuntur, quò nullũ hi opus recusent facere, sed putent omnia esse ab se gerenda, quæcunq; sunt à principe imperata. Et eam sanè diligentiã semper Cyrus adhibebat cùm esset unà cum suis in tabernaculo, ut & iucũdissimi simul sermones inijcerẽtur, et qui ad bonas actiones incitarẽt. Itaq; deuenit aliquando in hunc sermonẽ: Num, inquit, ô uiri amicissimi, ob hanc rem uidentur cæteri homines esse aliqua ex parte nobis inferiores, quòd non eodem sunt modo instituti, quo ipsi sumus? an à nobis nihil differunt, neq; in cõgressibus, neq; ubi cum hostibus sit certandum? Et Hystaspas excepit, inquiens: Quales eiusmodi uiri in hostis futuri sint, equidem non intelligo. In cõuictu quidem difficiles mediusfidius aliqui eorum uidentur, ac morosi. Misit nuper Cyaxares hostiarum carnes in ordines singulos, erantq; carniũ frusta cuiq; nostrũm tria, aut etiam plura, quæ circunferebantur. Atq; à me principiũ coquus fecit primũ circunferens obsoniũ. Cùm uerò secũdum circuiret obsonium illaturus, iussi, ab ultimo principium faceret, retroq; circunferret. Exclamãs igitur quispiam ex his militibus qui in medio circulo discumbebãt: Per Iouem, inquit, horũ nihil est æquale, siquidem à nobis qui sumus in medio, nemo unquã incipiet. Quibus auditis, equidem ægrè tuli, si quid illi minus habere uiderentur, eumq; continuò ad me uocaui: hic autem permodestè paruit. Verùm ut ea quæ circunferebantur, ad nos

uenere, tanquam, uidelicet, ultimos ea sumentis, minima relicta erant frusta. Hic ille manifestò admodum tristatus est, dixitq; ad seipsum in malam fortunam quod huc inuitatus uenerim. Ad quē ego dixi: Ne cura, rursus à nobis confestim incipiet, & tu primus maximū capies frustum. Interimq; circunferebatur tertiū, id quod erat reliquum, atq; cepit ille. Cui cùm uisum esset exiguum cepisse obsonium, quod ceperat, posuit, tanquam alterū sumpturus: cùm illum coquus arbitratus nihilo amplius egere obsonio, abiens circumferebat prius, quàm ille alterum sumeret. Hic autem grauiter adeò rem tulit, ut consumeretur ei, quod cepisset obsonium. Quod autem adhuc intinctionis ei reliquum erat, hoc, quia esset animo quodammodo perturbato fortunæq; iratus, ita male affectus euertit. Primipilus autē qui nos proximè discumbebat, rem intuitus, manus inuicem cōplosit, ridensq; lætabatur. At ego tußire simulabam, quippe qui ne ipse quidem risum poteram cōtinere. Talem igitur tibi Cyre unum ex sodalibus demōstro. Ad hoc igitur ut par erat, riserūt omnes. Alius uerò quidam ex ordinum centurionibus: Huic, inquit, Cyre, ut uidetur, accidit ita difficulter: ego autem ut tu nobis edoctis ordines misisti, iußistiq; ut quisq; suū doceret ordinem ea, quæ abs te didicimus: ita ipse quemadmodū etiam alij faciebant, ubi uenissem, unum manipulum docebam. Et ubi statuissem primipilum primum, ordinassemq; post eum uegetum quendam iuuenem & alios, ubi opus esse existimabam: dein stans ex anteriore parte in manipulum respicerem, ubi mihi uisum est tempus esse, iußi procederet: & iuuenis ille procedens, prior quam primipilus proficiscebatur: quod ego intuitus, dixi: Homo

mo quid facis? & ille inquit, Procedo ut ipse iubes. cui respondi: At ego non te solùm, sed omnis procedere iubebã. Id ille audiens, ad manipulares cõuersus, ait: Non auditis imperantem procedere omnis? Et uiri illi omnes præterreuntes primipilum ierunt ad me. Sed ubi primipilus eos reduxisset in locũ, stomachabantur, dicentes, Vtri parendum est? nũc enim alter iubet nos procedere, alter uetat. Et ego hæc æquo animo ferens, eos rursus disposui constim, iubens ne quis ex posterioribus moueretur prius q̃ anterior duceret: sed hoc solùm omnes aspicerent, sequi anteriorẽ. Cùm uerò quis in Persas abiens uenisset ad me qui sibi epistolam dare peteret, quam ad meos scripserã: & ego, quoniam primipilus sciret ubi posita ea foret, iussissem ei, ut curreret, epistolamq; ferret, ille quidem currebat: iuuenis uerò ille primipilum sequebatur unà cum thorace & mucrone: atq; alius uniuersus manipulus illum intuitus unà currebant, ueneruntq; uiri illi ferentes epistolã. Ita, inquit ille, meus manipulus curat diligenter omnia pro iussu tuo. Atq; alij quidem meritò ridebant, de epistolæ stipatione. Cyrus uerò inquit: O Iupiter optime maxime, cœlitesq; omnes, cuiusmodi uiros socios habemus, qui usqueadeo sunt cultu faciles, ut minimo etiam obsonio magnus imparium numerus in amicitiam queat induci? ita autem sunt obedientes, ut antea pareãt, quàm imperata cognorint? Equidem nescio qui magis optandi sint, quàm huiusmodi milites. Cyrus quidem ita milites laudauit. Erat autem in tabernaculo unus ex ordinũ centurionibus Aglaitadas nomine, uir moribus seuerior, qui ita fertur loquutus: Quid enim, inquit, putás ne Cyre hosce uera hæc dicere? Sed quid uolunt,

inquit Cyrus, quæ propter mentiãtur? Quid aliud, inquit, nisi ut risum moueãt, cuius rei gratia hæc loquuntur, & sese ostentant? At Cyrus inquit: Bona uerba quæso, noli hos dicere ostentatores: ostentator enim nomen mihi uidetur esse propter eos positũ, qui simulant & ditioris se esse, quàm sunt, & fortioris: & qui pollicentur ea se facturos, quæ nequeunt, præsertim cùm manifestum sit hæc ab his fieri accipiendi aliquid ac lucrandi gratia. Sed qui risum cõuiuis moliuntur, neq; propter ipsorũ lucrum, neq; propter audientiũ detrimentũ, neq; ut noceant cuiquam prorsus, quare hi minus urbani ac faceti iurè nominẽtur, q̃ ostentatores? Et Cyrus quidem ita respondit de his, qui risum præbent. Ipse autem ordinis centurio qui narrarat manipuli ridiculum, inquit: Si quidem Aglaitadæ fletũ facere studeremus, nos admodum reprehenderes, quemadmodum aliqui etiã in carminibus & in orationibus miserabilia quædam scribentes, lachrymas nituntur inducere: quandoquidem nunc ipse quoq; intelligens uelle nos quadam lætitia te afficere, nocere autẽ minimè, nos tamẽ magna ignominia afficis. Ita est mediusfidius, inquit Aglaitadas, ac iurè id quidẽ. Nam qui amicos ad risum mouet, uidetur is mihi sanè rem efficere longè minoris æstimandam, quàm qui eos ad fletum inducit. Et tu nunc si rectè consideres, uera à me dici reperies. Et parentes quidem reddunt filios fletibus temperantes, & magistri pueros bene eruditos. Ac leges ad iustitiam ciues impellunt, quia fletibus eos instituũt. Ridiculos autem homines positis ne dicere aut corporibus prodesse, aut animos reddere ad gubernationẽ rei domesticæ, ad administrandámue ciuitatem aptiores? Hinc Hystaspas in hunc modum

Ostentator quis.

dum locutus est: Tu, inquit, Aglaitada, si mihi obtemperes, in hostes fidenter consumes hoc pluris æstimandum, ut inducas illos flere: & quod minimi ducendum est, nos hosce amicos omnino ridere affatim efficito. Etenim scio tibi risum permultum esse repositum. Nam neq; utens eum consumpsisti, neq; amicis, neq; nobis hospitibus ultrò præbes. Itaq; nulla tibi excusatio est, quo minus præbeas nobis risum. Ad quod inquit Aglaitadas: Et putas tu Hystaspa ex me risum facere? Et ordinis centurio inquit: Ita mehercle amens est igitur, quoniã ex te quidem facilius quis ignem excuderit, quàm risum. Ob quod dictum & alij riserunt, eius cognoscentes ingenium, & Aglaitadas ipse leniter subrisit. Ac Cyrus eum intuitus exhilaratũ: Iniuriam, inquit, facis ordinis centurio, quòd uirum nobis corrumpis ac uitias grauissimũ & optimũ, dum risum ei persuades, præsertim qui adeò hostis sit risui. Et hæc quidem hìc finem habuerũt. Dein uerò Chrysantas ita locutus est: At ego, Cyre, cum hisce unà omnibus cogito egressos esse nobiscum alios pluris, alios minoris faciundos. Si quid autem boni contigerit, dignum hi omnes iudicabũt æqualem habere portionẽ. At nihil inter homines esse inæqualius duco, quàm & ignauum & fortem utrum æqualia consequi. Ad quod Cyrus inquit: Igitur uiri Persæ, per deos immortalis, nobis est optimum sententiam hac de re inijcere in exercitum: Vtrum uideatur, si quid boni ex laboribus deus dederit, facere omnibus æqualem portionem: an potius cõsideratis cuiusq; operibus, ad horũ rationem honoris esse cuiq; reddendos? Et quid opus est, Chrysantas inquit, hac de re ad exercitum referre, ac non pronunciare potius te ita fa

cturum? Nónne & ludos ita pronunciasti, & præmia? At mediusfidius, inquit Cyrus, nõ sunt hæc illis similia. Quæ enim militando acquirent, cõmunia sibi, ut arbitror, censebunt. Exercitus uerò imperium putabunt fortassis etiã à domo in me esse collatum. Itaq; si præfectos constituo, nulla me uti putant iniuria. An etiam censes, Chrysantas inquit, decernere posse coactam multitudinem, ut minus æqualis portiones singuli consequantur, sed uiri fortissimi honoribus donisq; antecellant? Puto equidem, inquit Cyrus, tum cohortantibus nobis, tum etiã quia turpe sit aduersari, ne qui plurimũ laborat prodesteq; reipub. maxima item præmia iurè cõsequatur. Puto autem uel igna uissimis conducibile uisum iri, uiris fortibus meliorẽ esse conditionẽ. Quapropter uolebat Cyrus & ipsorũ homotimorum gratia, hoc decretum fieret. Nam & hosipsos existimabat fore melioris, si uiderent se quoq; ex operib. ipsis iudicatos, digna consecuturos esse præmia. Tempus igitur ei uidebatur nũc esse hac de re consultandi, quãdò etiã homotimi detrectabant æqualem uulgi portionẽ. Ita igitur hi quoq; censebãt, qui erant in tabernaculo, ut res poneretur in consultationem, suaderetúrq; per eum, qui uir esse putaretur: cùm arridens quidam ex ordinũ centurionibus, ait: At ego noui uirum etiam plebeium, qui consentiet ne ita temerè sit æqualitas. Alius quærebat, hunc quemnam esse diceret. Cui ille respondit: Est mediusfidius uir nobis contubernalis, qui omni in re quærit at sibi plus esse. Alius eum rogabat: Num etiam ex laboribus? Minimè omnium, inquit. Sed in hoc sum mendacij deprehensus. Nam & laborum & aliarum huiusmodi rerum æquo admodum animo semper sinit plus

alium

alium habere, qui uelit. At ego, ait Cyrus, decerno ô uiri, si habendus sit miles ad agendũ strenuus & obediens, ex exercitu huiusmodi homines qualis ab hoc nunc dicitur, esse ejciendos. Videtur enim mihi magnam militum partem eiusmodi esse, ut sequatur, quacunq; quis duxerit. Agere autem, ut existimo, conantur, qui præclari fortesq; sunt ad res præclaras & magnas: qui uerò improbi, ad res improbas. Itaq; fit persæpe, ut habeant plures qui secum sentiant improbi uiri quàm probi. Improbitas enim proficiscens per subitas uoluptates, harum persuasionibus utitur, quò multi secum sentiant. At uirtus ad arduum agens, non est admodum præpotens, ut subitò inconsultoq; ad se trahat, præsertim ubi alij sint, qui cõtrà ad decliue molleq; adhortentur. Quare ubi ex inertia atque laborum fuga improbiores sint, hos ego arbitror uelut fucos, solùm impensa socijs esse detrimento. Quicunque uerò ad labores mali socij sunt, ad habendi uerò cupiditatem uehementes impudentesq;, hi sese ad res improbas duces præstant. Possunt enim sæpenumero demonstrare plus haberi per malas actiones. Itaq; huiusmodi homines omnino à nobis sunt expellendi. Nec est item considerandum uobis, quomodo ex ciuibus ordines suppleatis, sed quemadmodum equos quæritis, non qui patrij sint, sed qui optimi, sic etiam homines quæritote. Ex omnibus inquam hominibus, quoscunq; arbitremini & robori uobis ornamentoq; maximè futuros, hos sumite. Hæc etiam mihi res testimoniũ affert, quid nobis cõducat quòd neq; currus celer sit, si tardis utatur equis, neq; iustus cui iungãtur iniusti. Neq; domus bene habitatur, quæ malis utitur famulis: sed etiã si egeat famulis, minus erat

quàm si ab iniustis uexatur famulis. Bene autẽ scitote, uiri amicissimi, quòd non hanc utilitatem solùm mali milites afferent ablati si fuerint, quòd abe runt mali: uerumetiam qui relicti fuerint, rursus eo uitio purgabũtur, quo referti iam erãt. At boni ubi uiderint uitiosos ignominia affectos, longè magis animati uirtutem capessent. Cyrus quidem ita est locutus, & amicis omnibus hæc itidem ui sa sunt, & ita faciebant. Exhinc rursus dicterio in eos uti Cyrus est aggressus. Cùm enim animaduertisset quẽdam ex ordinum centurionibus qui duceret secum ad cœnam, facere etq; iuxtà discumberc uirum & pilosissimũ & turpissimum, eo nominatim uocato ait: O Sambaula, num etiam tu more græco, quoniam pulcher est, circunducis istum adolescentem, qui iuxta te discumbit? Equidem inquit Sambaulas. Lætor etiam ipse, qui & sum conuiua, & hunc habeo spectaculo. Quibus auditis contubernales respexerunt. Vt autem uiderunt uiri faciem turpissimam, riserunt omnes. Et quispiam dixit: Per deos immortalis, ô Sambaula, quo tandem opere uir iste te perdidit? Qui respondit: Per deos, inquit, uiri amici dicam uobis. Quoties enim eum uocaui aut noctu, aut interdiu, nunquam mihi neq; negocij excusatione usus est, neq; pedetentim unquam paruit, sed semper cursim. Et quoties ei agendum aliquid imperaui, nihil unquam uidi ipsum facere sine sudore. Effecit præterea tales omnis decuriales, nõ uerbo, sed re demonstrans, qualis oportet esse. Et quidam dixit: Et tu postea ipsum qui talis sit, non oscularis, quẽadmodũ cognatos? Atq; deformis ille ad hoc: Nõ mehercule, inquit: non enim est laborioſus, quoniã satis fuisset ei, si me osculari uoluisset, unũ hoc pro omnib. gymnasijs. Hu-

sijs. Huiusmodi igitur et ridicula & seria tum dicebantur, tum agebantur in tabernaculo. Tandem aliquãdo tertijs libationibus factis, dijs immortalibus precati res bonas, cõ uiuium dissoluerunt in lectum. Postridie autem Cyrus militibus collectis omnibus, talia est locutus: Viri amicissimi, certamen est nobis proximum: aduentant enim hostes. Si nos uicerimus (hoc enim & dicundum est & faciundum, & non quæ sunt eorum qui uincuntur) omnia uincentibus proposita sunt præmia. Hoc igitur pacto uobis est sentiendum, quòd quando in communi belli conditione singuli in se habeant, nihil futurum ex sententia sua, nisi quisq; pro se alacer ad rem fuerit, plurima quam primum ac præclara perficiuntur: nihil enim eorũ cunctantur quæ faciunda sunt. Sed ubi quisq; cogitarit, alium fore qui & agat & pugnet, quamuis mollior ipse fuerit, his omnibus omnia simul mala subeunda ueniũt. Ac deus ipse ita fecit quodammodo, qui hominibus qui nolunt sibi imperare laborem ad bonum cõsequendum, alios his præficit. Nunc igitur surgat hic aliquis, qui de hac ipsa re uerba faciat, utro nam modo putat uirtutem magis exerceri posse: Num si quis plurima & facere uolet, & periclitari, plurimum quoq; honoris consequatur: an si uideamus interesse nihil, si ignauus quis fuerit. Eodem enim modo æqualia cõsequemur omnes. Hic igitur surgens Chrysantas, qui unus erat ex homotimis, uir sanè neq; magnus corpore, neq; robustus uisu, sed prudentia excellens. At ego arbitror, inquit, Cyre, te ne cogitantem quidem proposuisse hanc sententiam, an parem æquè portionem improbi atq; probi sint habituri: sed tentare scilicet uoluisti, si quis tandem uir sit futurus qui se ostentet cogitatu, ut

Cyri oratio.

Chrysantis oratio.

nihil faciens neq; pulchrè neq; fortiter, eorum sit æqualem portionem habiturus, quæ alij uirtute peregerint. At ego neq; pedibus uelox sum, neq; manibus ualidus: neque ignarus certè sum, quòd ex rebus quas ego corpore meo fecero, non sim iudicandus neq; primus neq; secundus, puto etiam neq; milleſimus, & forſitan ne ex decem millibus quidem unus. Verũ & illud certò scio, quòd si uiri potentes res fortiter capeſſent, alicuius boni tanta mihi pars erit, quanta pro iure fuerit. Quòd si homines ignaui nihil geſſerint, fortes autẽ uiri ac potentes remiſsius habuerint, uereor ne alius rei cuiuſquam magis quàm boni maiorem sim partem habiturus. Chryſantas quidem ita eſt locutus. Cum poſt eum autẽ ſurrexiſſet Pheraulas Perſa, unus ex ordine plebeio, qui Cyro etiam abuſque domo uir eſſet familiaris ac iucundus, quiq; & corpore formoſus erat, & animo generoſum uirum præ ſe ferebat, huiuſmodi eſt locutus uerba: Equidem Cyre, & uos omnes Perſæ qui adeſtis, ipſe nos omnis arbitror æqualiter nũc moueri ad uirtutis certamẽ. Video enim nos omnis ſimili alimẽto exercere omnia, & ſimili dignos cõgreſſu omnis iudicatos. Eadem etiã nobis omnibus ſunt propoſita: nam parêre principibus omnibus communiter propoſitũ eſt. Et quicunq; hoc libenter fecerit, hunc uideo à Cyro honorari. Ac præſtare ſe fortem omnibus in rebus aduerſus hoſtes, non alium decet, alium uerò dedecet, ſed hoc omnes decere maximè eſt antea iudicatum. Nunc pugna quoque demonſtratur nobis, ad quam uideo homines omnes natura doctos: quemadmodum alia item animalia norunt ſingula pugnam quandam, quam neq; ab alio quopiam didicere, quàm ab ipſa natura: ueluti bos cornu percutere, equus

Pheraulæ oratio.

Brutorum induſtria.

equus ungula, canis ore, aper dente. Quæ quidem animalia omnia cauere etiam sciunt, à quibus maximè est cauendum, & hæc quidem sine ullius prorsus doctoris præceptione. Atq; ipse ego ex admodum puero, continuò sciebam uti ante hoc quopiam propugnaculo, quo putarem uerberari. Quòd si aliud nihil haberem, utranq; manum protendens, impediebam quantum poteram percutientem. Et hoc faciebã non edoctus, quin propter hoc ipsum percutiebar, si opponerem. Gladium equidem continuò puellus adhuc rapiebam ubi uiderem, cum neque à quoquã alio id didicissem, ut capiũdus est gladius, quàm à natura, ut dico. Faciebam igitur hoc itẽ coactus, nõ edoctus: quemadmodum sunt etiam alia, quæ prohibitus & à patre & à matre agere cogebar à natura. Ac percutiebam mediusfidius gladio, quodcunq; poteram clàm percutere. Non enim erat solum natura, quemadmodum incedere & currere, sed ad naturalem motum hoc mihi suaue uidebatur. Verùm postaquam hæc nobis pugna relicta est, in qua alacritatis magis quàm artis est opus, quî nobis nõ iucundè certandũ est aduersus hosce homotimos, ubi uirtutis præmia proposita sunt paria? Quòd si conferimur, non paria nobis pro periculo proposita esse scimus: sed hi quidem habituri sunt uitam honorificam, nos uerò uitam laboriosam quidem, sed inhonoratam, quæ mea sententia est molestissima. Maximè autem, ô uiri, hoc me bono animo ad obeundum certamen aduersus hosce incitat, quòd Cyrus iudicabit, qui non inuidè iudicat: sed uidetur religioso iureiurando planũ facere, si quos uiros probos uiderit, nihilo q̃ seipsum minus eos amare. Hisce igitur ipsum uideo iucũdius dare quicquid habeat, q̃ sibi re-

tinere. Noui præterea esse hos animis elatis, quòd sint iam instituti & ad famẽ et ad sitim & ad frigus tolerandũ, nescientes hi quidem hæc nos quoq; didicisse à meliore magistro quàm ipsos. Nemo enim est horum præstantior doctor quàm necessitas, quæ hæc nos docuit diligentissimè. Hi laborem in ferendis armis exercuerunt, quæ omnibus sunt inuenta hominibus, ut facillimè ferantur. Nos autem in magnis oneribus & incedere & currere coacti sumus adeò, ut mihi uideatur armorum indumentũ alis potius q̃ oneri esse simile. Quam ob rem Cyre ita me fore exploratum habe, ut & certem, & qualiscũq; quis fuerit, pro meritis dignũ censeam honorari. Et uos ego moneo, uiri plebeij, ut contendatis in hac pugna cum his ce uiris pugnandi eruditis. Nunc enim uiri in plebeio certamine sumpti sunt. Pheraulas quidem habuit hæc uerba. Surrexerunt etiã alij multi, qui utrisq; fauerent oratione. Decretum est igitur debere quenq; pro dignitate honorari, Cyrumq; ipsum iudicem esse. Hæc igitur ita processerũt. Inuitauit insuper Cyrus totum ordinem cum centurione, cùm uidisset dimidiũ uirorũ ordinis illius utrinq; inter se contrà ad pugnam instruxisse, qui utriq; thoracas haberẽt, & crates in sinistris manibus, eorũ alteris crassas ferulas in manus dedit: at alteris dixit, ut glebis sublatis aduersarios percuterent. Sed ubi hi steterunt ita instructi, & centurio prælio signum dedit, hic alij glebis feriebant, & interdum alij attingebant thoracas & cratis, alij & femur & caligas. Sed ubi cominus fierent, qui ferulas habebant, percutiebant alijs femora, alijs manus, alijs suras: & his qui ad capiundas glebas inclinabantur, & colla feriebant & terga. Ad postremum feruliferi eos in fugam uersos, multo cum risu

ac lu-

ac ludicro percutiebant. Et alij uicißim acceptis ferulis rurſus eadem ijs fecerunt qui percutiebant glebis. Delectatus autem Cyrus tum centurionis cogitatu atq; ſtudio, tum militum obedientia, quòd ſimul & exercebantur, & animabantur, ſimulq; hi uincebant, qui Perſarum arma eſſent imitati: his inquam Cyrus delectatus, & inuitauit eos ad cœnam, & intuitus in tabernaculo eorum quoſdam ligatos alium tibiam, alium manum, rogauit quid paterentur: cui reſpondebant, glebis percuſſos eſſe ſe. Rurſuſq; Cyrus interrogabat, utrum poſtraquam ſunt congreſſi, an cùm erant procul: cui dicebant, cum eſſent procul. Nam ubi feruliferi cominus facti ſunt, aiebant ludum fuiſſe pulcherrimum. Qui autem ferulis cõciſi erant, exclamabant non ſibi ludum uideri cominus percuti: ſimulq; oſtenderunt ferularum plagas & in utriſq; manibus, & in collis, aliqui etiam in facie: & tum, ut fieri ſolet, ridebant inter ſe plurimũ. Poſtridie uerò campus refertus erat omnibus uiris, qui hoſce imitabantur: ac niſi aliud quicquã agerent melius, hoc utebantur ludo. Cùm alium quoq; eſſet aliquando intuitus ordinis centurionem, qui à flumine ordinem ducebat ſingulatim ad læuã: quiq; cùm ei uiſum eſſet tempeſtiuũ, iuberet primipilis ut poſtremũ manipulũ traducerent, & tertium, & quartum in frontem: & cùm in fronte eſſent primipili, iußit ut binatim agerent manipulum: exhinc etiam traducebant decuriones in frontem, & cùm rurſus ei uideretur tempus eſſe, iubebat ut quaternatim manipulũ ágerent: ita igitur quincuriones rurſus traducebãt, ut quaternatim manipulus incederet. Vbi autem fuiſſent ad fores tabernaculi, iubens binatim ire ex ijs qui ſingulatim ibant, immiſit primum manipulum, & ſecun-

dum ad huius caudam sequi iussit: & tertium & quartum itidem iubens ducebat intrò: & ita ut incedebat, ad cœnã discumbebat. His igitur delectatus Cyrus, ob mansuetudinem doctrinæ atque diligentiam, inuitauit etiam hunc ordinem unà cum centurione ad cœnam. Cumq; alius quidam ordinis centurio in cœna adesset inuitatus, At meum ordinẽ, inquit, Cyre nõ inuitabis in tabernaculum? Enimuerò cùm ad cœnam adsit, hæc omnia facit. Et ubi finem habuerit conuiuium, qui cogit ultimum manipulum, educit eum, cui primi sunt ultimi instructi ad pugnam: deinqui cogit tertium manipulum, post hos & tertius & quartus identidem, quò etiam ubi sint ab hostibus abducendi, sciãt ut abire oportet. Cum uerò ad iter quod facimus cõstituti fuerimus, si quidem eamus ad aurorã, ego quidem duco, & primus manipulus, primus: & secundus, ut paret, & tertius & quartus, & manipulorum decuriæ & quincuriæ, donec ipse iubeo. Cum uerò eamus ad uespera m qui agmen cogit, & postremi, ducunt primi. Mihi autem, qui ultimus sum, ita obediunt, ut consueſcãt & sequi et ducere itidem obedientes. Et Cyrus ait: Num etiam semper hoc facitis? Facimus sanè, inquit, quoties cœnamus. Vos igitur, inquit, medius fidius inuito, quòd & ad ueniẽtes & abeuntes simul ordines meditamini, & id nocte simul & die: simul etiam, quòd & corpora ambulantes exercetis, & prodestis animis doctrina. Quoniam igitur omnia facitis duplicata, iustum est duplicatam uobis à me præberi epulationem. Noli per Iouem, inquit primipilus, uno die præbere duplicatã, nisi duplicatos etiã nobis uteros præbueris. Et tum finis conuiuij talis fuit. Postero autem die Cyrus illum ordinem, ut dixerat, inuitauit, itemq;

itemq; sequenti die. Quæ ubi alij quoq; didicissent, reliqui eos imitati sunt omnes. Sed cũ aliquãdo milites omnis centeret in armis Cyrus, simulq; ordinaret, uenit à Cyaxare nuncius, qui diceret Indorũ adesse legationẽ. Quare is ingredi iussus: Fero tibi, dixit, etiã stolã pulcherrimã à Cyaxare: uult enim te anteuertere, quò splẽdidissimo ornatissimoq; corporis cultu aspiciaris ab Indis, dũ aduenis. Quæ Cyrus ubi audisset, præcepit primo ordinis cẽturioni, qui instructus erat, ut stans ad dexterã singulatim ordinẽ duceret, in frontemq; locaret: & secundo iussit, ut idem præciperet, ac per omnis idem iussit ut traderetur. Qui ita obedientes, & præceperũt celeriter, & quæ præcepta sunt fecere quamprimũ, breuiq; tempore fuerunt in fronte quidem ad ducentenos (totidem enim erãt ordinũ cẽturiones) in medio uerò agminis ad centenos. Vbi autem constituti sunt, eos sequi iussit pro suo ductu, continuoq; ducere maturabat. Sed posteaq; didicisset callem ad regiã ferentẽ esse angustiorem, q; ut in fronte omnes transirent, iusso primo ordine sequi loco suo, secũdo ad caudã huius, atq; ita deinceps omnibus Cyrus quidẽ ducebat assiduè: alij uerò ordines sequebãtur, quisq; ad anterioris caudam. Misit præterea ministros duos ad callis introitũ, quò imprudentibus uiæ quid factu opus fõret, significaret. Sed ubi uenerunt ad Cyaxaris ianuã, præcepit primo ordinis centurioni, ut ordinem in duodenos circa mediũ instrueret: duodenarios uerò profectos in fronte cõstitueret circa regiam: ac secundo eadẽ præcipi iussit, et ita deinceps omnibus. & hi quidem hæc faciebãt. Hic uerò ad Cyaxarẽ est ingressus in stola Persica nihil immutata. Quem intuitus Cyaxares celeritate quidem lætatus est, sed turbatus uilitate stolæ,

Quid hoc, ait, Cyre? Cuiusmodi rem feci sti ita Indis apparens? Ego sanè uolebam te quamsplendidißimum apparere. Nam mihi ornamento hoc erat, quòd mea natus soror magnificus & elegantißimus uidereris. Ad quæ Cyrus inquit: Et utrum magis te ornassem Cyaxares, si cùm induerer ueste purpurea, caperemq; armillas, & monili collum circũdarem, ocioso iußis tuis audirem. an potius nũc, quando cum talibus tantisq; uiris adeò properè tibi pareo, cum sudore ac studio tui honorandi gratia, tum ornatus ipse, tum alios ostentans adeò tibi obedientis? Hæc Cyrus locutus est. Quem Cyaxares cùm rectè dicere putasset, uocauit Indos. Qui ingressi dixere, mitti se ab Indorũ rege, à quo iußi essent interrogare, qua ex re bellum esset Medis & Assyrio: Et cùm te audissemus, iußit ut rursus iremus ad Assyrium, & ab illo eadem hæc interrogaremus. Ad postremum, ut uobis utriq; diceremus, regem Indorum considerato iure, cum illo fore cui iniuria sit illata. Ad hæc Cyaxares ita respondit: Me igitur audite. Nulla nos Assyrium afficimus iniuria prorsus. Illum, si opus est, adite interrogaturi quid dicat. Cyrus autem cùm adesset, quærebat ex Cyaxare: Num etiam ego, inquiens, dicam quod sentio? Qui iußit ut diceret. Vos igitur, inquit Cyrus, regi Indorũ hæc nunciate, nisi quid aliud Cyaxari uidetur, nos ita dicere: Si quid iniuriarũ à nobis Assyrius dicit in se illatum, eligimus ipsum regem Indorum iudicem. His igitur auditis, legati abierunt. Sed postaquã Indi egressi sunt, Cyrus ad Cyaxarem dicere hæc cœpit: O Cyaxares equidem ueni domo sine multis priuatis pecunijs: quot autem erant, harũ mihi paucæ sunt reliquiæ, eas enim in milites consumpsi. Et hoc miraris fortasse tu,

quo

quo pacto eas cõsumpserim, quando hi milites abs te alantur. At ne te lateat uelim, eas à me consumptas esse pecunias in nullum aliud opus, quàm ad honorem & gratiam, dum præclarum alicuius militis facinus admiror. Videtur enim mihi omnibus, quos ullus uelit cuiuscunq; rei bonos reddere adiutores, his iucundius esse, si bene & dicendo & faciendo fuerint ab illo incitati, quàm si molestia afficiantur, coganturq;. Quos igitur quisquam uelit alacres sibi rerum bellicarum adiutores facere, hi omnino uenandi sunt mea sententia bonis & uerbis, & rebus. Amicos enim eos, nõ inimicos esse oportet, qui pro nobis sine excusatione sunt pugnaturi: & talis quidem amicos, ut neq; secũdis in rebus sint imperatori inuisuri, neq; in aduersis eum prodituri. Hæc igitur ipse ita prouidens, pecunijs opus esse puto. Omnibus autẽ in rebus ad te respicere, cuius permultam sentio esse impensam, uidetur mihi absurdum esse. In mediũ autem cõsiderandum arbitror & tibi, & mihi, ne tibi pecuniæ desint. Nam si hæ tibi abundè fuerint, scio etiam mihi futuras, ubi opus fuerit, præsertim si in huiusmodi eas rebus accipiam, quarum sumptus, ubi eas capias, tibi sit conducturus. Iam uerò memini nuper ex te audire, te ab Armenio nunc contemni, quoniam audit hostes aduersus nos ire. Quo fit, ut neque exercitum mittat, neq; tributum quod debet. Facit hæc, inquit, Cyre. Itaque ego dubito, utrum mihi sit melius bellum inferre atque eum cogere, an magis conducat per hoc temporis missum facere, ne hunc etiam alijs aduersus nos hostem addamus. Et Cyrus interrogabat: At habitacula utrum ei sunt in munitis locis, an cõtrà? Ad quem Cyaxares respondit: Nequaquã in locis sunt admodum munitis. Ego enim

Milites quomodo ad res alacriter gerendas excitandi.

hoc noui. Sunt sanè montes ubi queat, si subitò abierit, tutus esse, quò minus captiuus fiat: neq; res item eæ capiantur, quascũq; subuehere potuerit, nisi quis pertinacius obsederit, quemadmodum à patre meo factum est. Dein hæc Cyrus locutus est: Si mittere me uolueris, additis mihi equitibus quot uisi fuerint tibi satis, effecturum me puto pro deorum ope, ut & milites mittat tibi, & tributum soluat: ac item futurũ spero, ut nobis magis amicus fiat quàm nunc est. Et Cyaxares inquit: Et ego spero illos magis ad te ituros quàm ad me: audio enim pueros quosdam eius tecũ unà olim uenari consuesse: itaq; rursus eant ad te fortasse. Quorũ si quos ceperis, aget Armenius omnia quæ nos uoluerimus. Videtur ne igitur, inquit Cyrus, tibi conducere occultanda esse consilia hæc nostra? Magis enim, inquit Cyaxares, eorũ aliquis in manus ueniat: ac si quis eos aggrediatur, possint capi imparati. Audi igitur, inquit Cyrus, an tibi uidear aliquid dicere. Sæpe cum socijs meis omnibus uenatus sum circa montes & tui & Armeniorum agri, & equitibus olim aliquibus assumptis ex hisce Medis socijs illuc ibam. Similia igitur, inquit Cyaxares, si facias, haud eris suspectus. Quòd si maiores copiæ illis appareãt copijs quas ad uenationem habere consuesti, hoc nimirũ suspicionem afferat. Sed licet etiam hac in re, inquit Cyrus, excusationem instruere ueri similem, si quis ad illos enunciet, uelle me magnã facere uenationẽ, & abs te equites palàm petere. Dicis tu quidem perpulchrè, inquit Cyaxares: atqui ego tibi nõ dabo præter paucos quosdam, quasi iturus sim ad castella, quæ sunt iuxta Assyriam: etenim illuc ire re uera instituí, atque ea reddere quammunitissima. Cùm tu autem processeris cum tuis copijs, ac duos iam dies ue-

dies uenando contriueris, mittam tibi meorum & equitum & peditum quantum sat fuerit: quibus tu assumptis, continuò ascendas. Ipse uerò cum alijs copijs enitar non abesse à uobis procul, quò ubi tempus fuerit, superueniã. Hoc igitur modo Cyaxares continuò coëgit ad castella equites ac pedites, præmisitq; currus cum cibo, ea uia quæ ducit ad castella. Cyrus autem sacrum fecit propter profectionem, simulq; ad Cyaxarem mittens, petebat iunioris equites. Hic uerò non multos ei dedit, cum permulti ad eum uellent. Cumq; Cyaxares iam anteceßisset cum copijs peditũ atq; equitũ, ea uia quæ ad castella ducit, Cyri sacrificia de eundo aduersus Armenium bona extiterunt: & ita Cyrus suos ducit tanquam in uenationem instructos. Ei uero proficiscenti, continuò in primo agro exurgit lepus. Aquila autem uolans dextera, leporẽ despiciẽs fugientem, & irruit, & percußit illum, extulitq; correptum, eoq; ablato in collem proximum, pro libidine utebatur præda. Augurium igitur Cyrus intuitus, cum lætatus est, tum Iouem regem adorauit, dixitq; ad præsentes: Venatio quidem, amicißimi uiri, pulchra est futura si deo libuerit. Vt autem ad fines uentum est, continuò uenabatur, quemadmodum consueuit. Et peditum atq; equitum multitudo mota est ita, ut feræ exurgerent. Fortißimi uerò pedites atq; equites diuisi sunt, exurgẽtisq; bestias excipiebant atq; insequebãtur. Multosq; cepere sues ac ceruas, capreasq;, & asinos syluestris. Nam in his locis permulti sunt etiam hoc tempore syluestres asini. Finita autẽ uenatione, cum applicuisset ad finis Armeniorũ, cœnatus est. Rursusq; postridie uenabatur, ad eos mõtes accedens quos desiderabat. Cumq; rursus uenari desisset, cœ-

nabat. Vt autem accepit exercitum, quem Cyaxares miserat, aduentare, missо ad eos clàm nuncio, iussit abessent duas parasangas, hoc est, stadia sexaginta, ibiq; cœnarent, hoc prouidens conducturum ad latendum. Vbi autem cœnarint, dixit eorum principi, ad se iret. Post cœnam ad se uocauit ordinũ centuriones. Qui ubi adfuere, locutus est in hunc modum: Armenius, uiri amicissimi, & socius erat antea & subditus Cyaxari: sed nunc ut accepit hostes aduenientis, eum contemnit, quippe qui neq; exercitum nobis mittit, neq; tributũ soluit. Itaque nunc uenimus ad hunc uenandum si possimus. Quare ita faciundum uidetur mihi. Tu Chrysanta, cùm delatus in fines fueris, assumpto dimidio Persarum qui sunt nobiscum, facto montano itinere, montes occupa, quò eum cùm metus ullus inuaserit, aiunt confugere. Duces autem ipse dabo tibi. Et hosce quidem montis densos arboribus esse ferunt, itaq; sperandum est latêre nos posse. Veruntamen si præmittas ante exercitum ex tuis aliquos expeditos uiros, qui latronibus & numero & stolis similes sint, hi si in Armenios ullos incidant, quos quidem comprehenderint, eos impediant, ne quid renuncient: quos uerò nequeant cõprehendere, eos longius insequantur, quò apertè non possint totũ aspicere agmen tuum, sed ut de furtis potius consultent. Et tu quidem ita facito. Ego autem cum primũ illuxerit, dimidium peditum mecum habens, omnisq; equites, campestri itinere uidelicet cõtinuò proficiscar ad regiã. Et si quidem obstiterit, uidelicet pugnandũ erit: sin se campo subduxerit, cursim erit insequendus. Quòd si fugerit in mõtes, hic tum opus futurum est, ut qui ad te uenerint, eorum euadat nemo. Existimato ita nos futuros, ut qui feras indagant in

uenatio-

uenatione: te autem, ut eos qui sunt ad plagas. Illud igitur memineris, oportere prius saltus obstruere, quàm feræ moueantur. Eosq; latêre opus esse, qui sunt ad hos aditus ordinati, ne auertant delatas feras. Ac noli tu quidem rursus facere Chrysanta, quemadmodum quandoque soles ob uenandi studium. Nam sæpe totã noctem in negocio somnum nõ admittis. Sed est hoc tempore permittendum, ut uiri mediocriter dormiant, pugnare ut possint. Neq; tu sanè montibus soles errare, quòd careas itineris ducibus: sed quacunq; feræ subducunt, hâc transcurrens transire didicisti. At noli sic etiam nunc per loca difficilia transitu abruptaq; proficisci, sed ducibus tuis iube, nisi longè breuior uia fuerit, per facillimam ducant. Quod enim agmen facillimum sit, idem est celerrimum. Nec etiam quia sis solitus per montes currere, uelis te cursus præstare ducem, sed ut te sequi possit exercitus maturè ducito. Bonũ etiam est, ut ex robustissimis aliqui & alacerrimis uiris, subsistant quandoq; atq; alios adhortentur. Sed ubi cornu præterierit, incitanda est acceleratio, ut omnes quo ad eos qui ingrediuntur, currere uideantur. Hæc ubi Chrysantas audisset, lætatus admodum Cyri præceptione, animoq; elatus cepit itineris duces. Et ijs qui secum erant profecturi, postea quam iussisset faciunda, dedit se quieti. Sed ubi dormisset quantum uisum est satis, ad montes proficiscebantur. At Cyrus ubi illuxit, nuncium ad Armenium præmisit, qui iussus est ita dicere: Cyrus, ô Armenie, ita ut facias, iubet, uti quamprimùm uenias tributum & exercitum habens. Quòd si rogat ubi sum, uera dicito, esse in finibus. Sin rogat, an ipse uenio, hic etiam uera loquere, nescire te. Sin quæsierit, quot sumus, iube aliquem ipse

tecum ut mittat, ac discat. Nuncio igitur misso Cyrus hæc monuit, existimans amicius ita esse, quàm si prædicens nihil, proficisceretur. Ipse uerò instructus quamoptimè, & ad peragendum iter, & ad pugnãdum, si opus foret, pergebat. Iussit præterea militibus, ab iniuria abstinerent: ac si quis in Armenium quenquam incidisset, cum moneret, ut & nihil metueret, & quisq; pro uoluntate uenalia ferret, ubicunq; ipsi forent, siue esculenta uellent, siue poculenta uendere.

XENOPHONTIS CYRI DISCIPLINAE LIBER TERTIVS,

Francisco Philelpho interprete.

CYRVS igitur in his erat. At Armenius auditis quæ sunt à Cyro nunciata, perterritus est, secum ipse cogitans, se esse iniustum, cum neq; tributum solueret, nec exercitum mitteret. Vehementißimeq; timebat quòd uisus esset muro cingẽdæ regiæ feciße initium: quò satis esset ad repugnandum. Quare ob hæc omnia ueritus simul mittebat, tum ad cogendas uires suas, tum iuniorem filium Sabarin in montes, ac item uxores & suam & filij, atque filias, & ornatum quoq; atq; apparatum cum his precioßißimum mittebat, datis qui eos deducerent. Ipse autem et speculatores simul mittebat, intuitum, quid ageret Cyrus, & præsentis Armenios instruebat, cum celeriter alij aderant, qui dicerent hunc ipsum Cyrum adesse unà. Hic igitur non amplius sustinuit manum conserere, sed sese subtraxit. Quod ubi uidißent Armenij, diffugerũt quisq; ad sua habitacula, ut qui uellent res suas

res suas procul portare. At Cyrus ut campũ uidit discurrentium & uadentium plenum, ad eos summittebat qui dicerent, eorum se nemini hostem esse, qui manerent: quòd si quem ceperit fugientem, eo pro hoste se usurum. Itaque plures restiterunt. Qui autem clàm secesserant, erant unà cum rege. At ubi hi qui antecesserant unà cum mulieribus, in illos inciderunt qui latebant in monte, clamoribus continuò complebant omnia, atque eorum plures capti sunt. Demum uerò & filius, & uxores, & filiæ simul cum pecunijs capiuntur, quotquot unà cum illis agebantur. Ipsorum autem rex ut sensit quæ gerebantur, quâ uerteretur ignarus, quendam in collem fuga se recepit. Quæ Cyrus item intuitus, collem cingit præsenti agmine, mittitq; ad Chrysantam, iubens ut relicta montis statione ad se iret. Et agmen quidem cogebatur ad Cyrum, qui ad Armenium misso caduceatore, ita interrogabat: Dic mihi Armenie, utrum uis istic manens, cum fame sitiq; pugnare, an in planitiem descendens nobiscũ manũ conferere? Cui respondit Armenius, se cum neutris pugnã uelle. Ad quem rursus mittens Cyrus interrogat: Quid igitur istic sedes, & non descendis? Quoniam, inquit, quid me facere oporteat, ambigo. Sed nihil, inquit Cyrus, ambigere te oportet. Nam licet tibi ad agendam causam descendere. Quis autem, inquit, iudex futurus est? Videlicet, inquit, cui deus etiã sine iudicio te uti dedit, ut uelit. Hic igitur Armenius necessitate cognita descendit. Ac Cyrus & illo, & alijs omnibus illius rebus intra exercitum receptis, castra posuit, cùm uires iam omnis simul haberet secũ. Per id uerò temporis Armenij filius ætate maximus Tigranes, ex peregrinatione quadã aduenit, qui fuerat olim Cyro conuenator.

Hic rebus ijs auditis, ita ut habebat, continuò ad Cyrum proficiscitur. Sed ubi uidit patrem ac matrem, sororesq;, atq; uxorem suam captiuos factos, collachrymatus est, ut par erat. Cyrus autẽ illum intuitus, alia in eum benignitate nulla est usus, sed dixit: Venisti in tempore, ut de patre causam præsens audias. Conuocabatq; continuò Persarum ac Medorum duces, & ad hos etiam acciebat si quis aderat ex honestis Armenijs, neq; amouit, sed audire permisit mulieres, quæ aderant in rhedis. Atq; ubi idoneum fuit, dicere est aggressus: Et ô, inquit, Armenie, primùm tibi cõsulo in causa loqui uera, quò tibi id unũ desit, quod est odiosissimum. Nanq; apertum mendacium, ut scis, impedimento est hominibus maximè ad ueniam consequendam. Dein conscij tibi sunt & liberi & mulieres hæ, quot quantaq; gesseris, & Armenij, qui adsunt: qui si te dicere senserint alia, quàm quæ feceris, putabunt te tua sententia damnatum ad extrema patiunda omnia, si ego uera cognouero. At interroga, inquit, Cyre, quod ipse uis. Nam horum gratia uera loquar, & fiat quodcunq;. Dic igitur, inquit, mihi, Gessisti ne olim bellum aduersus Astyagen matris meæ patrem, aduersusq; Medos alios? Gessi equidem. Ab eo autem uictus conuenisti ne tributum te daturum, iturumq; in expeditionem ubi iuberet, & munimina non habiturũ? Hæc uera sunt. Nunc ergo quare neque tributum tulisti, neq; agmina misisti, & munimina muro cinxisti? Libertatem, inquit, cupiebam. Pulchrũ enim mihi uidebatur & me liberũ esse, & liberis meis libertatem relinquere. Etenim pulchrum est, inquit Cyrus, pugnare quò nunquam sit futurus quis seruus. Quòd si aut bello quis uictus, aut alio quoquam modo in seruitutem actus,

molia

molìatur herum ſeipſo priuare, hunc tu primus dicito, utrum ut bonum uirum honores honeſteq; agentem, an ut iniuſtum, quem ceperis, ſupplicio afficias? Afficiam, inquit, ſupplicio. Nam mentiri me nõ ſinis. Dic igitur liquidò, inquit Cyrus, ſingillatim: Si quis tibi in magiſtratu fuerit, & errarit, utrum eum ſinis magiſtratum gerere, an alium eius loco conſtituis? Alium, inquit, conſtituo. Quid ſi grandem habeat pecuniam, ſinis eum diuitem eſſe, an paupere facis? Aufero, inquit, quæ habeat. Sin etiã ad hoſtes eum deficere intelligas, quid facis. Interimo, inquit. Quid enim eſt opus mendacij me potius argutũ, quàm uera dicentem mori? Hic eius filius hiſce auditis tiarã diſcerpſit, peploſq; diſcîdit: mulieres uerò uociferantes laniabantur perinde atq; ſi actum eſſet de patre, et ipſæ iam periſſent. Et Cyrus eas tacere cùm iuſſiſſet, rurſus inquit: Eſto ſanè. Iſta igitur æqua ſunt Armenie. Nobis autem, quid ex his faciundum conſulis? Ad quæ tacebat Armenius, dubius is quidem, utrum Cyro conſuleret, num ut ſe interimeret, an ijs contraria doceret, quæ ipſe dixerat ſeſe facere. At filius eius Tigranes interrogabat Cyrum, inquiens: Dic mihi Cyre, quoniã pater uidetur ambigere, uis ne ea de ipſo cõſulam, quæ tibi optima eſſe reor? Et Cyrus quoniã accepiſſet quo tempore Tigranes ſecũ uenabatur, ſophiſtam ei fuiſſe familiarẽ atq; admirationi habitũ, percupiebat audire, quid dicere tãdem uellet. Itaq; impigrè iuſſit ut diceret, quod ſentiret. Ego igitur, inquit Tigranes, ſi quidẽ tu probas in patre uel quæq; conſuluit, uel quæq; geſſit, ut hunc imiteris, plurimum tibi conſulo. Quòd ſi tibi uidetur peccaſſe omnibus in rebus, cõſilium meum eſt, ne hunc imiteris. Ergo, inquit Cyrus, ſi faciam iuſta, mini

mè peccantem imiter? Sanè, inquit. Supplicio igitur afficiendus sit pater tuus pro tua ratione: siquidem iustũ est, iniustum afficere supplicio. Vtrum autem censes Cyre melius esse, aut ad tuam utilitatem cruciatũ fieri, aut ad tuũ detrimentũ? Ergo meipsum, inquit, hoc pacto cruciarem. Atqui plurimum tibi noceres, si tum tuos interimis, cùm eos habere possis cum utilitate tua maxima. At quo pacto possint homines maximè utiles fieri, cùm deprehendãtur iniusti? Si tum mea sententia fiant sapientes. Videtur enim mihi Cyre ita habere, sine sapientia quidem neque aliàs uirtutis ullam esse utilitatem. Quid enim quisquam utatur robusto fortiue, si insipiens fuerit? Quid equestri? Quid diuite? Quid potestatem habenti in ciuitate? Vna cum sapientia & amicus quisq; est utilis, & seruus omnis bonus est. Hoc igitur, inquit, dicis, quòd etiam tuus pater hoc uno die ex insipienti factus est sapiẽs? Valde quidem. Affectum ergo tu animi esse dicis sapientiam quemadmodum ægritudinem, non disciplinam? Haud enim, si uidelicet prudentem fieri oportet, qui futurus sit sapiens, continuò ex insipienti sapiens quisquam fiat. Quid autem, inquit, Cyre, nondum sensisti etiam unum uirum ob insipientiam inire cum eo pugnam, qui se fortior sit: cumq; sit uictus, cessasse continuò à sua in hunc insipientia? Nondum item ciuitatem uidisti aduersus alteram ciuitatem instructam ad pugnam, quæ uicta cùm fuerit, huic cõtinuò pro pugna obedientiam præstat? Quam autem, inquit Cyrus, patris cladem dicens, nixius asseueras adeò ipsum esse sapientem effectum? In quo, inquit, mehercule sibi conscius factus est, quòd pro libertate quam cupiebat, seruus sit factus, ut antea nunq̃. Quæ autem putauit latêre oportere

terè, aut præuenire aut propulsare, horum nihil potuerit efficere. Te autem nouit, cùm uoluisti eum decipere, ita decepisse, quemadmodum si quis cæcos ac mutos, nullius q̃ sensus atq; mentis homines deciperet. Quæ uerò putasti latère oportere, ita à te occultata esse nouit, ut quæ sibi putabat loca parasse munitissima, hæc ei tu carcerem clàm anteastruxeris. Tanta autem celeritate eum superasti, ut à loco longè distanti cum magnis copijs profectus, prius assequereris, quàm hic uires apud se suas coëgerit. Dein, uidetúr ne tibi, inquit Cyrus, tales clades satis esse, quæ homines reddat sapientis si cognoscat alios esse se meliores? Longè quidem magis, inquit Tigranes, quàm cùm quis pugna sit uictus. Nam corporis uiribus superatus interdum putauit fore, ut corpore exercendo repugnaret. Et urbes captæ arbitrantur assumptis socijs repugnare se posse. Quos autem melioris sese aliqui duxerint, his plerunque etiam non coacti libenter parent. Tu quidem uideris non existimare homines cõtumelioſos eos nosse, qui se sint temperantiores: neq; fures illos, qui nõ furantur: neq; mentientis, qui loquuntur uera: neq; iniustos, qui iusta quæ sunt, faciunt. An es ignarus nunc quoq; patrem tuum esse mentitum, neq; cõstanter obseruasse quæ nobiscum conuenerat, cùm non esset nescius nos eorum nihil omnino esse transgressos, quæ Astyages conuenisset? At nec ego, inquit Tigranes, hæc dico, solam meliorũ cognitionem sine ulla pœna à mẽlioribus inferenda reddere homines prudentis, quemadmodum nunc meus pater dat pœnas. Verùm tuus pater, inquit Cyrus, nullum prorsus adhuc passus est malum, qui, scio, admodum timet, ne extrema omnia patiatur. Num igitur quicquam putas, inquit Tigranes, magis

homines sibi subijcere, quàm uehementem metum? Num es nescius eos, qui ferro percutiuntur, quod supplicij genus putatur ualidissimũ, rursus etiam uelle aduersus eosdem pugnare? Quos autem uehementer homines metuerint, ad hos ne si consolentur se quidem, possunt etiam oculos conuertere. Dicis tu, inquit, metum maiori supplicio esse hominibus, quàm si re ipsa male afficiantur? Ac tu quidem nosti, inquit Tigranes, me uera dicere: scis enim eos, qui metuunt exilium patriæ, quiq; pugnaturi timent ne uincantur, degere in animi acerbitate. Et eodem modo qui nauigant, ne patiantur naufragium, & qui seruitutẽ ac tributum metuunt, hosce neq; cibum posse, neq; potum capere propter metum. Qui iam uerò exules sunt, & qui uicti, & qui serui, possunt interdum magis etiam quàm felices ipsi, & comedere & dormire. Estq; manifestius etiam in hisce quantum metus sit onus: aliqui enim metuentes, ne si capti fuerint, mortem dent, prius ob metum moriuntur: alij iacientes præcipites seipsos, alij laqueo suspendentes, alij iugulantes. usqueadeo metus rerũ omniũ horribilium maximè animos perterret. Meum uerò patrem quì nunc putas animo affici, qui non modò de sua, uerùm & de mea, & de uxoris, & de omnium liberorum seruitute metuit? Ad hæc respondit Cyrus: At quòd pater hic tuus ita nunc afficiatur, facilè equidem crediderim. Nam eiusdem uiri esse uidetur mihi, & in secundis rebus uti contumelia, & in aduersis animo consternari celeriter: & rursus item si quid respirarit, animo efferri, ac iterum molestum se præstare. Sed ita est profectò Cyre. Nostra quidem errata uidentur in causa esse posse, quò minus credatur nobis. Verùm tibi licet castella muris cingere, & quæ,

quæ minuta sunt continere, & aliud fidei pignus capere, quodcũq; uelis: ac nos sanè habebis, qui hæc feramus haud iniquo admodũ animo: meminerimus enim nos harũ rerũ esse autores. Quòd si cui illorum, qui nihil deliquerint, regnum tradas, ac fidem eis non adhibeas, uide ne simul & benefacias, & illis amicus non existimeris. Sin rursus odium cauens, minus eis iuga imponas, quò à contumelia abstineant, uide ne illi denuò corrigendi etiã sint magis, q̃ nos nunc fuerimus. Sed ita, inquit Cyrus, per deos immortalis, huiusmodi ego ministris nõ libenter mihi uidear uti, quos sciam necessitate ministrare. Quos autẽ norim beneuolentia amicitiaq; mea quod opus est capessere, hi mihi uidentur etiam si peccarint, facilius ferendi, quàm ij qui me exosi, omnia cumulatissimè necessitate præstant. Ad quæ Tigranes respõdit: Amicitiã à quibus unquã tantam capias, quantam à nobis comparare nunc potes? Ab illis, inquit, mea sententia, qui mihi hostes fuere nunquã, si uelim in eos esse beneficus sic, ut ipse nunc iubes uobis beneficiam. Nunc etiam possis, inquit, Cyre quenquã hoc tempore inuenire, in quẽ tanta utaris beneficentia, quanta in patrem meũ? Si quem uiuere nunc sinas, qui nulla in te sit usus iniuria, quam eum tibi putes gratiam habiturũ? Quid etiam, si eius liberos & uxorem nõ auferas? Quis te huius rei gratia amabit magis, quàm qui putat iure sibi auferri debere? Regnum uerò Armeniorum si minus habebit, scis ad nullum q̃ ad nos dolorem maiorẽ peruenturum. Itaq; ex hac re perspicuum est, in quem maximè dolor peruenit, si rex nõ fuerit, hunc accepto imperio, maximam tibi gratiã habiturũ. Quòd si tibi curæ est, ut hasce res abiens relinquas pacatissimas, considera utrũ putes habere quie-

Ministri qui meliores.

tius, nouó ne incipiente imperio, an permanente usitato? Sin est tibi curæ, ut quamplurimũ exercitũ educas, quem magis existimas hunc rectè scrutari, quàm qui sæpe eo est usus? Si præterea pecunijs opus fuerit, quem has censeas melius paraturũ, quàm qui & nouit, & quæ sunt eas habet omnis? O Cyre, uir optime, caue ne si nos amiseris, maiori tibi sis detrimento, quàm pater tibi potuerit nocere. Tigranes in hunc modum locutus est. At Cyrus hæc audiens mirificè lætabatur, quòd putaret sibi ad exitũ euenire omnia, quæcũq; Cyaxari fuerat pollicitus sese acturũ. Meminerat enim dixisse, futurum se putare ut faceret Armenium ei amicũ magis, quàm esset antea. Et exhinc Armenium rogat: Si hæc igitur uobis credidero, dic tu mihi Armenie, quantũ mecum mittes exercitum, & quantum pecuniarũ in bellum conferes? Ad hæc ait Armenius: Nihil habeo Cyre simplicius tibi dicere neq; iustius, quàm ut tibi declarem potentiam omnem meam: quam ipse cum uideris, quantum tibi uisum fuerit, exercitum agito, relicto hic regni præsidio. Itidem etiam de pecunijs iustum est tibi declarem, quanta mihi sit quantitas. Quibus tu cognitis, accipies quantũ uolueris, ac itẽ mihi relinques quantũ libuerit tibi. Et Cyrus inquit: Agè igitur, dic mihi quantæ tibi sunt copiæ, dic etiam quantum pecuniarũ. Hic, inquit Armenius, equites Armeniorum sunt ad octo millia, pedites uerò ad quadraginta millia. At pecuniæ unà cum thesauris quos reliquit pater, sunt in argentũ supputatæ plures, quàm tria millia talenta. Ac Cyrus hoc non neglexit. Exercitus igitur, inquit, quoniam Chaldæi finitimi aduersus te bellum gerunt, dimidium mecum mitte. Ex pecunijs uerò pro talentis quinquaginta quæ ferebas tributo, duplum

plum Cyaxari soluito, quoniam ea soluere desieris. Mihi uerò alia talenta centum dato mutuo: pro quibus ego tibi polliceor, si mihi deus benignus fuerit, me aut maiora in te beneficia collaturum, aut pecunias ipsas, si sit facultas, dinumeraturum. Quòd si facultas defuerit, impotentiæ, mea sententia, non iniustitiæ damnandus iure uidear. Et Armenius: Per deos, inquit, Cyre noli ita loqui, alioquin nulla mihi erit in te fiducia: sed existimato, quascunq; mihi pecunias reliqueris, non secus tuas esse, quàm quas habeas tecum abiens. Esto, inquit Cyrus. At ut recipias uxorem, quantum mihi pecuniarum des? Quantumcunq; equidem posim. Quid uerò ut recipias liberos? Et propter hos, inquit Armenius, quantumcunque mihi facultas sit dare. Hoc pacto, inquit Cyrus, hæ sunt plures duplo quàm habeas. Tu autem, inquit, dic mihi Tigranes: Quanti emas, quò recipias uxorem? Hic uerò & nuper uxorem duxerat, & eam mirificè amabat. Equidem, inquit, ô Cyre uel anima emam, quò hæc nunquam famuletur. Tu igitur, inquit Cyrus, abducito uxorem tuam: nec enim feciſſe hanc captiuã puto, cùm ipse nunquam à nobis fugeris. Et tu quoq; Armenie & uxorem tuam, & filios tecum age nullo soluto pro eis precio, quò uideant se abire ad te liberos. Et nunc apud nos cœnate, cœnati uerò abite quò uobis libet. Ita igitur manserũt. Illis autè discũbentib. post cœnã Cyrus, Dic mihi, inquit, Tigranes, uir ille ubi nam est, qui nobiscum unà uenabatur, & quẽ ipse admirari plurimum uidebare? Nõnne, inquit, eum pater hic meus interemit? Ob quam, inquit Cyrus, iniuriã? Dicebat ab eo me uitiari: qui Cyre, ita erat honestus, ac bonus, ut etiã cùm esset moriturus, me ad se uocarit, inquiens: Noli Tigranes quic-

quam succensere patri de morte mea. Non enim ulla maleuolentia hoc facit, sed imprudentia. Quæcunq; uerò per imprudentiã ab hominibus delinquuntur, hæc omnia esse arbitror inuita. Ad hæc inquit Cyrus: Heu qualem uirum. Sed Armenius ita dixit: O Cyre, neq; hi, qui suis cum uxoribus adulteros cõprehendunt, ob hanc causam eos interficiunt, quòd illas reddant impudicas: sed quia ipsos existimant ab eis auferre charitatẽ erga uiros, itaq; ijs ut hostibus utuntur. Ita & ego illi inuîdi, quòd facere uideretur, ut filius meus se magis quàm me patrẽ admiraretur. Ad quæ inquit Cyrus: Sed ita per deos, Armenie, uideris mihi humana perpetrasse errata: ac tu Tigranes patri ignoscito. Cùm talia illi tum disseruissent, et perbenignè essent excepti, ut par erat, ex reconciliatione in rhedas unà cum uxoribus ascendentes, abibant læti. Cumq; uenissent domum, narrabant Cyri alius sapientiã, alius constantiã, alius manſuetudinẽ, alius etiam pulchritudinem atq; magnitudinẽ. Hic igitur Tigranes quærebat ex uxore: Num etiam, inquiens, tibi Armenia Cyrus uidebatur esse pulcher? At illum ædepol, inquit, non spectabam. Sed quem, inquit Tigranes, spectabas? Illum ecastor, inquit, qui dixit se animasua fuisse emptorum libertatem meam. Et tum sanè, ut erat consentaneum, post huiusmodi uerba inuicem quiescebant. Postridie uerò illius diei Armenius & ad Cyrum, & ad exercitum uniuersum dedit hospitalitatis munera. Suis autem, quos ire in expeditionem oportebat, pronunciauit in tertiũ diem ibi adesse: & quas pecunias Cyrus dixerat, duplicatas eas dinumerauit. At Cyrus quot iusserat acceptis, alias remisit: quærebatq; uter esset ducturus agmen, filiús ne, an ipse. Respondẽrũtq; uterq; simul: & pater

pater quidem ita, Quencunq; ipse iubebis. At filius ita: Equidē ipse abs te Cyre non abero, ne si sarcinarius quidem sim secuturus. Cui arridens Cyrus: Quanti, inquit, æstimares, ut uxor tua esset auditura te sarcinā ferre? At minimè opus erit ut audiat, agam enim: itaq; uidere licebit ei quic quid geram. Tempus instruendi fuerit uobis, inquit Cyrus. Existimato, inquit Tigranes, instructos adfore, quicquid dederit pater. Et tum quidem munerati milites dederunt se quieti. Postero autem die Cyrus Tigrane ac fortißimis Medorum equitibus acceptis, & ex amicis suis quot opportuni uisi sunt, regionem obequitans conspicabatur, cō siderabantq; ubi castellum muro cingeretur: et ubi uenisset in uerticem quendam, interrogabat Tigranem, qui essent montes, unde Chaldæi decurrentes prædarentur. Quibus à Tigrane ostensis, quærebat rursus: Nunc in his montibus solitudo agitur? Non mehercule, respondit, sed in illis speculatores sunt semper, qui alijs significant, quic quid uideant. Quid igitur, inquit, faciunt ubi senserint? Auxilium laturi eunt ad uertices, quisq; pro uiribus. His Cyrus auditis, ubi considerasset, audissetq; multū agri esse Armenijs, & desertum et incultum esse propter bellum, tum quidem & ipse & cæteri ad castra redierunt, & ubi cœnati sunt, quieti se dederunt. Postridie uerò & Tigranes ipse instructus aderat, et equites ad quatuor millia cogebantur ei, & sagittarij ad decem millia, & tantundem scutatorū. At Cyrus interea dum hi colligebantur, sacrum faciebat. Sed posteaquā litauit, Persarū conuocauit atque Medorū duces, qui ubi simul fuere, talibus eos alloquitur:

Viri amicißimi, montes hi quos uidemus, sunt Chaldæorum: hos si occupauerimus, fecerimusq; castellum in uer- Cyri oratio.

tice, neceſſe ſit ut utriq; & Armenij & Chaldæi, ad ſanitatem erga nos redeãt. Et ſacrificia quidem nobis bene habent. Humana uerò audẽtia ad hæc agenda nihil ita nobis magno erit momento, ut celeritas. Nã ſi occupatũ eò aſcenderimus prius quàm hoſtes cogantur, aut ſine pugna omnino capiamus uerticem, aut & paucis utamur & imbecillis hoſtibus. Laborũ autem nullus eſt neq; facilior, neq; tutior, q̃ ut nunc conſtanter acceleremus. Ite nunc ad arma. Et uos quidem Medi pergite nobis ad læuam. Vos autem Armenij dimidiati, pars ad dexteram, pars ante nos ducite: at uos equites poſt nos ſequimini, hortantes & urgentes nos ſurſum. Quòd ſi quis molliorẽ ſe præſtiterit, ei aduerſamini. His dictis Cyrus antecedebat, rectos manipulos ducens. At Chaldæi ubi nouerũt impetũ ſurſum fieri, & id continuò ſuis ſignificabant, & unà clamore inuitem ſublato cogebantur. Cyrus autẽ ita monebat, Viri Perſæ nobis accelerandum eſſe ſignificant. Nam ſi ſurſum anteuerterimus, hoſtes poterũt nihil. Habebãt autẽ Chaldæi cratis & tragulas duas, dicebanturq; eſſe hominũ illius regionis bellicoſiſſimi. Et ſtipendio merent, cum his cuiq; opus eſt, quoniã ſunt & bellicoſi maximè & pauperes. Etenim regio eſt ijs & montuoſa, & breuis, quæ pecunias habeat. Vt autem Cyri milites propius facti ſunt montiũ faſtigijs, Tigranes unà cum Cyro proficiſcens ait: Num Cyre noſti, nobiſipſis q̃primùm eſſe pugnandum, cùm Armenij non ſint eiuſmodi, qui hoſtes ſuſtineant? Ac reſpondens Cyrus, hoc ſe non latêre, Perſas monuit ſeſe inſtruerent, quòd eſſet quamprimũ inſequendum, cùm ſubterfugientes Armenij hoſtis Chaldæos propè nos ſubduxerint. Talis igitur duces ſe præſtabant Armenij. Qui autem aderant ex

Chaldæis

Chaldæis, ut propè Armenij facti sunt, cõfestim in eos ululantes, ut consueuerant, cursim ferebantur: quos Armenij, ut soliti erant, minimè expectabant. Vt autem fugantes illos Chaldæi uiderunt obuios hostis qui sursum tenderent, gladios ferre, alij quidem eis congressi statim mortui sunt, alij fugerunt, etiam quidam capti sunt. Curriculoq; montium cacumina capiuntur. Quæ ubi Cyri milites tenuissent, & Chaldæorum habitacula despexerunt, & eos ex proximis habitaculis fugere senserunt. At Cyrus, ut milites omnes conuenerunt, prandium præcepit. Qui ubi pranderunt, ipseq; didicisset, ubi speculæ Chaldæorum erant locum esse & munitũ ac tutum, aquisq; abundantem, ibi continuò castellum muro circundabat, iubebatq; Tigrani ad patrem mitteret, iuberetq; ut ad se iret, secum adductis quotquot essent & fabris & architectis. Ad Armenium quidem abibat nuncius. Cyrus uerò cum ijs qui aderant murum struebat, cùm per id temporis ad eum adducunt captiuos uinctos, & aliquos etiam uulneratos. Quos Cyrus ut uidit, uinctos continuò solui iussit, saucios autem uocatis medicis curandos imperauit. Deinuerò dixit Chaldæis, uenisse se, neque quod cuperet illos perdere, neq; quod esset sibi opus bello, sed quoniam uellet inter Armenios pacem facere & Chaldæos. Priusquam tenerentur cacumina, scio, inquit, uobis pace opus nõ fuisse: securè enim habebant res uestræ: sed Armeniorũ bona agebatis ferebatisq;. Nunc autem uidetis utique, qua estis conditione. Itaque ego uos dimitto domum, & reliquos captiuos: uobisq; alijs Chaldæis tempus do cõsultandi, siue nobiscum uultis belligerare, siue amici esse. Et bellum si gerere optatis, nolite huc inermes ire, si sapitis. Sin

uobis arbitramini pace opus esse, uenite sine armis. Vt autem res uestræ bene habeãt, si amici fueritis, mihi erit curæ. Quibus auditis, Chaldæi Cyrum multis laudibus extulerunt, cumq; essent iucundissimè complexi, domum abiere. Sed Armenius cùm audisset à Cyro uocari sese, & quid ab eo ageretur, acceptis fabris & rebus alijs quotquot usui fore arbitrabatur, uenit ad eum quàm poterat celerrimè. Quo quidem uiso, dixit: Cyre, ut pauca de futuro cùm nos homines prospicere possumus, multa agere aggredimur? Nunc enim ipse moliri libertatem aggressus, factus sum seruus, ut antea nunquã. Cùm uerò capti sumus, certò perisse arbitrati, nunc ut aliàs nunquã, salutem perspicuè sumus adepti. Qui enim nunquã cessabant multis nos malis afficere, his ego nunc esse uideo, ut optabam. Et hoc uelim, ne te lateat Cyre, fuisse me ad abigendos Chaldæos ex his uerticibus, multò pluris daturum pecunias istis, quas tu nunc habes ab me. Et quibus bonis pollicebaris nos affectum iri cum accipiebas pecunias, ea iam præstitisti. Itaque nouimus alias tibi debere gratias, quas tibi si boni uelimus esse, pudeat nos sanè non referre: cui etiam si referamus, nihil tamen pro dignitate facere ne hoc quidem pacto erga uirum adeò beneficũ reperiamur. Et Armenius quidem hæc dixit. At Chaldæi rogatum uenerũt ad Cyrum, sibi ut pacem faceret. Quos Cyrus interrogabat inquiens: Ob aliud ne Chldæi quicquã pacem cupitis, quàm ob huius rei causam, quod existimetis securius posse uitam agitare pace facta, quàm si bellum geratis? Quoniam hæc habemus, dixerunt Chaldæi. Et Cyrus inquit: Quid igitur si alia etiam bona uobis ex pace aduenĩãt? Magis item lætemur, respõdere. Sed quidnam aliud

inquit

inquit? num quia boni agri caritudine pauperes nunc esse uos putatis? Etiã propter hoc, cõfessi sunt. Quid igitur, inquit Cyrus, uelletis ne tantum soluentes tributi, quantũ Armenij soluunt, uobis liceret tantũ colere agri Armenij, quantũ uelitis? Modò, respõdere Chaldæi, credamus fore, ne quid iniuriæ patiamur. Quid uerò tu, Cyrus inquit, Armenie, uelles ne id agri quod nunc est incultum, ab his coli, si constitutas apud te pecunias soluerint? Respondit Armenius: Pluris sanè hoc emerem, cùm census multũ augeretur. Quid autem uos Chaldæi? quoniam uobis boni sunt montes, num sinere uelletis Armenijs hos montis esse pasturæ, si uobis pastores quæ iusta sunt soluerint? Valde, Chaldæi responderunt: nam sine ullo labore magnã ad se utilitatem peruenturam. Tu autem Armenie, uelles ne pascuis horum uti, si pro parua Chaldæorũ utilitate, longè maiorem ipse utilitatem esses consecuturus? Et ualde id quidem, si pasturam mihi securam arbitrarer. Igitur, inquit Cyrus, securè pasceretis, si uertices auxilio haberetis. Ita est, inquit Armenius. At per Iouẽ, dixere Chaldæi, nequaquam securè nos agrũ coleremus, & non modò horum agrũ, sed ne nostrum quidem, si hi cacumina possiderent. Sed quid, rursus inquit, si cacumina uobis essent auxilio? Ita nobis, Chaldæi responderunt, bene esset. Sed me diusfidius, inquit Armenius, nobis rursus nequaquam bene foret, ubi hi rursus cacumina essent accepturi, præsertim cincta muro. Atq; Cyrus inquit: Ita igitur ego faciam: neutris uestrum uertices tradam, sed eos nos custodiemus, & utri uestrùm alteris iniuriã faciant, nos cum iniuriam passis futuri sumus. His autẽ auditis utriq; rem laudarũt, dicentes hoc modo duntaxat pacem futuram stabilem. Et

ad hæc obseruanda dederũt omnes acceperuntq; fidei pignora, utq; utriq; ab alteris liberi essent cõuenerunt, uterenturq; inter sese connubijs, & culturis, & pasturis, & cõmuni societate, si quis in alteroscunq; esset iniustus. Ita per id temporis est peractum: atq; hac etiam tempestate, quæ tum fœdera sunt percussa inter Chaldæos & regem Armeniorum, ita perdurant. Cæterũ postea q̃ fœdera sunt percussa, utriq; continuò castellum tanq̃ commune muro impigrè cingebant, & in id res necessarias congerebant. Sed ubi aduenit uespera, Cyrus utrosque apud se cœnatu ros ut iam amicos, conuiuio excipiebat. Iis autem unà discumbentibus, dixit unus ex Chaldæis: hæc alijs quidem suis omnibus optabilia existere, uerũ esse Chaldæos quosdam qui uiuerent ex præda, nescirentq; terram colere, ac ne possent quidem, assueti ex rebus bellicis uitam degere. Prædabantur enim semper, merebantq; stipendio sæpe apud Indorũ regem: nam illum aiebant uirum esse opulentißimũ: sæpe etiam apud Astyagen. Et Cyrus inquit: Quid igitur nõ etiã nũc apud me stipendio merent? Ipse enim dabo quantũ quis alius plurimũ unquam stipendium dedit. Cui cõsensere, multos etiam fore qui uelint. Et hæc quidẽ tandem ita cõuenta sunt. At Cyrus cùm audisset Chaldæos sæpe ad regem Indorũ proficisci, recordatus ueniſſe quosdam ab eo speculatũ in Medos res Medicas, abisseq; ad hostes quò rursus res eorũ explorarent, uolebat ut quas ipse res gesserat, Indus disceret. Itaq; cœpit ita loqui: O Armenie, et uos Chaldæi dicite mihi, si quem ego ex meis ad Indũ mitterem, mitteretis ne mea causa è uestris aliquos, qui ei & itineris duces essent, atq; unà agerent, ut quæ uolo, nobis ab Indo fierent? Ego enim uellem ut grandior etiam pecunia

cunia nobis fieret, quo & stipendiũ dare posſim abundè quibus debeã, & milites honorare atq; munerare pro dignitate. Horum igitur cauſa mihi ſit uolo maxima pecuniarũ copia. His autẽ opus eſſe duco, ſi uelim quod libenter cupio, pecunijs ueſtris parcere. Amicos enim uos mihi iam arbitror. Ab Indo autem libenter acciperem, ſi daret. Itaq; nuncius cui uos iubeo dari duces, eſſeq; adiutores gerẽdi negocij, illò cum uenerit, ita dicet: Inde Cyrus me ad te miſit, qui ait: Quoniã alium exercitum domo ex Perſis opperitur, maiore ſibi pecunia opus eſſe. Etenim cum, inquit, opperior. Quare ſi ad eum miſeris quantum pecuniæ poſsis cõmodè, ſi deus ei bonũ exitũ dederit, enitetur. ita facere ut exiſtimes bene tibi eſſe cõſultum, quòd munificus in ſe fueris. Et hæc ſanè uerbis meis exponet. Vos autẽ mandate ueſtris nũcijs, quod ad rem cõducere arbitramini. Et ſi quidẽ ab eo pecunias ceperimus, his utemur copioſius. Sin minus ceperimus, intelligemus nullam à nobis ei gratiã deberi: quinimò licebit nobis illius cauſa omnia facere ad noſtrũ emolumentũ. Hæc Cyrus locutus eſt, futurũ putans ut Armenij Chldæiq; nũcij eiuſmodi uerba de ſeſe facerent, qualia de ſe ipſe cupiebat ab omnibus hominib. & dici et audiri. Et tum tandẽ cum res bene haberet, ſoluto cõuiuio dederũt ſe quieti. Sed poſtero die tum Cyrus nunciũ mittebat, ei mãdans quæcũq; dixerat. Tum Armenius Chaldæiq; unà miſerũt quos maximè idoneos exiſtimabãt, et ad agendũ pro Cyro, & ad docendũ, quæ cõueniret. Exhinc autẽ Cyrus cum munijſſet caſtellũ, & præſidio, quantũ ſat erat, & rebus neceſſarijs omnib. atq; ijs principẽ reliquiſſet Medũ, quẽ Cyaxari putaſſet maximè gratificaturũ eſſe, abiuit abducto ſecũ exer-

citu, & quantũ habuerat ueniens, & quem ab Armenijs assumpsit, & quos milites acceperat à Chaldæis ad quatuor millia, qui putabãtur cũctis alijs præstare. Vt autem descendit in agrũ habitatũ, Armenius nemo neq; uir neq; mulier intra ædis se continuit, sed omnes obuiã facti sunt, lætitia ob pacem exultantes, ferentesq; & agentes quod quisq; habebat precio sum. Neq; Armenio hæc molesta erant, quoniã existimaret ita Cyrum delectari magis, quòd honoraretur ab omnibus. Sed ad postremum Armenij etiam uxor occurrit, filias secũ habens & iuniorem filiũ, quæ unà cum alijs donis portabat etiã aurũ, quod prius accipere Cyrus noluerat. Id Cyrus ubi uidit: Vos me, inquit, non facietis ut mercedis gratia obequitãs sim beneficus: sed tu, ô mulier, abi, & quas ad me fers pecunias, tibi habe, easq; nolito amplius Armenio defodiendas dare. Tuum autem filium pulcherrimè istis à te ornatum, in expeditionem emitte. A reliquis pecunijs comparato & tibijpsi, et uiro, & filiabus & filijs ea, quæ adepti, & quibus ornati, elegantius & iucundius ætatem agatis. Nam in terrã satis sit corpora defodere, cùm quisq; diem obierit. Cyrus hæc locutus abequitauit, quem Armenius & reliqui omnes homines deducebant, eum beneficũ iterum atq; iterum appellantes, & uirum bonum. Hæcq; faciebant, donec eum ex Armenia emiserunt. Misit item ad eum Armenius maioris copias, quoniam domi pax esset. Ita igitur abijt Cyrus, non solum ditatus pecunijs quas accepit, sed multò pluribus paratis ob suos mores, quas cum opus foret acciperet. Et tum quidem intra confinia est castrametatus. Postridie uerò illius diei, et agmen, & pecunias ad Cyaxarem misit. Nam is propinquus erat, ut dixerat. Ipse

rat. Ipse autem unà cum Tigrane, optimatibusq; Persarum uenabatur, ubi feras offenderet, atq; lætabatur. Sed ubi uenit in Medos, ex pecunijs dedit suis ordinum centurionibus, ut existimabat cuiq; satis esse, quò etiam ipsi honorare possent, si quos suorũ admirarentur. Putabat enim si quisq; partem faceret laude dignam, totum sibi pulchrè habere. Atq; ipse quoq; si quid usquam uideret pulchrum pro exercitu, hoc adeptus, uiris dignissimis dono dabat, ratus ille quidem, ea sibi omnia ornamento esse, quicquid pulchri milites boniq; haberent. Cum uerò militibus ijs tribueret quæ ceperat, in medium centurionũ ordinem, primipilorum, & omnium quotquot honorabat, his fermè uerbis est usus: Viri amicissimi, uidetur nobis quædam nunc adesse lætitia, & quòd opulentia quædam est addita, & quòd ea habemus, quibus honorare poterimus quos uelimus, & honorari quoq; pro dignitate cuiusq;. Omnino autem reminiscamur, quæ qualiaq; opera horum fuere bonorum causa. Nam si nobiscum uelitis animo uoluta re, inuenietis & uigilasse ubi oportebat, & laborasse acceleresseq;, & hostibus non cessisse, fuisse in causa. Sic igitur est opus, præstetis uosmetipsos in posterum uiros fortis: illud sanè intelligentes, magnas uoluptates, maximaq; bona præberi obedientia, constantia, tempestiuisq; & laboribus & periculis. Et cùm Cyrus intelligeret milites robustis esse corporibus ad militiæ labores tolerandos, esseq; animis infractis ad hostis contemnendos, scire etiam singulos quæ suæ forent armaturæ accommodata, cumq; omnis intueretur paratissimos ad parendum superioribus, hinc igitur cupiebat iam res aliquas præclaras in hostis gerere, præsertim cùm nosset in cunctando sæpe solere

Cyri oratio.

principibus ex pulchro etiã apparatu aliquid uariari. Vi dens præterea quibus in rebus milites concertarent, illos habere ambitiose, pluris quoq; inuicem sibi inuidere, ob hæc etiam eos in hostium agrum uolebat quamprimũ edu cere, quippe qui nosset communibus periculis fieri, ut so cij benignè inter sese habeant, & non amplius hac in re neque armis uiris ornatis inuident, neq; gloriæ cupidis, quin potius huiusmodi milites & laudant illos, & ample ctuntur, qui sui sint similes, quòd eos existiment boni pu blici adiutores. Sic igitur primum armauit exercitum, in struxitq; q̃ potuit & pulcherrimè & optimè. Dein con uocauit prætores, qui militibus decem millibus præsunt, & militum tribunos, & ordinum centuriones, & primi pilos: hi enim absoluti erant ab exercitus ordinarij nume ro. Cumq; aut imperatori audire, aut quicquam præcipe re oporteret, nihil sine superiore relinquebatur, sed per duodenarios & sexcuriones relicta omnia componeban tur. Sed ubi tempestiui qui uocantur, conuenerunt, ijs Cy rus præteriẽs ostendebat quæ bene haberẽt, docebatq; qui, quæq; res ad mutuũ auxilium esset ualida. Et illos postea quam amore incendit iam ad aliquid faciũdum, ait eis ab eundum nunc esse ad suos ordines, & ut quisq; suos edo ceret, quæ à se illi didicissent, omnisq; accẽdere studerent cupiditate bellandi, quò ingenti omnes animo ad iter mo uerẽtur, utq; adessent mane ad Cyaxaris ianuas. Tum igi tur abeuntes egerunt ita. Sed postero die ubi illuxit, adfue rũt tempestiui ipsi ad ianuas. Vnà cum his Cyrus ingres sus ad Cyaxarem, cœpit ita loqui: Non equidem nescius sum Cyaxares, quæ à me dicẽda sunt, ea tibi iandiu nihilo minus uisa esse quãm nobis. Sed pudet te fortassis ea dice-

re, ne

re, ne uidearis idcirco de educēdo exercitu facere mentionem, quoniam molestè feras nos alere. Quare posteaquā ipse taces, loquar ego & tua et nostra causa. Nobis enim uidetur omnibus, ne posteaquam parati sumus, tum pugnemus, cum hostes in agrum tuum impetū fecerint: neq; in amico sedentes solo, hostis expectemus, sed in illorum potius regionem ipsi irruamus. Nunc enim cum in tuo sumus agro, magnum rebus tuis uel inuiti detrimentum inferimus. Quòd si in hostilem eamus terram, malè res eorū quamlibentissime afficiemus. Præterea abs te ipsi nunc alimur, magna tua cum impensa. Si aduersus hostis eduxerimus exercitum, ex illorum agro alimenta capiemus. Insuper si maius nobis illic quàm hic periculum impenderet, fortassis id esset expetendum quod securius foret. Sed nunc pares illi futuri sunt, siue hic expectemus, seu in illorum agrum ijs obuij eamus: & nos item pares sumus pugnaturi, siue eamus nos pugnatum aduersus illos, seu hic illos adorientis excipiamus. Sed multò profectò præstantioribus robustioribusq; utemur militum animis, si eamus aduersus inimicos, neq; inuiti hostis aspicere uideamur. Longè etiam illi magis nos metuent, ubi audierint nos nequaquam suo terrore tanquam exanimatos domi sedere: sed posteaquam eos sentimus aduenientis, & ipsis occurrere quamcelerrimè manum conserturos, & minimè expectare donec noster ager detrimentum patiatur, sed anteuertētis potius uastare iam illorum solum. Ac si quidem maiorem illis metum iniecerimus, & nosipsos alacrioris fecerimus ad audendum, hoc ego nobis maximo lucro cessurum puto. Et hoc item modo periculi nobis minus, hostibus uerò plus fore censeo. Nam ut & meus pa-

Prælia animis magisquàm uiribus censeri.

ter dicere semper solet, & tu dixisti, & alij omnes consentiunt, prælia animis longè magis, quàm uiribus corporum iudicantur. Cyrus ita locutus est. Ad quem Cyaxares ita respondit: Verùm quòd uos alere mihi molestum sit, nolo Cyre uosq; alij Persæ suspicemini. Enimuerò ire iam in hostilem terram, uidetur etiam mihi ad omnia esse melius. Ergo, inquit Cyrus, postea q̃ eadem nobis mens est, iam instruamur licet: & si per deorum sacrificia q̃primùm nobis consentitur, exeamus celerrimè. Exhinc militibus instrui iussis, Cyrus sacrificabat primùm Ioui regi, dein alijs dijs, petebatq; ut propitij ac mites exercitum ducerent, utq; boni forent & fautores & socij, consultoresq; bonorum. Simul etiam rogabat & heroas soli Mediæ habitatores & curatores. Vbi uerò & litauisset, & frequẽs ei esset agmen iuxta fines, tum demum secundis usus auguriis, solum inuadebat hostile: superatisq; illicò finibus, illic iterum propitiam libationibus reddebat Tellurem, & sacrificijs deos ac heroas qui Assyriam incolunt, placabat. Quæ cùm fecisset, rursus Ioui patrio sacrificabat: & si quis alius deus ostenderetur, nullum negligebat. His actis, continuò haud multum itineris peditatu ducto, locabant castra: equitatu autem discurrentes, magnam multiplicemq; prædam complectebantur. Cæterùm castrametati habentesq; res necessarias affatim, & uastantes agrũ, hostis expectabant. Qui cùm aduentare dicerentur, nec iam distare iterum decem, tum ait Cyrus? Iam tempus est Cyaxares obuiam eundi, ne & hostibus uideamur & nostris metu eis non occurrere, quin potius pateat nõ inuitos nos pugnaturos. Hæc ubi Cyaxari quoq; uisa sunt, ita instructi procedebant, semper tantum quotidie, quantum

tum satis esse ipsis uideretur: faciebantq; cœnam semper cum luce. Neq; ignis in castris noctu accendebant, sed ante castra, quò si qui noctu procederent, propter ignē aspicerent, neq; ab aduenientibus uiderentur. Sæpe etiam post castra ignis faciebant ad fallendos hostis. Quare interdum speculatores quoq; incidebant in eorū procubitores, quoniam ignes essent post castra, cùm illi tamen arbitrarentur esse à castris sese admodum procul. Itaque Assyrij, & qui cum ijs erant, ubi iam proxima inuicem agmina fierent, fossa circundabantur: id quod hoc etiam tempore faciunt reges barbari, qui in locatione castrorum quam primùm ob hominum multitudinem circundantur fossa. Norunt enim equestre agmen noctu facilè turbari, essecq; usu difficile, præsertim barbarū. Habent enim in præsepio equos ligatis pedibus, ad quos si quis eat, eos & soluere noctu & frænare laboriosum sit. Operosum est etiā eosdem ephippijs sternere atq; loricis induere: & cùm equum ascenderis, eum agere per castra nullo pacto poteris. Itaq; ob hæc omnia cùm alij barbari, tum illi, fossa munitiones circundant: simulq; existimant cùm in loco sunt munito, potestatem præstare pugnandi cùm uelint. Cùm hæc igitur facerent, inuicem proximi fiebant. Sed ubi appropinquantes distarent circiter parasangam, Assyrij ita locabant castra, ut dictum est, in loco fossa circundato, sed aperto. At Cyrus quàm poterat in loco occultissimo, oppositis ante castra pagis & terreis tumulis, ratus res omnis bellicas quæ repentè aspiciantur, esse aduersis formidabiliores. Atq; illa quidem nocte, ut par erat, ab utrisq; procubitoribus constitutis, quieti se dederunt. Postridie uerò illius diei Assyrius Cræsusq; atq; alij duces intra munitio

nem agmina in tuto continuere. Cyrus autem & Cyaxares instructa acie expectabant pugnaturi, ubi hostes inuaderent. Sed ut est exploratum, non exituros eo die hostis ex munitione, neq; pugnã facturos, Cyaxares uocato Cyro atq; omnibus tempestiuis, huiusmodi uerba locutus est: Videtur mihi, amici uiri, uti ita instructi ut sumus, eamus ad aduersariorũ munitionem, eisq; declaremus uelle nos pugnam. Ita enim ubi illi contrà in pugnam non exeant, tum nostri omnibus in rebus audentiores futuri sunt, tum hostes timidiores nostram intuiti audentiam. Cyaxares ita sentiebat. At Cyrus: Nullo modo, inquit, per deos immortalis, ô Cyaxares. Nam si ita profecti apparuerimus ut tu iubes, tunc profectò hostes nos aduenientis spectabunt sine ulla formidine, cùm non sint nescij se esse in tuto, ne quid patiantur: cumq; abeuntes nihil omnino fecerimus, rursus aspicientes copias nostras eis numero admodum cedere, nos contemnent, tum cras exibunt animis longè firmioribus. Nunc autem cùm adesse nos norunt, neq; nos uident, tibi perspicuum debet esse, non nos illis esse contemptui, sed cogitant potius, quidnam hoc sit. denique de nobis differere certò scio eos nunquam cessare. Cùm uerò exierint, tum ijs simul appareamus oportet, continuoq; obuij eamus, eos offendentes ubi olim uolebamus. Quæ Cyri oratio postquam & Cyaxari & alijs est probata, per id quidem temporis ubi cœnati sunt, constituissentq; excubias, & ignis multos ante illas accendissent, dederunt se quieti. Postero autem die manè Cyrus coronatus sacrificabat, præcipiebatq; alijs optimatibus, ut coronati sacri-

Cyri oratio. ficijs adessent. Sacrificio finito, Cyrus his conuocatis: Viri amici, dixit, dij immortales quemadmodum & augures

gures dicunt, & mihi etiam uidetur, tum pugnam fore pronunciant, tum dant uictoriam, & salutem in sacrificijs pollicentur. Qualis autem uos esse oportet, pudeat me sanè admonere. Noui enim æquè uobis hæc esse cognita ac mihi, & hæc uos exercuisse q; & audisse, audire q; assiduè, quæ etiam ego. Itaque non absurdè alios doceatis. Sed hæc nunc si minus consideastis, auditote. Quos enim nouissimè & habemus socios, & enitimur facere nobis similis, hi nobis admonendi sunt, & quorum gratia à Cyaxare alebamur, & quæ ipsi exercebamus, & ad quas res eos inuitauimus, quapropter dixere se nobis adiutores fore. Et huius rei admonitos eos reddite, quòd hic dies demonstraturus est, quæ quisq; mereatur. Nam quas res homines serò discunt, non est mirandum si qui ipsorum admonitoris quoq; indigent. Verùm satis fuerit, ubi etiã ex admonitione se fortiter gerant. Quæ quidem agentes de uobis quoque unà periculum facietis. Nam qui potest in huiusmodi re facere alios melioris, sibi iam meritò conscius sit absolutæ suæ probitatis. Qui autem horum admonitionem habet duntaxat, estq; hac contentus, se iure semiperfectum existimet. Quamobrem haud ego ijs dico, sed iubeo, uos dicatis quo etiã uobis obsequi studeant. Vos enim ijs estis proximi quisq; suæ parti. Neq; uos lateat, do nec istis uestram fiduciam ostenderitis, & his & alijs multis audẽdi nõ uerbo, sed opere doctores futuri estis. Dixitq; ad postremũ, ut pransum abirent coronati, utq; uenirẽt in ordines cum coronis. Vt hi abiere, rursus subsidiarios duces ad se uocauit, quibus ita quoq; locutus est: Viri Persæ, uos facti estis & homotimi et electi, qui uidemini alijs quidem in rebus uiris fortissimis esse similes, ætate uerò etiam

prudentiores: habetisq; locũ nihilominus honestum quàm præfecti. Vos enim cùm in postremo estis agmine, uiros fortis obseruantes ipsosq; adhortantes, reddite etiam fortioris. Quòd si quis molliorem se præstiterit, hunc quoq; uidentes, nequaq̃ ei assentiamini. Conducit autem uobis uictoria, quantũ alteri cuiquam, tum propter ætatem, tum propter grauitatem stolæ. Quare si uos etiam qui anteriores sunt acciuerint, sequiq; hortentur, ipsis audite. Et quò ne hac quidem in re sitis illis inferiores, ipsos adhortamini ut celerrimè antecedant aduersus hostis. Atq; abite, inquit, quò & ipsi prandeatis: deniq; unà cum alijs coronati in ordines itote. Igitur Cyrus in his erat. At Assyrij iam etiam pransi & exierant audaciter, instruebanturq; constanter ac robustè. Parabat autem eos rex deuectus in curru cum huiusmodi adhortatione: Viri Assyrij nunc opus est uiros fortißimos uos præstetis. Per hoc enim temporis de uita uobis propositũ est certamen, de solo ubi orti estis, de ædibus in quibus estis & alti & educati, de uxoribus, de liberis, ac de bonis omnibus uestris. Si quidem uiceritis, estis harum omnium rerum domini futuri, ut antea: sin uicti fueritis, hæc omnia tradetis hostibus. Quare si uictoriam amatis, manete ac pugnate. Stultum est enim qui pòtiri uolunt uictoria, hos terga, & eas corporis partis quæ & armis uacant & manibus, per fugam aduersarijs opponere. Stultus etiam est si quis uitæ appetens se fugæ cõmiserit, cùm nõ sit ignarus uictoria parari salutem, at mortem fugientis magis quàm manentis occumbere. Atq; ille quoq; stultus est, qui pecuniarum cupidus uinci æquo animo patiatur. Quis enim ignorat, uictores & suas sibi res saluas facere, & succumbentiũ bona etiam capere? uictos

autem

autem, & seipsos unà & sua omnia amittere? Hæc ab Assyrio gerebantur. At Cyaxares ad Cyrum mittens, aiebat iam tempus esse agendi aduersus hostis aciem. Si enim, inquit, nunc pauci adhuc sunt, qui sese extra munitionẽ egerint, in quo tum tempore aggrediemur, erunt permulti. Ne igitur expectemus donec nos superent numero, sed eamus potius dum adhuc putamus eos quãprimũ à nobis superatum iri, & quamfacillimè. Cui respondit Cyrus: Cyaxares, nisi uicti fuerint supra dimidium ipsorum, dicturi sunt nos metu multitudinis aggressos esse paucitatem, ac ne uictos quidem se putabunt. Itaque rursus pugnandum erit: qua quidem in pugna melius fortasse sibi consulant, quàm nunc consuluerint, tradentes se nobis dispensandos, ut cum quanto uellemus eorum numero pugnaremus. Nuncij his auditis abibant: quum interea temporis uenit Chrysantas Perses, & alij quidam homotimi, qui transfugas agerent: quos Cyrus prudenter interrogabat, quæ ab hostibus gererentur. Illi autẽ dicebant eos exisse iam cum armis, disponiq; à rege in aciem extra castra, qui eos egressos adhortaretur oratione multa eaq; ualida, ut ab ijs qui audierant ferebatur. Hic ait Chrysantas: Quid Cyre si etiam tu conuocatos milites dum adhuc licet adhorteris, si quid tandẽ melioris facturus es? Et Cyrus inquit: Chrysanta nulla te afficiant molestia adhortationes Assyrij. Nulla est enim bona adeò admonitio, quæ uiros, si eam audiant, non fortes, eodem die fortis factura sit. Non igitur sagittarios faciat bonos, nisi antea sagittam exercuerint: neq; iaculatores, neque equites, nec item corpora ad laborandum sufficientia, nisi fuerint antè ad labores exercitata. Ad quem Chrysantas: Sed satis est, inquit, Cyre, si ipso-

rum animos adhortationib. tuis reddideris melioris. Num queat una oratio, inquit Cyrus, eodem die auditorum animos uerecundia implere, aut à turpitudine cohibere, atq; inducere ut laudis gratia omnem laborem, omne periculum subeant, ut hoc in mentis suas constanter admittant, expetendũ magis esse mori pugnando, quàm fugiendo seruari? Nónne si huiusmodi cogitatus debent in hominibus coalescere, stabilesq; manere, leges primũ huiusmodi sint oportet, per quas uiris bonis uita honorifica liberalisq; paretur, malis autem æuum proponatur & humile & molestum & mendicum? Dein magistri ac etiam principes mea sententia his præficiendi sunt, qui & rectè demonstraturi sint & docturi, assuefacturiq; ad hæc facienda, donec eis inhæresçat penitus, uiros bonos ac præclaros putandos esse indubitatò felicissimos, malos autem & famosos omnium miserrimos duci oportere. Sic enim disponendi sunt, qui disciplinam hostili metui sint prælaturi. Si uerò quo tempore milites armati eunt in pugnam, ubi plures etiã ea quæ diu didicerint obliuiscũtur, hic potis quisquam erit qui breui agenda cõmentatus, è uestigio bellico sos uiros efficiat, omnium facillimum certè sit & didicisse & docuisse maximã rerum humanarũ omniũ uirtutem. Siquidem ne hosce quidem credebam stabilis futuros, quos nunc haberemus exerceremusq; apud nos, nisi præsentis uos uiderem, qui ipsis eritis exemplo qualis oportet esse: & quòd eos latuerit, poteritis suggerere. At ignaris omni no uirtutis mirarer equidem Chrysanta si quid plus appo sita oratio prodesset ad probitatẽ, quàm musicæ indoctis pulchrè cantatũ carmen ad musicã. Et hi quidẽ talia disserebant. At Cyaxares iterum mittebat, dicens eum errare,

quòd

quòd tempus tereret, neq; aciem ageret quamprimũ aduersus hostes. At Cyrus tum tandem nũcijs respondit: Exploratißimum sit Cyaxari hostes nondum esse castris egressos, quot oporteret. Hæcq; nunciate ipsi uniuersis audientibus. Cæterũ quoniã ita illi uidetur, iam agam. Hæc locutus, & eius soli deos precatus, extra castra aciem agebat. Cumq; agere cœpisset, celerius etiã præibat. Quẽ milites cõpositè sequebantur, cùm ob scientiam, tum propter exercitationem in ordine pergendi. Magno autẽ cum robore sequebãtur propter mutuã inter sese æmulationẽ, et quia erant exercitatis corporib. ad laborẽ, & quoniã præfecti omnes erãt principes: libẽter uerò, quoniã prudentes essent. Sciebant enim ac iandiu ita didicerant, & securißimũ esse & facillimũ obuiam ire hostibus, & sagittarijs maximè, iaculatoribusq; & equitibus. Sed donec adhuc erant eminus à sagittarũ iactu, Cyrus tesseram dabat: Iupiter socius & imperator. Vbi rursus uenit tessera uicißim reddita, Cyrus cœpit rursus Castori & Polluci canere pæana, qui erat in more. Hi autem piè omnes magna uoce constreperunt. In huiusmodi enim hymno superstitiosi minus homines metuunt. Pæane absoluto, unà pergentes homotimi hilari facie, eruditi, ac sese inuicem circunspicientes, appellantesq; nomine fautores præfectosq; frequentißimè dicentes, Agite uiri amicißimi, agite uiri fortißimi, se mutuò hortabantur, ut sequerentur. Qui autẽ erãt retrò, illis auditis, cõtrà primos ut ualentius ducerent adhortabantur. Habebat aciem Cyrus plenã strenuitatis, ambitionis, roboris, fiduciæ, exhortationis, tẽperantiæ, obediẽtiæ, id quod est aduersarijs, meà sententia, maximè formidabile. At Assyrij alij quidẽ qui à munitionib. propugnabant,

cùm propè iam accederent Persarum copiæ, ascendebant in currus ad suas copias secedentes: sagittarij uerò ac iaculatores funditoresq; multò prius tela emisere, q̃ possent pertingere. Persæ autem adorti Assyrios, ubi peruenerũt ad telorum iactum, tum Cyrus uocem efferens dicebat: Viri fortißimi iam uelocius uestrũ aliquis ito, seq; ipsum demonstrato, atq; alios exhortator. Et hi quidem deinceps hoc tradiderunt. Quidam uerò ob alacritatem & animi uim, studiumq; pugnandi, cœperũt currere, quos uniuersa phalanx cursim sequebatur. Atq; Cyrus ipse omisso lento gradu cursim agebat, simulq; obstrepebat, Quis me sequetur? quis fortis? quis primus uirum prosternet? Quibus illi auditis, idem hoc obstrepebant, ac per eos omnis uti monebat, sic peruadebat, Quis sequetur? quis fortis? Igitur Persæ hoc modo habentes, obuij ferebantur. Hostes cùm amplius manere non possent, in fugam conuersi sunt ad munitiones. Itemq; Persæ ad castrorum portas insequentes, urgentis se illos inuicem pluris interficiebant: superq; eos insilientes qui in fossas caderent, & uiros simul equosq; necabant. Nam & currus aliqui fugientes, coacti sunt simul in fossas cadere. Atque Medorum equites his uisis, aggrediebantur hostium equites, qui eos haud sustinuerunt. Igitur hic & equorum & uirorũ fuga, atque ex utrisque nex facta. Cæterùm qui intra munitionem Assyriorum in fossæ statione steterant, sagittas iaculaq; mittere in occisores neque sciebant, neq; poterant, tum ob triste spectaculum, tum propter metum. Fortaßis etiam quum didicissent Persas quosdam ad munitionis aditus suos trucidare, auertebantur, fugiebantq; à stationibus interioribus. Sed ubi Assyriorum sociorumq; uxores uidissent

audissent iam etiã in castris fugam fieri, clamabant, discurrebantq; præstupore, aliæ liberos habentes, aliæ hæq; iuniores lacerantes peplos, seq; laniantes, omnisq; in quemcunque incidерent suppliciter orantes, ne fugerent, ne se desererent, sed auxilium ferrent & filijs, & uxoribus, & sibijpsis. Hic ipsi etiam reges stantes cum fidelissimis militibus, unà ad castrorũ portas stationibus ascensis, tum ipsi pugnabant, tum alios hortabantur ad pugnandum. At Cyrus postquam rem nouit, ueritus ne si intrò ui irrumperent, pauci à multis mali aliquid paterentur, præcepit ut extra telorum iactus pedem retrò ferrent, atq; obedirent. Hic facilè quis cognouisset uiros homotimos & quamoptimè institutos: celeriter enim & ipsi obediebant, & alijs parendum præcipiebant. Vt autem extra teli iactum facti sunt, steterunt locis suis multò magis quàm chorus, perspicuè scientes, ubi quenq; esse oporteret.

XENOPHONTIS CYRI DISCIPLINAE LIBER QVARTVS,

Francisco Philelpho interprete.

CYRVS ubi modicum temporis ibi unà cum acie mansisset, ostendissetq; paratos sese esse qui pugnarent si quis egrederetur, tandem postquaã egrediebatur nemo, tantum abegit spacij, quantum bene habere existimabat: castrisq; locatis, & custodijs constitutis, ac præmissis exploratoribus, stans in medium suos milites conuocauit, ad quos in hunc modum locutus est:

Viri Persæ, primũ equidem deos & ipse laudo quantum possum, & uos item omnes laudatis, ut arbitror: quip Oratio Cyri.

pe qui & uictoriam sumus salutemq; consecuti. Ex his igi tur quæcunq; habeamus, gratiarum dona dijs immortalibus sunt soluenda. Cæterùm ego uos cunctos iam laudo. Nam quod operis gestum est uobiscum unà omnibus, pulcherrimũ est profectò. Quæ autẽ est quisq; meritus, cùm à quibus par est accepero, tum & uerbo & re pro dignitate gratiam cuique referam. Sed qui me proxime est, de Chrysanta ordinis centurione nihil est audiendum ab alijs. Nam ipse noui qualis fuerit. Fecit enim alia quæcunq; uos etiam omnis feciſſe puto. Ac cùm ipse reditum præcepi, eumq; nomine uocaui, hic sublato gladio ut hostem percuteret, tum mihi cõtinuò audiuit, tum quod facturus erat omittens, agebat quod iussus foret. Nam & ipse recipiebat seſe, & idem alijs faciundum urgenter præcipiebat. Itaq; extra telorum iactus prius ordinem eduxit, q̃ hostes uel perciperent nos recedere, uel arcus intenderent, tragulasq; immitterent. Quò factum est, ut & seipsum, & uiros quibus præerat, illæsos præstiterit propter obedientiam. Sed alios aspicio uulneratos, de quibus ubi considerauero, quo tempore uulneribus sunt affecti, tum de ipsis sententiam meam ostendam. At Chrysantam, & rerũ operarium bellicarũ & prudentẽ uirum, & qui satis sit ad ferendum imperiũ atq; imperandum, militũ tribunatu nũc dono. Verùm cùm aliud item quicq̃ boni dederit deus, ne tum quidem eius obliuiscar: atq; uos omnis admonitos esse uolo. Quæ enim nunc uidistis hac in pugna, hæc uos commentari nunquã cesſetis, quò apud uosipsos iudicetis semper, uirtús ne magis, an fuga animas seruet: & utrum qui libenter pugnant, facilius liberentur, an qui minus libenter: & qualem uictoria uoluptatẽ præbet. Hæc enim ipsi

nunc

nũc optimè iudicetis, cùm ob peritiam quam habetis, tum quia modò res est gesta: quæ quidem si usque cogitetis, meliores futuri sitis. Nũc uerò ut & pij & boni et temperantes uiri cœnam sumite: denique immortalibus libationes facite, ac pæana incipite: simulq; prouidete, quod præcipitur. Quibus dictis, in equum ascendit, atque abegit. Cumq; uenisset ad Cyaxarẽ, essetq; illi unà cõgratulatus, ut par erat, eaq; uidisset quæ ibi agebantur, ac si quæ re opus esset quæ siuisset, equitauit rursus in sua castra. Et Cyri quidẽ milites posteaq; sunt cœnati, uigilib. ut opus erat constitutis, quieti se dederũt. At Assyrij, utpote & mortuo principe, & ferè unà cum ipso uiris fortißimis, cùm omnes molestia premebantur, tum multi quoq; illorum noctu è castris diffugiebant. Hæc autẽ Cræsus & cæteri socij intuentes, animi angebantur: erant enim omnia molestiæ plena. Sed illud omnib. ægritudinis plurimũ afferebat, quòd imperialis exercitus natio esse uideretur cõsilij atq; mẽtis inops. Sic igitur castra deserũt, atq; abeunt noctu. Vt dies illuxit, atq; hostium castra uiris orbata apparuerũt, eò Cyrus cõtinuò primos traducit Persas: dereliquerãt enim hostes & pecudes multas, & boues multos, & carros item multos, qui bonorum plurimum pleni essent. Dein transibant etiã omnes qui apud Cyaxarem erant Medi, prandebantq; in hostiũ castris. Post prandiũ Cyrus cõuocatis suis ordinũ cẽturionibus, in hũc modũ disseruit: Qualia, ut mihi uidetur, uiri amicißimi, quãtaq; bona dimittimus, quæ ab dijs immortalibus nobis offeruntur? Nam quòd hostes metu nostri fugæ se dederunt, uidetis ipsi. Qui in munitione cùm essent, hac relicta fugiũt, quî hosce mansuros quis putet, cùm nos uiderint in planitie? Qui autem nos non-

dum experti, minimè expectarunt, quomodo nunc expectent uicti, malisq; pluribus à nobis affecti? Quorũ præterea uiri fortißimi perierũt, quomodo ignauißimi pugnare nobiscũ uelint? Atq; dixit aliquis: Cur igitur minus eos quam celerrimè insequimur, cùm res secundæ adeò certæ sunt nobis? Et Cyrus dixit: Quoniam equorum etiam indigemus. Nam qui ex hostibus fortißimi sunt, quos tempus foret uel capere uel occidere, hi erunt super equos. Hos autem in fugam uertere deorum ope satis possumus: insequendo autem capere nequaquã satis. Quid igitur, dicebant, non egrederis, Cyaxari hæc dicturus? Dixitq; ille: Sequimini nunc me unà, quò uideat nobis omnibus eadem hæc uideri. Exhinc sequebantur omnes, ac dicebant quæ uidebantur ad ea necessaria quæ rogabant. Simulq; Cyaxares, quoniam illi cœperant loqui, tanquam subinui debat: simulq; fortasse, quia bene sibi esse arbitrabatur, si non rursus periculum inirent. Nam & ipse in iucunditate erat, & alios pluris Medos idem facere uidebat. Igitur ita respondebat: Verùm, ô Cyre, quòd uos Persæ uni omnium hominũ maximè meditamini erga nullam uoluptatem insatiabiliter habere, & uisu noui & auditu. Mihi autem uidetur conducere longè magis, si quis in maxima se uoluptate cõtineat. Sed quid præbet maiorem hominibus uoluptatem quàm secunda fortuna, quæ nobis hoc tempore contigit? Igitur si quoniam res nobis secundæ sunt, uoluptate ipsa temperanter utamur, tutò fortasse possimus per felicitatem consenescere. Quòd si per eius inexplebilem usum aliam atq; aliam persequi nitemur, uidete ne eadem patiamur, quæ multos ferũt passos in mari, qui dum propter prosperam fortunam conquiescere à nauigatione no-

ne noluissent, periere. Sic item multi uictoriam consecuti, dum alteram appetiuissent, amiserunt etiam priorem. Etenim si quidem hostes fugientes essent nobis pauciores, fortasis nos eos tutò ut paucioris adhuc insequeremur. Sed uelim nunc animo uolutes, aduersus quantulam eorum partem quum ipsi omnes pugnauimus, uictoriam adepti sumus: At alij haud manum conseruerunt: quos si minus cogamus pugnare, hi ut & nostri & sui ipsorum ignari, propter imprudentiam mollitiemq; abibunt. Sin norint ubi etiam abeant nihilo minus in periculo sese fore, quàm si maneant, cauendum est nobis ne eos cogamus, ut uel inuiti fortes se præstent. Nec enim latêre te debet, non maiorem tibi esse cupiditatem illorum uxores atque liberos capiundi, quàm illis seruandi. Cogitandum præterea tibi est, sues, si multæ etiam sint, fugere, ubi uideant uenatorem, unà cum natis. Sed ubi quis uenetur quenquam ex earum natis, non amplius fugere, ne si una sit quidem, sed ruere aduersus capere molientem. Et modò cum sese intra munitionem occlusissent, præbuerunt nobis pugnandi potestatem, cum quanta ipsorũ multitudine uellemus. Quòd si cum ijs in campestri latitudine congrediemur, discentq; aduersari separatim alij à fronte, aduersi ex aduerso, quemadmodum nunc, alij à latere, alij à tergo, uide ne multis cuique nostrûm opus sit & oculis & manibus. Ad hæc nolim equidem remouere nunc Medos à iucunditate in qua sunt, atque eos cogere ut eant periclitatum. Ad quæ Cyrus respondit: At neminem ipse cogas, sed eos mihi dato, qui libenter sint secuturi: tibiq; fortasis & tuorum cuiq; horum amicorum agamus ea quæ omnibus iucundissima sint futura: hostium enim multitudinem nos

ſanè haud inſequemur: nam quo pacto eas cõſequeremur? Quòd ſi quid ab agmine abſciſſum offenderimus aut relictum, id ad te agemus. Cogitandum eſt etiam tibi, quoniam indigebas, magnũ iter fecimus, quò tibi gratificaremur. Itaque eſt iuſtum, ut ipſe etiam contrà nobis gratificeris, quò domum redeamus cum aliquo emolumento, & ne omnes in theſaurum tuum conijciamus oculos. Hinc igitur dixit Cyaxares: At ſi quis ultrò ſequeretur, haberem etiam tibi gratias. Mitte igitur unà mecum quenquam ex his quos habes fideliſſimos, qui ſit dicturus quæ ipſe mandes. Duc ex his, inquit, tecum quem tibi libet. Erat præſens hic ille Medus qui dixerat olim Cyro, ſe eius eſſe cognatum, quiq; ab eo eſt oſculatus. Quare continuò inquit Cyrus: Vnus hic mihi ſufficit. Hic igitur te ſequatur, reſpondit Cyaxares: Et tu, inquit, dicito, ut cui libuerit, is eat cum Cyro. Sic uiro illo accepto, ubi à Cyaxare eſt egreſſus, continuò inquit Cyrus: Nunc mihi tandem oſtendes, uerá ne loquereris, cùm dixiſti te in me ſpectando affici uoluptate. Nequaquam, Medus inquit, abero abs te, ſi hoc dicis. Et Cyrus inquit: Ergo alijs quoque cupidè iſta dices? Illeq; adiurans, Dicam, inquit, mehercule, donec fecero ut etiam tu ſuauiter me ſpectes. Tum igitur emiſſus à Cyaxare cum alia alacriter expoſuit Medis, tum etiam addidit, ſe quoque non eſſe cariturum uiro pulcherrimo & optimo, & quod maximum eſt, à dijs immortalibus genito. Cùm à Cyro hæc geruntur, diuinitus quodammodo ueniunt ab Hyrcanijs nuncij. Sunt autem Hyrcanij Aſſyrijs finitimi, gens haud magna, erantq; idcirco ſubiecti Aſſyrijs. Videbantur autem & ea tempeſtate ſtrenui equites, & nunc item uidentur. Quare utebantur ijs Aſſyrij, quẽ admo-

admodum utuntur Eilotis Lacedæmonij, neque in laboribus neq; in periculis ijs parcẽtes. Quapropter etiam per id temporis ut postremum agmen tuerentur eis iubebãt, qui equites essent circiter mille, quò si quid à tergo grauius incũberet, illi ante sese hoc subirent. At Hyrcanij tan quam ultimi profecturi, & carros suos & famulos ultimos habebãt. Sunt enim in expeditione Asiatici, magna ex parte secum habentes illos, quibus cum etiam habitãt. Itaque etiam tum Hyrcanij sic militabant, qui cum animo reputantes, & qualia ab Assyrijs paterentur, & quòd nunc princeps suus mortem occubuisset, essentque uicti, & quòd metus in exercitu foret ingens, & ipsorum socij ægrè haberent ac desererent: hæc cum commentarentur, uisum est eis pro temporis conditione bonum esse ut deficerent, si uellet Cyrus unà secum hostis inuadere. Itaque mittunt ad Cyrum nuncios, nam huius nomen à pugna plurimum creuerat. Qui autem missi sunt, dicunt Cyro, sibi Assyrios iure odio esse, sicq; uellet nunc ire aduersus eos, tum ipsi socij existerent, tum uiæ duces se præberent: simulq; ad hæc narrabant res hostium ut haberent, quibus tandem incitare eum uolebant ad agendum in illos exercitum. Et Cyrus rogabat eos, inquiens: Et putatis nos prius illos offensuros quàm sint in munitiõibus? Nam hoc nobis magnæ calamitati ducimus, quòd nobis clàm euaserunt. Hæc autem dicebat Cyrus, quòd eos uellet quammaximam de sese habere opinionem. Ad quem illi respondebant, fore ut cras mane, si expediti pergerent, illos offenderent, nam eos præ turba & carris tarde iter facere: simulq; dixerunt, quoniam superiore nocte ui gilassent, nunc paululum profecti castrametati sunt. Et

Cyrus inquit: Habetis ne quicquam nos docere, quò uobis credamus quæ dicitis esse uera? Obsides responderũt, actutum equitantes noctu adducemus, solùm tu obtestare deos in fidem, dextramq; dato, quò hæc alijs feramus quæ ipsi abs te acceperimus. Dein fidem dat illis, se indubitatò ipsis usurum ut amicis ac fidelibus, si quæ dicerent confirmarint, ut ne Persis quidem neque Medis apud se cederent. Atque hoc etiam tempore licet intueri Hyrcanios, magistratus adipisci & gerere, quemadmodum ij quicunque & ex Persis & ex Medis uidcantur esse dignissimi. Sed posteaquam sunt cœnati, Cyrus aciem eduxit adhuc sub lucem, iussitq; Hyrcanios expectare, quò simul irent. Et Persæ quidem omnes, ut par erat, castris egressi sunt, cumq; his Tigranes suam habens aciem. E Medis autem sunt egressi, alij quidem quoniam Cyro puero ipsi cùm essent pueri, amici fuerant: alij quoniam in uenatione consuetudine sua usi, eius sunt ingenio ac moribus delectati: alij quia gratiam ei haberent, quòd maximum ab se metum expulisse uidebatur: alij quòd eum sperarẽt quoniam uir bonus & fortunatus appareret, futurum adhuc magnum atque præpotentem: alij uerò quia dum educabatur in Medis, si cui boni alicuius extitisset adiutor, contra illud illi uellent rem gratam facere. Multi etiam, quoniam propter eius humanitatem ab auo Astyage bona plurima acceperant. Multi præterea, quia uiderent Hyrcanios, rumorq; emanarat, fore ut duces essent ad bona quamplurima, exierant quò aliquid etiam caperent. Hoc igitur pacto Medi quoque ferè omnes egressi sunt, ijs exceptis quotquot Cyaxaris contubernio utebantur: nam hi manserunt, & qui his parebant. Alij uerò omnes hilari fa cie

facie alacriq; animo proficiscebantur, nõ tanq̃ necessariò, sed libenter grateq; exeuntes. At ubi egressi sunt, primùm quidem adijt Medos Cyrus, eosq; laudauit. Ad hæc deos orauit maximè, ut & eis, & suis propitij duces forent: dein ut ipse huius alacritatis referre ijs gratiã posset. Dixitq; ad postremum, ut eis pedites duces forent, illis autem iussit unà cum equitibus sequerentur: & quo in loco aut quiescant, aut immorentur inter eundũ, iussit aliqui ipsorum ad se adequitarent, ut quod esset iam opportunum acciperent. Exhinc Hyrcanijs iussit ut antecederent. At illi interrogabant: Quid autem? non enim expectas donec egerimus ad te obsides, quò tu quoq; pergas accepta à nobis fide. Et Cyrum dicitur respondisse: Cogito enim nobis omnibus fidem esse in animis nostris, atque in nostris manibus. Nam ita uidemur instructi: si quidem ueri sitis, nos satis simus qui in uos beneficium conferamus: sin decipiatis, ita habere arbitramur, ut non ipsi in uestra potestate simus futuri, sed uos in nostra potius, diuina prouoluntate. Atqui, ô Hyrcanij, quoniam dicitis uestros agmen sequi postremos, cùm eos uideritis, significate nobis eos uestros esse, quò ijs parcamus. Quæ Hyrcanij audientes, itineris quidem duces erant ut iubebat: eius uerò animi robur plurimum admirabantur, & neq; Assyrios, nec Lydos, nec suos socios amplius metuebant, sed ne Cyrus parui omnino momenti esse duceret, ipsorum uel præsentiam, uel absentiam. Illis uerò proficiscentibus, ubi nox facta est, dicitur lucem & Cyro, & ipsi agmini cœlitus apparuisse perspicuam. Quò factum est, ut omnes horror atque ueneratio erga deos caperet, & fiducia aduersus hostis. Sed quoniam expediti celeriterq; perge-

bant, meritò tum multum itineris peregere, tum simul cum crepusculo fiunt prope Hyrcaniorum agmen. Quod nuncij postquam nouere, Cyro dixerunt, hosce suos esse: eos enim cognoscere dicebant, & quia essent postremi, & ob ignium multitudinem. Exhinc horum alterum ad eos mittit, cui imperauit ut illis diceret, ut si amici essent, quamcelerrimè obuiam facti dextras tollerent: mittitq; unà cum illo unum ex suis, cui iussit Hyrcanijs diceret, ut quemadmodum ipsos inuadentis uiderent, sic etiam hi facerent. Ita igitur nuncius alter apud Cyrum manet, alter uerò adequitauit ad Hyrcanios. Sed cùm Hyrcanios Cyrus consideraret quid essent facturi, agmen firmauit: ad eumq; adequitant quiq; præsident Medis, & Tigranes, quid sit faciundum interrogantes. Ad quos ait Cyrus: Agmen hoc proximum est Hyrcaniorum. Abitq; alter ex nuncijs ad ipsos, atq; unà cum illo unus è nostris, dicturi, si quidem sunt amici, ut nobis omnes occurrant sublatis dextris. Itaque si ita ad nos ierint, contrà itidem uos eos excipite, & simul ut quisque uenerit, bono ut animo sint hortamini. Sin arma capiant, fugámue aggrediantur, horum continuò est enitendum nil reliquum facere. Huiusmodi erant admonitiones Cyri. At Hyrcanij auditis nuncijs, tum lætati sunt plurimum, tum equis ascensis illicò affuere sublatis dextris, dictũ ut fuerat. Medi uerò ac Persæ & ipsi contrà dextris sublatis recipiebant eos amicè, & ut bene sperarẽt hortabantur. Et exhinc ait Cyrus: Nos quidem Hyrcanij uobis iam credimus, utq; erga nos ita uos habeatis est æquum. Verùm nobis hoc primum dicite: Quantum hinc distat ubi sunt principia hostium eorumq; frequentia? Cui responderunt Hyrcanij,

eos

eos distare paulò plus quàm parasangam. Hic ait Cyrus: Agitè igitur uiri Persæ, Mediq;, uosq; Hyrcanij (iam enim ad uos ut socios ac participes loquor) neminem hoc tempore ignarum esse oportet, in huiusmodi nos esse discrimine, ubi si molliter habuerimus, extrema simus mala passuri. Norunt enim hostes quas ad res uenimus. Quòd si constantia fræti, eamus aduersus hostis ualenter atque ingenti animo, actutum aspicietis tanquam fugitiuos repertos seruos, alios supplices sese præstare, alios fugere, alios ne hæc quidem posse mente percipere. Nam & uicti nos aspicient, cum neque uenturos nos arbitrarentur, & neque instructi, neque ad pugnam parati, & capti erunt. Quare si uelimus posthac suauiter et cœnare et pernoctare, nolimus istis ocium dare, neque boni quicquam consultandi, neque cognoscendi omnino quot homines sumus, sed omnia uenisse putēt, & cratis, & mucrones, & securis, & uulnera. Et uos, inquit, ô Hyrcanij, proximos hostibus uosmetipsos facientes ante nos procedite, quò uis armis uestris lateamus quamplurimū tēporis. Sed ubi ipse iuxta agmen hostium fuero, linquite singuli apud me ordinem equitum, quò ipse intra aciem manens, ijs utarsi quid opus fuerit. E uobis autem principes atque seniores in ordine, si sapitis, frequentes inuadite, quò nunquam in confertam multitudinem aliquam incidentes uim patiamini. At iunioris dimittite insecutū hostes. Et hi quidem hostis occidunto, hoc enim per hoc temporis est maximè securum, quò illorum paucißimi relinquantur. Sin, quod multis iam accidit, uincentibus uobis fortuna aduersetur, cauendum est ne ad rapinam uertamini, utpote qui hoc fecerit, non sit habendus etiam uir, sed homo sarcinarius,

licetq; uolenti cuique ut hoc iam utatur pro mancipio. Illud autem ignorandum non est, nullum esse uictoria maius lucrum. Nam qui uincit, omnia rapit, unà & uiros, & mulieres, & pecunias, & regionem totam. Ad hæc solùm hoc respicite, ut uictoriam seruemus: in hac enim etiam ipse raptor continetur. Atque hoc simul, dum hostis insequimini, mementote, ut retrò adhuc per lucem ad me eatis, quòd tenebris factis neminem etiam admittemus. Hæc loquutus Cyrus, dimittebat quosq; in suos ordines: iubebatq; simul, ut pergentes eadem singuli decurionibus suis significarent. Decuriones enim erant in fronte. Itaq; audiebant, ijsdemq; iubebant ut singuli suæ decuriæ eadē præciperent. Exhinc Hyrcanij antecedebant. At ipse medium tenens agmen, unà cum Persis proficiscebatur. Equites uerò ex utroq; latere rectè instruxit. At hostes ubi illuxit, alij mirabantur quæ uidebant, alij iam rem intelligebant, aliqui nunciabant, aliqui clamabant: hi equos soluebant, illi accingebantur. Nonnulli à iumentis arma iaciebant, quidam armis induebantur. Exiliebant quidam in equos, frænabant eos alij. Vxores plerique uehiculis imponebant. Multi res preciosissimas capiebant, ut eas saluas facerent. Plerique cum huiusmodi res defoderent, capiebantur: plures autem fugæ sese dabant. Existimandum est etiam alia eos multa ac diuersa tum facere. Cæterū nemo pugnabat, sed sine pugna peribant. At Crœsus rex Lydorū, ut æstas erat, cum uxores in rhedis antè dimiserat noctu, quò facilius per temporis refrigerationē proficisceretur, tum ipse cum equitibus propè sequebatur. Et eadem hæc Phryga fecisse tradunt, eius Phrygiæ principem quæ ad Hellespontum iacet. Hi ut ex fugientibus, &

Victoria nullū maius lucrum.

ex

ex ijs qui sese offenderent interrogantes rem didicerunt, fugiebant etiam ipsi quammaximè poterant. Sed Cappadocum regem, & Arabũ item regem, qui in proximo adhuc essent, thoracibusq; carentes uim sustinerent, Hyrcanij interficiunt. Erant autem mortui maiori ex parte Assyrij & Arabes. Nam quia essent in agro suo, lentè admodũ incedebant. Medi igitur & Hyrcanij ut qualia consentaneũ est victores, talia patrabant eos insequẽtes. At Cyrus equites apud se relicti circũ castra ut obequitarent, ijs iubebat, ac si quos exeuntis uidissent armatos, ut interimerent. Iis uerò qui mansissent iussit per præconem, ut omnes milites, hostes quotquot essent, aut equites, aut scutati, aut sagittarij, deferrent arma ligata, at equos in tabernaculis relinquerent. Qui autẽ hæc non fecisset, is actutum obtruncaretur. Habentesq; mucrones expeditos, in ordine circunstiterunt. Igitur quibus forent arma, hi ea delata quendam iaciebant in locum quo iubebantur: quæ ipsa ab ijs cremabantur, quibus fuerat imperatum. Cumq; Cyrus cogitasset eò uenisse sine esculentis & poculentis, quibus sine neque rei militari studeri potest, neq; aliud quicquam fieri: & cùm etiam cõsideraret, quî hæc & celerrimè fierent & pulcherrimè, ei uenit in mentem, necessariò oportere, ut omnibus militiam exercentibus unus sit qui & tabernaculi curam gerat, & ut commeatus ingredientibus militibus sit paratus: quam ob rem intelligebat, hos omnium maximè circa apparatum faciundum, oportere in castris huiusmodi tempore comprehendere. Per præcones igitur iubet, custodes ut adsint omnes. Quòd si cubi minus sit custos, ut is adsit qui sit à tabernaculo natu maximus, dura illi edicens omnia qui minus pareret. Hi autem ui-

dentes parêre etiam heros, quamprimum obediebant. Vbi affuerunt, sedere primum iubebat eos, quibus esset in tabernaculo plus commeatus duorum mensium. Quibus uisis iterum iussit eos sedere, quibus foret commeatus menstruus. Et in his propè cuncti sedebant. Hæc ubi didicit, ita ad eos ait: Agitè nunc, ô uiri fortissimi, qui è uobis mala exosi estis, & aliquid à nobis boni consequi uelitis, strenuam diligentiam adhibete, ut duplo plura in quolibet tabernaculo esculenta poculentaq; sint parata heris ac famulis, quàm quæ quotidie faciebatis: aliaq; omnia quæcunque pulchras præbitura sunt epulas, ut in promptu sint facitote, quoniam citò admodum sunt affuturi utriutri uicerint, dignumq; duxerint affatim habere omnis res necessarias. Ita noueritis fore, ut uobis conducat si probè uiros exceperitis. Quæ illi audientes, magno studio quæ præcepta à Cyro fuerant, agebant. Hic rursus conuocatis ordinum centurionibus, huiusmodi uerba habuit: Viri amicissimi, cognoscimus sanè licere nunc nobis, qui priores sumus quàm absentes socij, prandere & apparatis esculentis poculentisq; uti, sed non uidetur mihi hoc prandij plus utilitatis afferre posse, quàm si sociorum curam habuisse uideamur: neque ipsæ epulæ tanto reddant nos ualidioris, quanto si socios possimus strenuos facere. Quòd si insequentibus nunc socijs, & occidentibus hostis nostros atque præliantibus, si quis aduersatur, uidebimur hos ita negligere, ut prius etiã quàm nouerimus quid ab ijs agatur, pranderimus, cauendum est ne ut turpes appareamus, & imbecilles futuri simus, sociorum inopes. Quòd si quis curauerit ut hi periclitantes laborantesq; dum castra ingrediãtur habituri sint necessa-

Cyri concio.

necessaria, hæ dapes plus lætitiæ nobis afferent, mea sententia, quàm si statim uentri obsequamur. Cogitate præterea, si etiam propter illos nobis pudendum non esset, neque tamen hoc pacto nos adhuc decere repleri atque inebriari. Nondum enim peracta sunt nobis quæ uolumus, quin omnia hæc nunc uigent quibus diligentia opus est: quippe qui habemus in castris hostis multò pluris quàm ipsi sumus, & hos quidem solutos, qui cauendi fortassis adhuc sunt & custodiendi, quò sint qui res necessarias nobis faciant. Præterea equites nostri absunt, qui solicitudinem nobis afferunt, ubi sint, ueniánt ne, an sint mansuri. Quare mihi uidetur, ô uiri, talem nobis afferri cibum oportere, ac talem potum, qualem quis putet maximè conducere, quo minus & somno & insipientia referciamur. Ad hæc non sum nescius pecunias in castris esse permultas, quæ quoniam ijs nunc communes nobiscum sunt qui cepere, fieri posse intelligo, ut eas pro uoluntate uertamus in priuatum usum. At ne mihi uidetur quidem eas capere fructuosius esse, quàm si, ut iusti appareamus, enitimur illos hac re nobis reddere, maiore etiam quàm nunc sunt affectos beneuolentia. Videtur autem mihi uel distributionem ipsarum pecuniarũ cum uenerint, Medis & Hyrcanijs Tigraniq; esse concedendam: & quamuis minus etiam nobis tributuri sint, lucro ducendum esse. Nam lucri causa libentius apud nos manebunt. Auidior enim præsens acquisitio parũ duraturas nobis diuitias præbeat: at in his tradendis pecunijs illas nos res adipiscamur unde diuitiæ oriuntur, hoc perennioris, mea sentẽtia, opes nobis posit nostris q; omnibus præstare. Puto etiam nos domi rei huiusce causa exerceri, ut & uentre

& intempestiuis quæstibus simus superiores, ut cùm opus sit unquam, queamus ijs uti ad nostram utilitatem. At ubi maioribus in rebus quàm in præsentibus disciplinã posßimus demonstrare, equidem ipse non uideo. Cyrus hoc modo locutus est. Quo cum Hystaspas uir Perses, & is quidem homotimus, ita oratione conuenit: Absurdum enim sit Cyre, si in uenatione sæpe sine cibo perstamus, quò feram aliquam capiamus, uel minimi fortasse faciundam: opes autem totas uenari molientibus, si quid eorum impedimento sit nobis quæ malis hominibus dominentur, bonis seruiũt, haudquaquam uidemur facere ex officio. Hystaspas ita cum Cyri sententia conuenit, alijq; omnes hæc unà approbauere. Cyrus autem dixit: Agite quoniam eadem sentimus, mittite à manipulo singuli quinque ex uiris strenuis, qui circumeuntes quoscunque uideant parantis res necessarias, eos laudent, sed in negligentis seuerius animaduertant, quàm si essent ipsorum heri. Ab his quidem hæc gerebantur. At Medi, alij quidem cùm offendissent auertissentq; carros, qui iam antea profecti erant eos impellebant, plenos earũ rerum quibus egebat exercitus. Alij uerò adigebant rhedas quas ceperant, refertas mulieribus pulcherrimis, partim uxoribus, partim pellicibus, quæ propter formæ præstantiam circunductabantur. Asiatici enim exercitus hoc etiam tempore dum rei militari studet, secum habent res omnis pretiosißimas, inquientes, pugnacioris se esse, ubi adsint quæ habent charißima: cogi enim his ferre auxilium. Fortaßis ita res habet, fortaßis etiam ea faciunt uoluptati obsequentes. Cyrus autem spectans quæ à Medis & Hyrcanijs gesta erant, se ac suos tanquam increpabat, quòd alii per id temporis magis

gis seipsis augeri gloria uidebantur, & aliquid etiam adipisci, ipsos autem in tardiore opperiri loco. Etenim qui prædam agebant ostendentes Cyro quæ ab sese agebantur, iterum abequitabant alios insequentes: nam hæc dicebant suos sibi principes faciunda imperasse. Aegrè commotus his Cyrus, tamẽ res seponebat, suosq; ordinum centuriones rursus conuocabat, stansq; ubi possent quæ consultarẽtur exaudiri, hæc loquitur: Viri amicissimi, omnes sanè cognoscimus, ut opinor, futurũ ut magna bona sint Persis omnibus: at uobis non absurdè maxima per quos hæc geruntur, si his quæ initio nunc uidentur potiamur. Sed ut hæc sint nostris uiris, cum haudquaquam sumus sufficientes ad ea adipiscenda nisi proprium Persæ habeant equitatum, hoc equidem nõ uideo. Cogitandum enim nũc uobis est, arma habere nos Persas, quibus hostis obuiam euntes uertamus in fugam. Sed ubi eos uerterimus, quos aut equites aut sagittarios aut scutatos aut iaculatores fugientis capere possimus, uel interimere, si equis careamus? Qui etiam lædere nos aggressi, uel sagittarij, uel iaculatores equitésue, nos metuant, cum certò norunt non maius à nobis sibi uel periculum uel malum imminere, q̃ à consitis arboribus? Quòd si hæc ita habent, nónne liquidum est hosce equites qui nobis nunc adsunt, putare hæc omnia quæ capta sunt, non minus sua esse quàm nostra? ac fortassis etiã magis mehercule. Nunc igitur hæc ita habent necessariò. Quòd si nobis equos comparemus non hisce deterioris, nónne perspicuum nobis sit prorsus fore, ut & de hostibus possimus omnia sine hisce facere, quæ unà cum his nunc facimus, & hos tum habituri simus minus iniquo erga nos animo? Quando uel abesse uel abire

Cyri concio.

uelint, minori nobis curæ sit, ubi sine his sufficiamus nobisipsis. Sed hæc hactenus. His inquam in rebus opinor neminem contrariæ fore sententiæ, quin præstet omnino esse Persis proprium equitatum. Verùm illud fortasse cogitatis, quonam pacto id fiat. Ergo consideremus, si uelimus equitatum constituere, & quid nobis adsit, & quid desit. Igitur hi quidem equi in castris sunt capti permulti, frænaq; quibus parent, & alia quibuscunque eos oportet uti qui equos habent. Atqui habemus etiam ea, quibus uiro equiti est utendum, thoracas quibus muniuntur corpora, pilaq; quibus & iaciendo utamur & habēdo. Quid igitur reliquum? Viris scilicet opus est, hoc certè habemus maximè. Nihil est enim ita nostrum, ut nosipsi nostri sumus. Sed dicet fortasis aliquis: At nescimus. sed neque ea quæ nunc scimus, prius quàm didicissemus sciebat quisquam. Verùm dixerit aliquis: Quum pueri essent, hæc discebant. Et utrum pueri sunt prudentiores ad ea discenda quæ traduntur ac monstrantur, an uiri? Vtri etiam quæ didicerint, magis sufficiunt exercere atque elaborare corporibus? pueri ne, an uiri? Quinetiam ocium nobis est ad discendum, quantum neque pueris neque uiris alijs esse potest. Nam neque nobis sagitta discenda est ut pueris, hanc enim scimus. Neque iaculum, nam scimus hoc etiam. Verùm nec item quemadmodum alijs uiris, his agriculturæ negocium præbent, illis uerò artes, nonnullis aliæ res domesticæ. Nobis autem militiæ operam dare nō modò est ocium, sed etiam necessitas. Insuper non quemadmodum res aliæ plures bellicæ difficiles sunt, sed utiles. Equitare uerò nónne in itinere iucundius est, quàm duobus nos pedibus proficisci? Et ubi celeritati

Nihil ita nostrū ut ipsi nobisipsis.

leritati ſtudendum eſt, an minus delectat quamprimum adeſſe amico ſi oporteat, celeriterq; ſiue uirum opus ſit ſeu beſtiam inſequi atque capere? Illud autem non facilè eſt & commodum, quicquid armorum ferendum eſt, hoc ab equo unà ferri? Itaque idem eſt & habere, & unà ferre. Atqui metuat quiſpiam plurimum, ne ſi prius nos oportuerit in equo ſubire periculum quàm equeſtrem bene didicerimus, neque pedites amplius ſimus nec equites ſatis boni. Sed ne hoc quidem perdifficile eſt. Vbi enim uelimus, licebit nobis continuò pugnare peditibus: quippe qui equeſtrem edocti, nihil pedeſtrium dediſcemus. Ita Cyrus locutus eſt. Chryſantas uerò eius ſententiam ſequens, huiuſmodi uerbis eſt uſus: At ego ita profectò cupio tenere ſcientiam equitandi, ut exiſtimem fore homo uolucer, ubi fiam eques. Nunc enim ſatis mihi ſit, ſi ex equo curſum aggreſſus ullo cum homine, hunc capite ſolum antecellam, ſi feram uideam curſu præterreuntem, eam poßim aut iaculum, aut ſagittam intendens prius aſſequi, quàm fiat admodum eminus. Quòd ſi fiam eques, potero tum uirum ex aſpectus longitudine interimere, tum beſtias inſequens alias cominus percutere, comprehenſas alias perinde a cſtantis iaculo ferire. Etenim ſi utrique ſint ueloces, tamen ubi propius inuicem fiant, erunt ſtantium inſtar. Quo fit, ut maximè ex omnibus animalibus admirer hippocentauros, ſi fuerunt: quippe qui tum hominis uterentur ante rem conſultandi prudentia, & manuum artificio, tum haberent equi & uelocitatem & uires. Quare & quod fugeret, capiebant, & quod expectaret, uertebant in fugam. Itaq; etiã ipſe hæc omnia, ſi fiam eques, mecum ſanè cõfero. Potero equidem

Chryſantæ oratio.

Hippocentauri

omnia prouidere mente humana: manibus uerò me armabo, equo autem uehar, aduersariumq; auertam equi robore: neq; sicuti hippocentauri, uincar natura. Itaque hoc sanè melius est, quàm hippocentaurum esse natum. Hippocentauros enim arbitror multis carere bonis quæ ab hominibus sunt inuenta, ut ijs scilicet est utendū: multis item carere uoluptatibus equis innatis, quonam pacto ijs frui oportet. At ego si equitare didicero, cum in equo fuero agam scilicet quæ hippocentauri sunt: cum ex equo descendero, & cœnabo, & induar, & me quieti dabo quēadmodum alij homines. Quare quid aliud sim futurus q̄ diuisus centaurus, ac rursum compositus? Insuper his etiam rebus hippocentaurum anteibo. Nam ille duobus prospiciebat oculis, duabusq; auribus audiebat: at ego oculis quatuor coniectabo, & quatuor auribus præsentiam. Aiunt enim equum manifestare hominibus multa, quæ oculis prospicit: ac multa significare auribus, quæ antea auditu percipit. Me igitur scribe in eorū numero, qui equitare maiorem in modum cupiunt. Et nos quoque scribito mediusfidius, alij omnes dixerunt. Exhinc igitur ait Cyrus: Quid ergo, posteaquam hæc omnibus nobis admodū uidentur, num etiam legem ferimus nobisipsis, qua cauea tur esse ijs turpe, quibus equum ipse dedero, si quis nostrūm uisus fuerit proficisci pedes, siue multum seu parū itineris faciundum sit, quò omnino nos quoque homines putent esse hippocentauros? Cyrus ita interrogabat. At ij omnes rem comprobarunt. Quare hac etiam tempestate talis usus ex illo tempore est Persis, ut neque ex claris atque bonis uiris ultro Perses quisquam aspiciatur usquam pedes incedere. Igitur hi erant in his sermonibus. Cum

uerò

uerò esset supra meridiē, adequitabant equites Medi atq; Hyrcanij, qui agerent captiuos & equos & uiros. Quotquot enim arma tradidissent, eos haud necabāt. Cùm aduenissent primùm quærebat ex eis Cyrus, an socij omnes salui essent: quod cum affirmassent, dein percunctabatur quid egerant. Illi autē narrabant quæ fecissent, & ut fortiter singula iactabant. At Cyrus omnia libenter audiebat quæcunque uellent dicere, dein eos ita laudauit: At etiam perspicuum est, ô uiri, uos fortiter pugnauisse: etenim maiores apparetis & pulchriores, terribilioresq; uisu q̄ antea. Exhinc ex ipsis percunctabatur, & quantum itineris incursassent, & an habitaretur regio. Illi autem dicebant multum itineris se fecisse, habitariq; agrum omnem, atq; plenum esse & ouium, & capraru̅, & boum, & equorum, & frumenti, ac bonorum omnium. Duo, inquit Cyrus, nobis curanda fuerint, ut & meliores simus ea possidentibus, utq; hi maneant. Nam solum habitatū preciosa admodum est possessio: quod autem caret hominibus, caret etiam bonis. Scio repugnantis à uobis esse occisos, & rectè quidem, hoc enim maximè uictoria seruat. Eos autē qui arma tradiderunt, egistis captiuos: quos si missos faciamus, hoc item, ut mihi uidetur, fiat à nobis utiliter. Primùm enim neque cauendi hi nunc nobis, neque custodiendi sunt, nec etiam alendi: non enim esurie eos necabimus. Dein hos si missos facimus, pluribus mancipijs utemur. Nam si agro potiamur, omnes eius habitatores mancipia nobis futuri sunt. Magis etiam alij qui hosce uuos dimissosq; uiderint, mansuri sunt, magisq; eligent parēre quàm pugnare. Ipse ita sentio sanè: quòd si quis melius uidet, id dicito. Illi autem audientes, hæc faciunda esse comproba-

Bonis carere solum, quod hominibus careat.

bant. Sic igitur Cyrus uocatis captiuis, huiusmodi uerba fa-
Cyri concio. cit: Viri, & nunc quoniam paruistis, animas tutati estis, & in reliquum tempus ubi ita faciatis, nihil prorsus mali patiemini, nisi quòd non idem uobis ut prius dominabitur. Habitabitis eadem ædes, & eandem coletis regionẽ, & earundem uxorum utemini contubernio, uestrisq; filijs sicuti nunc imperabitis. Neq; aduersus nos pugnabitis, neque aduersus alium quenquam. Quòd si alius iniuriam uobis inferet, nos sumus pro uobis pugnaturi. Verũ ne quis præcipiat in expeditionem ut eatis, arma ad nos portate: eritq; ijs qui arma portarint, & pax & alia quæ dicimus, sine dolo. Sed quotquot arma bellica minus detulerint, aduersus hosce nunc quoq; ducemus exercitum. Si quis autem uestrũ & beneuole ad nos ire, & agere quicquam docereq; appareat, hunc nos ut beneficum & amicum, non ut seruum fouebimus. Hæc igitur & uos scitote, & alijs nunciate. Verùm si uolentibus hæc uobis aliqui aduersentur, agite nos in illos, quò uos illis imperetis, non illi uobis. Cyrus hæc dixit. Illi uerò & eum adorabant, & hæc factum iri recipiebant. Illis autem abeuntibus, Cyrus inquit: Hora iam est Medi atque Armenij cœnandi uobis omnibus. Parauimus uobis res necessarias quàm potuimus optimè: sed ite, nobisq; mittite ex parato panificio dimidium: satis enim utrisq; est paratum. Obsonium uerò ac potũ ne mittite, nam hæc apud nos satis parata sunt. Atque uos Hyrcanij deducite ipsos ad tabernacula: principes quidem ad maxima tabernacula (ea enim cognoscitis) alios uerò ut uisum uobis sit, habete pulcherrimè. Et uos quoque cœnate, ubi uos maximè delectat. Nam uobis salua & integra sunt tabernacula. Est autem æquè

uobis

uobis hîc paratum atque hisce. Scitoteq; hoc utrique, nos asseruaturos noctu, quæ uobis sunt exteriora. Vos quæ in tabernaculis sunt aspicite, atq; arma bene locate. Nam qui in tabernaculis manent, nondum sunt nobis amici. Medi igitur Tigranesq; lauabantur. Erant enim parata omnia, mutatisq; uestibus cœnabant: & eorum equi habebant necessaria: mittebantq; ad Persas ex panibus dimidium: obsonium uerò non mittebant, neque uinum, rati ea ijs esse, quoniam dixisset Cyrus affatim hæc habere. Sed hæc dicebat Cyrus, pro obsonio esuriem, pro potu aquam præterfluentis amnis. Igitur Cyrus post cœnatos Persas ubi adueſperassset, per quincurias & decurias eorum multos dimittebat, iubens circum castra delitescerent: quippe qui putaret tum custodiæ illos fore, si quis extrinsecus castra adoriretur, tum si quis intrinsecus elatis pecunijs euaderet, eum capturos. Et ita factum est: multi enim effugiebant, multiq; capti sunt. At Cyrus pecunias eos habere sinebat qui cepissent, effugientis autem iussit iugulari. Itaque in posterum ne si uelles quidem, facilè inuenisses qui noctu proficisceretur. Persæ igitur degebant ita. At Medi & potabant, & epulabantur, & utebantur tibijs, & omni referciebantur iucunditate. Multæ enim res huiusmodi captæ erant. Quare qui uigilabant, opere non carebant. At rex Medorũ Cyaxares nocte qua Cyrus egressus est, & ipse ebrietate tenebatur simul cum suis contubernalibus ob secundam fortunã, & alios Medos in castris adesse arbitrabatur, exceptis paucis, cùm magnum audiret tumultum. Famuli enim Medorũ, utpote heris absentibus, dissolutè & potabant & tumultuabantur, præsertim quòd ex Assyriorum ca-

ſtris & uinum & alias res multas huiuſmodi ceperant. Sed ubi dies factus eſt, & ad ianuas nemo ueniret, præter eos qui unà cœnabant, audiretq; uacua eſſe caſtra Medis atque equitibus, ac uideret ubi exiuit ita habere, hîc tandem & Cyro excandeſcebat & Medis, quòd abiiſſent ſe relicto ſolo: continuoq;, ut fertur, crudelis atq; inexorabilis, iubet cuidam ex præſentibus, ut aſſumptis equitibus ſuis, quamcelerrimè pergeret ad Cyri caſtra, ac diceret hæc uerba: Arbitrabar equidem ipſe, ut neque tu Cyre adeò temerè de me conſultares, neque uos Medi, ſi Cyrus ita ſentiret, ita me ſolum relinqueretis. Ac nunc ſi quidem Cyrus uelit, bene eſt: ſin nolit, uos huc adeſte quamprimum. Hæc mandauit. Qui uerò pergere iuſſus eſt, Et quo modo, inquit, here ego illos inueniam? Quomodo? inquit Cyaxares: Cyrus & eius comites aduerſum quos profecti ſunt? Quòd mediusfidius, inquit, audio Hyrcanios quoſdam ab hoſtibus defeciſſe, illosq; huc ire, atque eos deducere. His auditis, Cyaxares multò etiam magis Cyro iraſcebatur, quòd neque hæc dixiſſet ſibi, & longè feſtinantius mittebat ad Medos, ut uiribus eum nudaturus, ac etiam uehementioribus minis quàm antea Medos accuſabat. Et nuncio quoque interminatus eſt, niſi hæc acriter exponeret. Pergebat ergo nuncius habens equites ſuos circiter centum, & is quidem moleſtè ferens, quòd non etiam ipſe cum Cyro profectus foret. Inter eundum autem hi per triuij ſemitam quandam aberrarunt, neque prius uenerũt ad caſtra Cyri, quàm incidentes in quoſdam Aſſyrios qui diſcederent, eos ut ſeſe ducerent coëgerunt: & ita ignibus uiſis, circiter mediam propè noctem eò perueniunt. Vbi uerò facti ſunt iuxta caſtra, uigiles, ut

ut dictum à Cyro fuerat, haud eos passi sunt ante lucem ingredi. Sed posteaquam dies illuxit, Cyrus Magis uocatis, legitima dijs ob huiusmodi res secundas eligi iubebat: qui dum in cura hac uersantur, is conuocatis homotimis, Cyri concio.
ait: Viri, deus quidem nobis bona plurima ostendit: sed nos, ô Persæ, hoc tempore pauci sumus ut hæc retineamus. Si enim qualiacunque efficiamus, minus asseruauerimus, hæc rursus erunt aliena. Quòd si liquerimus ex nobis ipsis aliquos ijs custodes quæ facimus, patebit statim nullarum nos esse uirium. Itaque mihi uidetur, ut quam primùm è uobis aliquis eat in Persas, qui doceat quæ ab me dicuntur, iubeatq; quamcelerrimè mittant rursus suppetias, si quidem cupiunt Persæ imperium atque fructum Asiæ. Ito igitur tu qui es ætate maximus, atq; hæc narrato: quodq; mihi erit alendi cura quoscunq; milites mittãt, ubi ad me uenerint. Quæ autẽ nobis sunt, ea tu uides, quorum nihil tibi celandum est. Sed in hisce rebus mittendis à nobis in Persas, ut & pulchrè faciam & legitimè quæ ad deos attinent, patrem Cambysen, quæ uerò ad rempublicam, magistratus interrogato. Mittant præterea horũ inspectores quæ gerimus, quiq; ea quæ à nobis quærunt, considerent. Et tu, inquit, accingere, ac manipulum comitem age. Exhinc uocabat Medos, simulq; adducitur nuncius à Cyaxare, qui audientibus omnibus dicebat, cùm eius iram in Cyrum, tum minas aduersus Medos. Aitq; ad postremũ, iubere Cyaxarem ut abeant Medi, etiamsi Cyrus manere uelit. Igitur Medi audito nuncio silentium seruabant, tum ambigentes quî uocanti non parêrent, tum etiã metuentes quomodo minanti Cyaxari audirent, præsertim quòd non essent nescij, qua is foret sæuitia. At Cy-

rus inquit: Ego, nuncie ac Medi, nequaquam miror si Cyaxares multos tum hostis aspiciens, nos uerò quid agamus ignarus, & de nobis & de seipso dubitat: sed posteaquàm senserit hostis magno numero interemptos, omnis præterea fugatos, primùm liberabitur metu: dein cognoscet se nunc non esse solum, quum sui amici perdunt inimicos suos. Atqui accusandi qui sumus, cùm & illi bene facimus? neque hæc nostra sponte fecimus, sed ego illo persuaso ut me egredi sineret, uobis assumptis hæc facio: uos autẽ nõ ueluti cupidi exeundi, an exiretis interrogastis, húcque nunc ueneritis, sed iussi ab illo egredi, si quis uestrũ non gratularetur. Quare ipsa etiam ira, certò scio, & matureſcet ex hisce bonis, & unà cum desinenti metu abitura est. Nunc igitur & tu nuncie requiesce, quoniam laborasti: & nos, ô Persæ, quoniam hostis affuturos expectamus, qui uel pugnent, uel pareant, instruamur quampulcherrimè. Nam si hoc pacto aspicimur, consentaneum est nos plura ex his, quibus egemus, effecturos. Tu uerò Hyrcaniorum princeps opperire, militumq; tuorũ ducibus imperato, eos ut armis induant. Quæ ubi feciſſet Hyrcanius, ueniſſetq;, ait Cyrus: Nõ parua mihi est uoluptas Hyrcanie, cùm sentio adesse te, qui non modò amicitiam præ te feras, sed te callidum esse ostendas: & nunc eadem conducere nobis perspicuum est. Nam & mihi Assyrij hostes sunt, & tibi inimiciores quàm mihi. Hoc pacto nobis utrisque nunc est consultandum, ut horum nemo qui nunc socij nobis adsunt, deficiat: quinetiam si posſimus, alios assumamus. Medum uerò audisti, qui equites reuocat: qui si abeunt, nos soli pedites manebimus. Sic igitur faciundũ est mihi ac tibi, ut & nũcius hic qui reuocat, manere etiam

ipſe

ipse apud nos uelit. Tu igitur tabernaculum nactus, id ei dato, ubi sit pulcherrimè omnia pro dignitate habiturus. Ego item enitar aliquid ei operis imperare, quod obiturus libentius sit quàm abiturus: eiq; omnia differe, quæ spem bonam & ei & amicis omnibus afferant, si bene successerint. Hæc ubi feceris, ad me reuertere. Igitur Hyrcanius in tabernaculum ducebat Medum quô decebat. Qui uerò ibat in Persas, paratus aderat. Ei Cyrus iubebat, ut diceret Persis quæ antea in sermone declarata sunt, Cyaxariq; literas redderet: tibiq;, inquit, uolo ea legere quæ ad Cyaxarem scribo, quò ea quæ noris confiteare, si quid his de rebus te roget. Hæc autem inerant in epistola. Cyrus Cyaxari salutem. Nos te neque solum deseruimus (nemo enim cùm sit inimicis superior, tum est sine amicis) neque abscedentes, te putamus in periculo constitutum. Sed quò magis distamus, eò tibi securius esse arbitramur. Haud enim qui sedent amicos proximè, securitatem maximè amicis præbent: sed qui maximè eminus inimicos fugant, tutioris amicos reddunt. Sed uelim animo uolutes, qualis ego erga te sum, & item qualis tu erga me, & postea me accuses. Equidem ipse tibi socios egi, non quot tu suasisti, sed quàm ego potui plurimos. Dedisti tu mihi, cùm essem in amica regione, quot possem persuadere. Nunc autem cùm in agro sum hostili, nõ qui uelit, sed omnis reuocas Medos. Ergo tum equidem arbitrabar uobis utriq; debere gratiam: at nunc abs te cogor tui quidem obliuisci, eniti autem hisce omnem referre gratiã, qui me sunt sequuti. Nec tamen tui similis fieri possum, qui etiam nunc mittens in Persas militẽ accersiturus mando, quotquot ad me ierint, si quid tibi ijs opus fuerit prius

Cyri epistola.

quàm ad me ueniant, ut in te sit ipsis uti, non quemadmodum eis libeat, sed pro tua uoluntate. Verũ consulam tibi, etsi iunior sum, ne quæ dederis auferas, ne tibi pro gratijs inimicitiæ debeantur: nec etiam quẽ uelis ire ad te quamprimùm, minitando accersas: neque dum ais te solum esse, multis simul intermineris, quò illos non doceas te non curare. Nos uerò adesse studebimus, ubi celerrimè peregerimus, quæ & tibi & nobis si gesta fuerint, communia esse bona censeamus. Vale. Hanc ei epistolam reddito, & quicquid horum ex te percunctatus fuerit, quemadmodum scriptum est itidem dicito. Etenim ego tibi de Persis mando, ut est antea scriptum. Huic ita locutus est. Quem data epistola ire iussit, addiditq; ita maturaret, quemadmodum nouit celerem aduentum conducere. Exhinc aspiciebat omnis in armis iam esse & Medos & Hyrcanios, atque Tigranem Armenium: erantq; Persæ armis induti. Iam etiã finitimi quidam & adduxerunt equos, & arma attulerunt. At Cyrus tragulas eum in locum deijcere illos iussit, quo alios quoque antea iusserat: & ut hi quibus hoc opus mandatum fuerat, eas cremarent, quotquot ipsi non egebant. Equos uerò iubebat custodiri, utq; hi manerent qui illos adduxerant, donec aliquid eis significasset. Principibus autem equitum Hyrcaniorumq; uocatis, huiusmodi uerba loquutus est: Viri amici ac socij, nulla uos admiratio capiat, quòd ab me sæpenumero conuocamini. Res enim præsentes quia nouæ sunt nobis, hæ minus sunt pleræq; ordinatæ. Quæcunque autem ordine careant, hæc necessariò molestiam afferunt semper, donec loco suo fuerint constituta. Sunt nunc nobis multæ captæ pecuniæ: præterea uiri quoq;. Et quoniam neq; nos scimus, quæ harum

Cyri concio.

rum rerum sint cuiusq; nostrûm, nec etiam hi nouere quis eorum singillatim herus sit, uidere licet non multos eorũ fungi officio, dubitantes autem quid faciendum sit, ferè omnes. Ergo ne ita res habeant, istas definite, ut qui cepit tabernaculum in quo satis sit & esculentorum, & potulentorum, & ministrorum, & strati, & uestis, aliarumq; rerum quibus habitatur tabernaculum militare, hic sanè aliud nihil addendum est, quàm ut norit is qui cepit, horum esse habendam curam perinde atque de rebus proprijs. Qui uerò in ea incidit tabernacula quæ rei cuiusquam indigent, hisce uos quod deest supplete diligenter. Nec sum inscius superuacanea fore permulta: plura enim omnia quàm pro nostra multitudine habebãt hostes. Venerunt autem ad me & Assyrij regis, & aliorũ potentatuum quæstores, qui dicerent aurum esse apud se signatum, tributa quædam narrantes. Quare hæc omnia proclamate ad uos deferant ubiubi sederitis, metumq; illi addite qui iussa non fecerit. Vos præterea tribuite quod ceperitis, equiti quidem duplum, pediti uerò simplum, ut habeatis si quo egebitis, & quo etiam aliquid ematis. Forum castrense proclamate, iam neminẽ inferre cuiquam iniuriam, & ut tabernarij atq; mercatores uendant quod singulis est uenale: & hæc sanè ubi disposuerint, alia agere quò castra nobis incolantur. Atq; hæc hi cõtinuò proclamabant. Medi autem & Hyrcanij ita dixerunt: Et quonam modo nos sine te ac tuis hæc distribuamus? Atq; Cyrus item ad hæc uerba ita subdidit: Num enim, ô uiri, ita ipsi sentitis, ut quicquid agendum fuerit, omnibus rebus interesse nos omnis oporteat? Neq; satis ego futurus sim, qui agam aliquid ante uos, quicquid opus fuerit, neque

uostipsi ante nos. Et quo pacto aliter habeamus plus laboris, ac minus efficiamus quàm hoc modo? At uidete uos, inquit. Nos enim custodiuimus hæc uobis, quæ à nobis uos creditis esse bene custodita. Vos item distribuite, & nos credimus bene à uobis esse distributa: atque alijs item rebus nos boni aliquid enitamur agere commune. Videtis enim nunc primùm quot adsunt nobis equi. Alij etiam adducuntur, quos si ociosos esse permittemus, nulli nobis usui sunt futuri, quin molestiæ potius nobis erũt propter eorum curam. Quòd si equites in eos posuerimus, simul & negocijs liberabimur, & nobis ipsis uires addemus. Quare si alios habetis quibus istos detis, quibus cum si opus fuerit, discrimen ineatis libentius quàm nobiscum, in illos distribuite. Sin maximè nos habere uultis uobis subsidiarios, nobis eos date. Etenim cũ modò sine nobis fugando dimicabatis, magno nobis eratis metui, ne quid aduersi pateremini: feciſtisq; nos sanè pudere plurimũ, quòd non ibi ubi eratis adessemus. Quòd si equos acceperimus, secuturi uos simus, ac si quid maiori usui in equis dimicantes esse uideamur, ita nihil strenuitatis omittemus. Sin pedites uisi fuerimus opportunius adesse, tum descendentes in medium, uobis continuò pedites aderimus. Equos autẽ excogitabimus quibus tradamus. Cyrus huiusmodi orationem habuit. Illi autem responderunt: At nos Cyre, neque uiros habemus quos imponamus super hosce equos: neq; si haberemus, ubi tu hæc uelles, pro hisce aliud eligeremus: itaq; ipse nũc hos accipito atq; facito ut esse tibi uidetur optimum. Verùm & istos, inquit Cyrus, admitto, & quòd faustũ fortunatumq; sit, tum nos fiamus equites, tũ uos quæ communia sunt diuidatis. Itaque primùm seligite

dijs

dijs immortalibus, quicquid Magi interpretentur: dein etiam deligite Cyaxari, quicquid ei maximè gratũ fore arbitramini. Et illi ridentes dixere, mulieres igitur esse deligendas. Mulieres igitur, Cyrus ait, deligite, & aliud quicquid uobis uideatur. Cumq; delegeritis, facite pro uiribus, ut hi omnes Medi qui me ultro secuti sunt, ne quid queran tur. Et uos item Medi, Hyrcanos hosce honorate, qui in societatẽ nostrã primi uenere, quò existiment bene sibi cõsuluisse de amicitia nostra. Atq; partẽ rerum omniũ tribuite etiã Cyaxaris nũcio, tum ipsi, tum eius socijs: utq; nobiscũ maneat istũ hortamini, inquiẽtes ita etiã mihi uideri, quò intelligens quæ geruntur, ea singillatim magis renunciet Cyaxari. Persis uerò qui sunt mecũ, quæcunq; uobis bene munitis superfuerint, hæc sufficient. Etenim nõ admodum in delicijs, sed rusticè quodammodo ac duriter sumus educati. Itaq; uobis risui fortasse futuri sumus, si quid elegantius nobis induendum dederitis: quemadmodũ noui fore, ut & sedentes in equis multum uobis risum præbeamus, fortasis & ad terram decidentes. Exhinc illi ad diuidendum iuere, magno quodam risu ob equitationem affecti. At Cyrus conuocatis ordinum centurionibus iussit equos acciperent, equorũq; tum uasa, tum ministros, & accipe rent eos quidẽ numero singuli æqualiter in ordinẽ secundũ sortem. Ipse autẽ Cyrus proclamari iussit, si quis esset in Assyriorum, aut Syrorum, aut Arabum castris uir seruus, uel ex Medis, uel ex Persis, uel ex Carribus, uel ex Cilicibus, uel ex Bactrianis, uel ex Græcis, uel qui aliunde undecunq; coacti essent, hi se exhiberẽt. At illi ubi proclamationẽ audierũt, libẽter multi coràm apparuere. Cyrus uerò electis ex ijs qui forma maximè præcellerẽt, dicebat,

dicere eos qui liberi forent, arma tollere quæ dat ipsis, sibi autem curæ fore ut res haberent necessarias. quos agens cõtinuò ad ordinum centuriones, illis eos commendauit, iussitq; ut cratis nudosq; gladios his darent, quò ea habentes, sequantur unà cum equis, et ut res necessarias pro his acciperent, quemadmodum pro Persis suis: centuriones uerò ipsi cum thoracibus ac lanceis semper ut equis uehe rentur. Ipseq; Cyrus facere ita cœpit. At peditibus homotimorũ, ut pro se quisq; alium præficeret, iussit ex homotimis. Et hi quidem circa hæc uersabantur, cùm interea tempo ris adfuit Gobryas Assyrius, uir senex, in equo cũ equestri famulatu, ferebantq; arma omnes equestria. Atq; hi qui cõstituti erant ad arma recipiẽda, iubebant lanceas tra derent, ut eas quemadmodum alia cremarent. Quibus respondit Gobryas, uelle se antea uidere Cyrum. Et ministri relictis alijs equitibus, Gobryan ducunt ad Cyrum. Quem Gobryas, ut uidit, ait: O here, ego genere sum Assyrius, qui & oppidum habeo ualidum, & magnæ dominor regioni. Præterea equites habeo circiter mille trecentos, quos præbebam regi Assyriorum, eramq; illi amicissimus. Sed ubi ille à uobis necatus est, uir sanè bonus, illiusq; filius mihi inimicissimus successit in regnum, ueni ad te, cui supplex concido, meq; ipsum do seruum ac socium: abs te autem peto, ut meam ulciscaris iniuriam, quem ita facio filiũ ut licet, careo enim filijs maribus. Nam qui mihi hæres solus erat, filius honestus & bonus, quiq; me & amabat & honorabat, quemadmodum filius honore patrem facere felicem queat, hunc rex ille senior, regis huius præsentis pater cùm inuitasset tanquam daturus filiam ei uxorem, ego illum misi, & eram elato animo, quòd filium scilicet

licet meum filiæ regis uisurus essem sponsum. Præsens autem rex ubi eum uenatum inuitasset, uenariq; liberrimè permisisset, ratus se longè illi equitatione præstare, meus filius ut unà quidem cum amico uenabatur. Vrsa uerò ut est oblata, cum hi ambo unà illam insequerentur, hic qui nunc est princeps, misso iaculo ictu frustratus est, quod utinã accidisset nunquam. At filius meus feriens, id quod minimè opus erat, ursam prosternit. Et tum quidem hic molestè scilicet rem ferens, inuidiam clàm continuit. Sed ut rursus leo obiectus esset, regis filius item iaculatus est frustra: passus is quidem incredibile nihil, mea sententia. At filius meus item assecutus leonẽ interemit, aitq;: Certẽ bis deinceps ferij, & utraque uice feram prostraui. Hîc igitur non amplius homo nefarius inuidiam compescuit, sed arrepta lancea à sequentium quodam, eaq; percusso in pectus filio meo, qui & unicus mihi erat & charissimus, huic animã abstulit. Quem ego miser tam grandem agens ætatem, filium meum optimum mihiq; dilectissimum, cui nuper florere barba inciperet, pro sponso portaui mortuum, atq; sepeliui. Parricida uerò perinde quasi inimicũ aliquem perdidisset, se facti pœnitere nunquam ostendit. Neque pro perpetrato facinore, honore aliquo sepultum dignatus est. Atqui eius pater & me commiseratus est, & calamitatem meam permolestam sibi esse declarauit. Ego igitur si quidem ille uiueret, nunquam ad te issem, quò illi nocerem. Nam illius multa amicitiæ meritæ erga me fuere, cui etiam inseruiui. Sed postquam ad filij mei interemptorem deuenit imperium, nunquam huic ego possem esse benuolus, nec etiam hic me, certò scio, amicũ unquam duceret. Nouit enim quo animo in se sum,

& ut antea hilariter uitam agerē, nunc autem filio orbatus, in luctu dego senectutē. Si igitur me admittis, spemq; afferas fore ut consequar tecū ultionem aliquam mei charissimi filij, tum rursus uidear mihi pubescere, tum neq; uiuere cum dedecore, neq; mori me putem cum dolore. Gobryas ita inquit. Ad quē Cyrus ita respōdit: At si quidem Gobrya omnia sentis quæ es ad nos locutus, & admitto te supplicem, & tui filij ultionem cum deorum ope promitto tibi. Verùm mihi dicito, si tibi hæc à nobis fiant, tuaq; te habere oppida permittamus, & agrum et arma, atq; uires quas habebas antè, tu pro hisce quæ nobis præstabis obsequia? Ille uerò dixit: Oppida equidem cùm uoles domum præbebo tibi: regionis tributum quod illi ferebam, tibi soluam: & ubi expeditionem ages, ibo unà tecum in exercitum cum regionis meæ uiribus. Est præterea mihi filia uirgo, eaq; dilectissima, & iam nubilis, quā ego antea putabam uxorem alere huic qui nunc regnat: at ea nunc multo est cum gemitu me precata, ne se fratris parricidæ uxorem dem, id quod ipse etiam sentio. De hac autem ipsa ita hoc tempore tibi consultationem cedo, quemadmodum ipse quoq; de rebus tuis uidear consultare. Sic dein inquit Cyrus: Ad hæc pro ueritate do tibi meam, tuamq; dextram accipio, dij autem nobis testes sunto. Hæc ubi acta sunt, & abire Gobryam iubet sua secum habentē arma: & ex eo quærebat, quantū ad se usq; foret itineris, quoniam eò esset iturus. Ad quem dicebat Gobryas: Si manè cras eas, altero die apud nos pernoctes. Ita igitur hic abiuit relicto duce. At Medi aderant, qui se silentio dixerunt dijs partem sepositisse, & tradidisse Magis. Cyro autem selegerunt pulcherrimum tabernaculum ac Susiam mulie-

mulierem, quæ in Asia speciosissima esse diceretur, & citharistrias duas optimas. Secundo autem loco, secunda Cyaxari. Huiusmodi etiam alia quorum indigebant sibiipsis explentes, quò re nulla egentes militiam exercerent: omnia enim affatim erant. Acceperũt etiam Hyrcanij ea quorum indigebant. Aequalem quoq; portionem Cyaxari nuncio fecere. Superuacanea uerò tabernacula quotquot erant, Cyro tradidere, quò Persis tribueret. Numum uerò datum iri dixerunt, ubi collectus foret: quem etiam distribuerunt. Hi quidem hæc & egerunt & dixerunt. At Cyrus dona Cyaxaris iussit eos accipere atq; custodire, quos ei sciebat esse familiarissimos, aitq; : Quæcunq; mihi datis, libenter admitto: ijs autem qui uestrum maximè indiguerit, utetur. Quidam uerò ex Medis musicæ studiosus, Atqui, inquit, ô Cyre, cũ uesperi audissem citharistrias quas nunc tu habes, & audiendo delectatus sum, & si istarum mihi unam dederis, uidear dulcius in expeditionẽ ire quàm manere domi. Ad quem Cyrus inquit: At ego & do eam tibi, ac puto tibi habere gratiam magis quod à me petieris, quàm tu mihi quòd accipis, usqueadeo cupio uobis gratificari. Et hanc quidem accepit qui petierat.

XENOPHONTIS CYRI DISCIPLINAE LIBER QVINTVS, Francisco Philelpho interprete.

VOCATO autem Cyrus Araspa Medo, qui ei erat à puero sodalis, cuiq; stolam exutus Medicã dederat, quo tẽpore ab Astyage abiret in Persas, huic iussit ut sibi custodiret mu

lierem atq; tabernaculum. Erat autẽ ea mulier Abradatæ uxor regis Suſorum: qui cùm caperentur Aſſyriorum caſtra, ibi non erat, quippe qui ad Bactrianorũ regẽ orator profectus eſſet, eò ab Aſſyrio miſſus ſocietatis faciũdæ gratia: erat enim regi Bactrianorum hoſpes. Hanc igitur Cyrus tuendam iubebat Araſpæ, donec ipſe eam acciperet. Araſpas autem iuſſus percunctabatur: Vidiſtí ne adhuc Cyre, mulierem quam mihi iubes aſſeruandam? Mediusfidius, Cyrus inquit, nequaquam uidi. At ego, inquit Araſpas, uidi equidem cùm eam delegi tibi, & ſanè cumprimũ ingreſſi ſumus in eius tabernaculum, eam non dignouimus. Nam ſedebat humi, & famulæ omnes circum ipſam, habebatq; illa ueſtem ancillarum ueſtibus ſimilem. Sed ubi uolentes cognòſcere quænam eſſet hera, omnis illas circunſpeximus, quamprimùm admodum uiſa eſt alijs omnibus antecellere, quamuis ſederet, eſſetq; uelata, & humi deſpiceret. Vt autem eam iuſſimus ſurgere, cònſurrexerunt unà cum ea illæ ancillæ omnes. Præſtabat autem hæc primùm magnitudine, dein robore & uenuſtate, etſi in humili erat habitu, manifeſtóq; ei lachrymæ ſtillabant, aliæ in peplos, aliæ in pedes. Vbi uerò qui erat inter nos ætate grandior ait, Bono animo eſto mulier, nam etſi pulchrum ac bonũ uirum tibi eſſe audimus, nunc te uiro ſeligimus qui neq; formæ præſtantia illo eſt deterior, neque prudentia, neq; uiribus: ſed, ut noſtra fert opinio, ſi quis alius quiſquam uir, Cyrus etiam ipſe admiratione eſt dignus, cuius tu ex hac hora futura es. Quod mulier ut audiuit, & lacerauit à ſummo uſq; peplum, & eiulabatur: unà etiam uociferatæ ſunt famulæ. Quo quidem tempore maxima ex parte apparuit eius facies, apparuit itẽ collũ ac ma-

ac manus. Voloq; tibi certò persuadeas Cyre, ut & mihi & alijs intuentibus uisum est, nondum esse ortam, neque natam mortalibus huiusmodi mulierem in Asia. Verùm eam tu omnino aspicies. Atq; ait Cyrus: Ita mehercule, & multò quidem minus, si talis est qualis à te narratur. Cur? inquit ille adolescens. Quoniã, ait, si nunc dum abs te audio eam esse pulchram, sententiam tuam sequens eam uisurus iero, cùm neq; satis mihi ocij sit, uereor ne longè ce lerius illa persuadeat mihi item, ut se rursus spectaturus accedam, & exhinc fortasis his neglectis quæ gerere me oportet, sedeam illam spectans. Ac iuuenis multo cum risu ait: Putas enim tu Cyre, fieri posse ut mulieris pulchritudo eum qui nolit, cogat agere quod factu non sit optimum? Nam si hoc ita natura habet, omnes identidem cogeret. Vides ne ut ignis omnes itidem urit? Natura enim talis est. Pulchras autem alias amant, alias non amant, & alius aliam. Etenim res spontanea: & quisq; amat quem uelit. Frater haud continuò sororem amat, sed ab alio hæc amatur: neq; pater filiam amat, quæ amatur ab alio. Etenim metus ac lex satis sunt ad amorem inhibendũ. Quòd si lex feratur, ut qui non uescuntur, non fame capiantur, & qui non bibunt, nõ sitiant: neq; per hyemem frigeant, neq; caleant per æstatem, nulla sanè lex posit efficere, ut his homines pareant: sunt enim homines his rebus natura inferiores: at amare ultroneum est. Quisq; igitur ea amat quæ sua sunt, ut amictus, & calceos. Quomodo ergo, inquit Cyrus, si amor ultroneus est, nõ eo uacare quis potest cùm uelit? Cæterùm ego uidi qui flerent præ dolore ob amorem, & qui amatis famularentur, cùm prius quàm amarent, maximum malum seruitutem opinaren-

Amor ultroneus ne, & quanta seruitus.

tur: quiq; darent eorũ multa, quibus priuari eis non esset melius: & qui præterea optarent amore liberari non secus quàm ab alio quodam morbo, neque liberari tamen possent, sed ualidiore necessitate ligati essent, quàm si in ferrea uincula coniecti forent. Præbent igitur amatis seipsos, permultum ac temerè seruientes. Neq; cùm huiusmodi malis teneantur, tentant euadere, sed asseruant quos amant, ne quoquam effugiant. Et adolescens ad hæc ait: Faciunt enim quæ dicis. Et sunt sanè istiusmodi amatores flagitiosi, quo fit ut etiam optent, ut perseuerantes usq; in ærumnis moriantur. Cumq; infinitæ sint liberandi artes, à uita non liberantur. Iidem præterea furari aggrediuntur, neq; ab alienis abstinent. Sed cùm quid rapuerint, furati ue fuerint, uides quòd ipse primus, tanquam furtum necessarium non sit, & furem & raptorem accusas: & non modò non ignoscis, sed supplicio afficis. Hoc item modo formosi non cogunt ut homines se ament, aut cupiant quæ non decet: sed flagitiosi homunciones cupiditatibus omnibus se præstant inferiores, deinde amores accusant. At honesti atque probi uiri etsi cupiunt & aurum, & equos bonos, & mulieres pulchras, ab his tamẽ omnibus facilè queunt abstinere, ut non his magis quàm deceat subditi sint. Itaq; ipse hanc mulierem intuitus, etsi admodum formosa mihi uisa est, sum tamen & apud te, et equito, & alia quæq; mea præsto officia. Ita mediusfidius, inquit Cyrus: fortassis enim celerius abisti, quàm in quanto tempore amor potest hominem sibi disponere. Nam & ignis eum qui se tetigerit, haud continuò urit, & ligna nõ continuò flammas tollunt. Ipse tamen neque ignem ultro tango, neque pulchros intueor, nec etiam tibi consulo

Araspa,

Araſpa, ſinas in pulchris oculos uerſari: quòd ignis quidem urit hominis tangentis, ac formoſi eos etiã accendunt qui ſe procul ſpectant, ut propter amorem æſtuent. Confido Cyre, Araſpas inquit. Nam ſi nunquã etiam ſpectare ceſſauero, nullo pacto uincar, quò aliquid quod minus deceat faciam. Pulcherrimè, inquit, dicis. Quare aſſerua hanc, ut tibi iubeo, eiuſq; curam gere: fortaſſis enim peropportuna nobis erit aliquando hæc mulier. Tum igitur his dictis abierunt. Sed adoleſcens quum ſimul mulierem pulcherrimã aſpiceret, ſimulq; eius probitatem cognoſceret, curamq; eius gereret, atq; gratificari ei arbitraretur: & quum etiam ſentiret eam non eſſe ingratã, ſed diligentiam per ſeruos ſuos adhibere, ut ingredienti Araſpæ eſſent neceſſaria omnia, & ne ſi quando ægrotaret, rei cuiuſquam indigeret: ex hiſce omnibus amore captus eſt, & nihil fortaſſe mirabile eſt paſſus. Et hæc quidem hoc pacto gerebantur. Cyrus autem cùm uellet libenter manere apud ſeſe tum Medos, tum ſocios, conuocatis præcipuis omnibus, huiuſmodi uerba locutus eſt: Viri Medi, & uos qui adeſtis omnes, equidem certò ſcio neque pecuniarum indigentis uos mecum egreſſos eſſe, neque quòd exiſtimaretis Cyaxari hoc præſtare obſequium, ſed ut hanc rem mihi gratificaremini, meq; honore proſequeremini, & per noctem iter facere, & mecum unà periclitari. Quorum ego gratiam uobis habeo niſi iniuſtus ſim, quam referre nondum mihi uideor poſſe pro dignitate: neq; id dicere me pudet. Quòd autẽ dicam eam me relaturũ ſi apud me manſeritis, hic mihi ſermo pudori eſſet: nã exiſtimarer uideri hæc dicere, quò uos magis uelitis manere apud me. Sed hac pro re hæc uobis dico. Ego enim Oratio Cyri.

uobis etiã si iam abeatis obedientes Cyaxari, tamen si quid boni gessero, ita enitar facere ut me sitis laudaturi. Non enim ipse nunc sum abiturus. Verùm & Hyrcanijs quibus & iusiurandum, & dextras dedi, fidem seruabo, & nunquam hos deprehendar prodidisse. Et Gobryæ qui nunc nobis & oppida dedit, & regionem, & uires facere studebo, ne se unquã pœniteat sui ad me itineris. Et quod maximum est, cùm dij immortales manifestis adeò bonis nos affecerint, eos & metuerem & uererer, si his bonis relictis temerè abirem. Equidem ipse ita faciam. Vos autem ita ut sentitis, ita etiam facitote, atq; mihi dicite quæcunq; sententia uobis sit. Cyrus ita loquutus est. Primus autem is qui olim dixit se Cyri consanguineum, respondit: At ego rex, inquiens: rex enim nihilo minus uideris natura esse, quàm qui in alueari apium est dux: illi enim apes parent ultrò, & ubicunq; maneat, nulla illinc abscedit. Quòd si quô exeat, nulla eum relinquit: amor usque adeo uehemens in his inest, ut eius patiantur imperium: identidemq; quodammodo homines mihi uidentur erga te habere. Etenim in Persas cùm à nobis abisti, quis Medus aut iuuenis aut senex relictus est, qui minus te sequeretur, donec Astyages nos auertit? Cùm uerò ex Persis auxilio ueniisti nobis, uidemus item amicos tuos ferè omnis ultro te sequentis. Vbi rursus cupijsti ducere hunc exercitum, sponte Medi omnes te sunt secuti. Nunc etiam sic habemus, ut unà tecum in terra hostili cùm sumus, confidamus, & timeamus sine te abire etiam domum. Itaque alij quomodo facturi sunt ipsi dicent. Sed ego Cyre, & hi qui mihi subditi sunt, & manebimus apud te, & tuum nutum obseruabimus, constanterq; expectabimus beneficiũ tuũ.

Post

Post hunc ita Tigranes locutus est: Tu nunquam mireris Cyre, si ipse taceo. Animus enim meus nõ ad consultandũ paratus est, sed ad omnia ea faciunda quæ iubeas. Hyrcanius autem inquit: At ego, ô Medi, si nunc abeatis, dicam mali numinis esse insidias, quòd uos nolit felicißimos fieri. Humanæ quidem mentis compos quis aut fugientis hostes fugiat, aut arma si tradiderint, minus capiat, aut seipsos atq; sua dantis non admittat? præsertim cùm talis est uobis imperator, qui mihi uidetur, ita uos deos omnis testor, magis lætari ut uobis benefaciat, quàm ut seipsum locupletet. Post hunc Medi omnes hæc dixerunt: Tu Cyre & eduxisti nos, & domum cùm abeundi tempus uideatur, tecum nos age. Quæ Cyrus ubi audiuit, ita precatus est: At, ô Iupiter optime maxime, abs te peto, mihi des ut hos beneficijs uincam, qui me honorant. Exhinc iußit ut alij constituerent habere iam circa se custodes: at Persæ distribuerent tabernacula equitibus quidem, quæ his conuenirent: peditibus uerò, quæ his satis essent: & ita constituerent, ut qui in tabernaculis sunt, ubi fecerint omnia pro officio, ea in ordines ferant ad Persas, & equos præbeant cultos. Persis uerò opus ut esset aliud nullum, quàm ea elaborare quæ ad bellum pertinent. Ac eum quidem diem degerunt hoc pacto. Manè autem surgentes pergebant ad Gobryam, Cyrus quidem in equo, & qui ex Persis equites facti erant, ad duo millia. Qui uerò habebant horum crates & mucrones, post hos sequebantur pari numero: aliusq; exercitus instructus proficiscebatur. Cuique autem iussit, ut nouis suis seruis dicerent, quicunque eorum aut post cogentes agmen uisus fuerit, aut ante frontem, aut ad latera deprehendatur extra eos qui sunt in ordine, illum

punitum iri. Postridie circiter crepusculum perueniunt ad Gobryæ oppidum, uidentq; munimentum ualidissimum, & omnia parata in muris quæcunq; sunt ad repugnandum optima, ac boues multas ouesq; permultas sub munimenta adductas intuebantur. Cumq; misisset ad Cyrum Gobryas, iussit ut equitans uideret si sit accessus expeditissimus, utq; intrò ad se mitteret fidos aliquos, qui spectatis quæ sibi intus sunt, renuncient. Sic igitur Cyrus ipse certò uidere uolens, sicubi oppidum facilè capi posset, an Gobryas mentiretur, immittebat undiq;, ac uidit omnia ualidiora esse quàm ut accedi possent. Quos autem misit ad Gobryam, hi certò renunciabant tanta esse intus bona, quanta, ut sibi uideretur, in hominũ ætatem si intus sint, defutura nõ forent. Itaq; Cyrus solicitus erat quid tandem hæc essent, cùm Gobryas & ipse ad eum egressus est, & omnes intrinsecus eduxit ferentis uinũ ac farinam, alios uerò agentis boues, capras, oues, sues: & si quid esset esculenti, omnia affatim afferebant, ut cœna exciperetur exercitus omnis unà cum Cyro. Qui ergo ad hanc rem constituti erant, & diuidebant hæc, & cœnabãt. At Gobryas ubi omnes uiri sui fuerũt extrà, Cyrum ingredi iussit, quò arbitraretur omnia esse secura. Cyrus igitur præmissis exploratoribus ac uiribus, ita demũ ipse ingrediebatur. Sed ubi ingressus est Cyrus habens portas patefactas, amicos omnis inuitabat, & principes quos habebat secum. Vbi uerò intus fuere, Gobryas extulit phialas aureas, & urceos, & peluis, uariumq; ornatum, & innumeros quosdam daricos, & omnia ualde pulchra: ad postremũ etiam filiam educens mirabili quadam pulchritudine atque magnitudine, quæ luctuose haberet propter fratris obitum,

ita

ita inquit: Ego tibi Cyre haſce quidem pecunias dono do, hanc autem filiam concedo, ut de ipſa pro uoluntate deliberes. Te autem ſuppliciter rogamus, ego quidem etiam antea, ut filij mei, ipſa autem nunc, ut fratris ſui ſis ultor. Ad quæ Cyrus reſpondit: Sed ego tibi etiam hæc tum promiſi me ultorem pro uiribus fore, ubi tu uerus eſſes. Nunc uerò cùm te talem eſſe intueor, iam tibi debeo promiſſum: & tuæ huic filiæ eadem cum deorum ope promitto me fæturum: atque haſce ſanè pecunias ipſe quidem admitto, quas filiæ huic tuæ atq; illi do, qui eam in uxorem capiet. Vnum autem donum habens abs te abibo, pro quo nec ea quæ Babylone ſunt, etſi ibi ſunt plurima, nec etiam quæ ubiq; ſunt, pro hoc uno quo donatus abs te ſum, ſuauius habens ſim abiturus. Et Gobryas miratus quidnam hoc eſſet, ſuſpicatusq; ne filiam diceret, ita eſt percunctatus: Et quidnam hoc eſt, inquit, Cyre? Ad quem ille reſpondit: Quoniam ego, Gobrya, multos homines eſſe reor, qui neq; impietati ſeſe uelint, neq; iniuſtitiæ obnoxios facere, neq; ſponte mentiantur: ſed quia nemo his cõmittere uult neq; pecunias multas, neq; regnum, neq; oppida munita, neq; filios chariſſimos, moriuntur prius quàm declarent quales ſint. Tu autem mihi nunc & munitiones tutiſſimas, & diuitias multiplices, & uires tuas, & filiam digniſſimam largitus, clarum reddidiſti mortalibus omnibus, eum me eſſe, qui neque in hoſpites impius eſſe uelim, neq; iniuſtus pecuniarũ gratia, neq; ultro mendax in ſeruandis promiſſis. Horũ ego obliuiſcar ſanè nunquam, donec uir iuſtus ſim, taliſq; eſſe uiſus lauder ab hominibus: quin enitar te contrà bonis omnibus honorare. Neque tibi ucrendum eſt, ne careas digno uiro pro hac filia tua:

Nam & multi mihi, & boni amici sunt, quorum cui nuptura sit hæc, si quidē tantas sit habiturus pecunias, quantæ abs te dantur, uel ijs etiam alias multò plures nequeam dicere. Cæterùm scito quosdam eorum esse, qui ob pecunias tuas ne paulò quidem magis te sint admiraturi: me autem hoc tempore adamant, optantq; ut deorū benignitate posint aliquando demonstrare, se nihilo minus quàm me fideles esse in amicos: hostibus autem ut nunquam sint quandiu uiuunt inferiores, modò deus aliquis non aduersetur. Virtuti uerò atque bonæ gloriæ, ne bona quidem omnia Syrorum Assyriorumq; tuis addita bonis præferant. Talis esse uiros qui hîc sedent, nolo te lateat. Et Gobryas ridens: Per deos immortales, inquit, Cyre ostende mihi ubi hi sunt, quò abs te petam horum mihi aliquem fieri filium. Atq; Cyrus ait: Nihil tibi opus erit ut me percuncteris: si unà nobiscum etiam sis, ipse tu poteris alij ipsorum quenq; demonstrare. Tantum loquutus uerborum, apprehensa Gobryæ dextera, atq; surgens abijt, suosq; secum eduxit omnis. Cumq; multum à Gobrya rogaretur ut intus cœnaret, haud uoluit, sed cœnauit in castris, & Gobryam ipsum conuiuam assumpsit. Cumq; in uimineis toris discumberet, ita eum interrogabat: Gobrya, dic mihi, utrum tibi putas plura esse strata, an cuique nostrûm? Ad quem ille respondit: Vobis sanè plura & strata sunt, & lecti, atq; ædes multò maiores quàm meæ, qui pro ædibus & terra utimini, & cœlo. Lecti etiam uobis sunt, quotquot cubicula sunt in terra: strata uerò existimatis non quot lanæ oriuntur ex pecudibus, sed quamcunq; materiam & montes & campi germinant. Primùm igitur, dum unà cum his Gobryas cœnaret, uideretq; appositorum

sitorum esculentorũ uilitatem, putabat seipsos multò esse liberalioris quàm Persas: sed ubi animo uolutauit ciborũ moderationem (in nullo enim neq; esculento, neque potulento uir Perses, ex his qui bene instituti sunt, neq; oculis commotus appareat, neque rapina, neq; mente, quo minus eadem prospiciat, quæ si in cibo nõ esset: sed quemadmodũ equestres, quoniam in equis non turbantur, possint simul dum equitãt & uidere, & audire, & dicere, quod sit opus: sic item illi inter epulas existimant oportere & prudentes apparere, & moderatos: at moueri esculentis & potulentis, uidetur his esse porcinum admodum & immane) cogitauit etiam ut hi inuicẽ talia quædam interrogabant, qualia interrogari suauius esset, quàm nõ interrogari: & ut cauillabantur, qualia cauillari suauius erat, quàm non cauillari: & quæ iocabantur, ut admodum à contumelia aberant, & à re turpi factu, & à mutua molestia. Maximum uerò ei uisum est, quòd his qui essent in exercitu, nihilo plura existimarent oportere apponi, quàm illis qui in diem periculum intrarent: sed hoc arbitrarentur lautissimum esse conuiuium, si ita pararent socios, ut futuri essent quamoptimi. Vbi autem Gobryas surrexit domum abiturus, fertur dixisse: Non amplius miror Cyre, si pocula, & amictus, & aurum nos possidemus quàm uos maiori copia, at nos sumus minoris faciundi quàm uos. Nos enim operam damus, ut sint nobis quamplurima: at uobis ea diligentia est, uti mihi uidetur, ut futuri sitis quamoptimi. Et ille quidem hæc loquutus est. At Cyrus: Agè, inquit, Gobrya, quò manè adsis, tecum equitatum habens armatum, quò etiam tuum exercitum uideamus: simulq; nos age per agrum tuum, quò intueamur quæ & nobis

Persarum in cibo modestia.

amica, & quæ hostilia sunt existimanda. Tum igitur hæc loquuti, utriq; abierunt ad res conuenientis. Sed ubi dies aduenit, affuit Gobryas habens equitatum suum, ac ducebat. Cyrus autem, ut par est uiro principi, non solùm mentem adhibebat itineri faciundo, sed procedens simul considerabat, si fieri posset ut redderet hostes imbecillioris, aut etiam seipsos ualidioris. Itaque uocato Hyrcanio atque Gobrya (hos enim existimabat nosse maximè quæ ipse discenda sibi arbitrabatur) Ego, inquit, uiri amici, existimo si uobiscum, qui fidelissimi estis, consulto de hoc bello, nequaquam errare. Video enim uobis magis quàm mihi esse considerandum, ut Assyrius uobis non dominetur. Nam mihi si ab his rebus errauero, est fortasis aliud perfugium. At à uobis, si hic uicerit, uideo nostra omnia fieri aliena. Etenim hic mihi hostis est, qui me odio non habet, sed putet detrimentosum esse sibi, uos esse magnos, & ob hanc rem exercitum agit aduersus nos. Vos autem idcirco est iam exosus, quòd existimet à uobis pati iniuriam. Ad hæc ambo eadémque responderunt, ut perficeret quod facturus esset: quippe se ea scire, & magnopere solicitos esse, quò casurum esset præsens negocium. Hic igitur ita incœpit: Dicite igitur mihi, utrum uos solos Assyrius putat habere hostis aduersus sese, an scitis alium item quenquam, qui ei sit hostis? Ita mehercule, inquit Hyrcanius. Hostes ei sunt maximi Caduſij, gens quidem & magna, et robusta. Itemq; Sacæ finitimi nobis sunt, quos Assyrius multis affecit malis, qui enixus sit illos, quem admodum etiã nos, euertere. Ergo existimatis, inquit, nunc eos utroſq; libenter nobiscũ Assyrium inuasuros? Qui responderunt: Et uehementer hos quidem, si quidem coniun

gi no-

gi nobiscum posſint. Quid eſt, Cyrus inquit, in medio, quo minus cõiungantur? Aſſyrij, reſponderũt, eadem gens per quam nunc pergis. Quæ cùm Cyrus audiſſet: Quid enim, inquit, ô Gobrya, nõ tu hunc adoleſcentem, qui nunc in regnum conſtitutus eſt, moribus eſſe accuſas admodum inſolentem? Talia enim, inquit Gobryas, ab eo ſum paſſus. Verùm ita, inquit Cyrus, in te duntaxat, an etiã in alios quoſdam talem ſe geſſit? Et in alios mediusfidius, inquit Gobryas. Verùm quibus contumelijs afficiat imbecillos, quid dicere oportet? Vnius autẽ uiri qui multò erat quàm ego potentior filium, qui illi etiam ſodalis eſſet quemadmodũ filius meus, compotantem apud ſe comprehendit, atq; excîdit: & id quidem, quoniam (ut aliqui dixere) pellex eius eum laudauit à pulchritudine, eamq; beatam fore dixit, quæ uxor illi futura eſſet: ſed ut ipſe rex nunc dicit, quoniam tentaſſet ille ſuam pellicem: atque hic nunc ſpado eſt, habetq; imperium, quoniam eius pater diem obijt. Putas igitur fore, inquit Cyrus, ut hic item libenter nos uideat, ſi putet ſibi futuros auxilio? Bene equidem ſcio, inquit Gobryas, ſed eum uidere difficile eſt Cyre. Quî, inquit Cyrus? Quoniam ſi quis uelit illum conuenire, neceſſe eſt ut præter ipſam Babylona tranſeat. Quid igitur, inquit Cyrus, hoc eſt difficile? Quoniam, inquit Gobryas, ſcio multò maiores uires ex ea exiiſſe, quàm hæ quas nunc tu habes. Nec enim debes eſſe neſcius, ob hoc ipſum minus nunc tibi quàm antea Aſſyrios arma deferre, equoſq; adducere, quoniam uires tuæ his intuentibus uiſæ ſunt paruæ, & rumor hic iam diſſeminatus eſt permultus. Itaq; mihi uidetur eſſe melius, ut cautè proficiſcaris. Et ubi Cyrus huiuſmodi uerba dixiſſe Gobryam audi-

uit, ita ad eum loquutus est: Perpulchrè mihi dicere Gobrya uideris, qui iubeas iter fieri quamtutißimè. Quare cogitanti mihi, nullum uidetur iter securius, quàm quod ad ipsam ducit Babylona, si ibi sunt maximæ hostium uires. Sunt enim illi multi, ut ais: qui si confidunt, erũt etiam in nos acerrimi. Itaq; si nos nõ uideant, sed existiment nos euanuisse, quoniam illos metuamus, liberabuntur eo metu in quo sunt, capientq; pro metu eò maiorẽ fiduciam, quò plus temporis nos non uideant. Quòd si nunc eamus aduersus eos, reperiemus eorum permultos qui adhuc illos fleant, quos ipsi interemerimus. Multos item qui habeant obligata uulnera, quibus à nostris militibus sunt affecti. Omnes præterea qui adhuc meminere tum huius exercitus audentiam, tum sui ipsorũ & fugam, & cladem. Nec te latêre hoc debet Gobrya, homines plures quando confidant, esse animi cõstanti erectione: cùm uerò timeant, quò plures fuerunt, eò maiore formidabilioreq; metu detineri. Ex multis enim malisq; rumoribus is auctus est metus, ex multis etiam malisq; rebus, ex multis item atque ignauis exanimatisq; personis coactus est. Itaq; ob magnitudinem is non facilè extinguere potest furorem uerbis, neq; si ad hostes illum ducat, uim potest inijcere, neque si abducat, elationem excitare: sed quanto magis iubeat audere, tanto existimabunt in maiore se esse discrimine. Itaq; illud consideremus ut certò habet. Nam si post hoc tempus uictoriæ sunt futuræ in bellicis eorum operibus, utriutri maiorem turbam numeraturi sint, rectè etiam tu de nobis metuis, & nos uerò in rebus sumus formidolosis. Sin quemadmodum antea pugnæ iudicantur, etiam nunc propter bene pugnantes ubi audeas, nihil aberres: longè enim ope

deorum

deorũ plures inuenies apud nos eos qui libenter pugnẽt, quàm apud illos. Vt etiam magis audeas, hoc tecum cogita: hostes enim longè nunc sunt pauciores, quàm cùm antea uicti à nobis sunt: longè item minore numero, quàm quando nos effugêre. Nos uerò & maiores nunc sumus quàm antea, quoniam uicimus: & ualidiores, quoniam rebus usi sumus secundis: ac item plures, quoniam uos additi nobis estis. Noli enim ne tuos quidẽ cõtemnere, postquàm unà nobiscũ sunt. Nam cum uincentibus, Gobrya, etiam qui sequuntur, audent. Neq; te hoc lateat, licere hostibus per hoc temporis quoq; nos uidere. Formidabiliores autem nullo modo eis appareamus, si adhuc expectemus, quàm si eamus aduersus illos. Itaq; hæc mihi quoniã cognita sunt, rectà nos age ad Babylona. Ita igitur pergẽtes, ad quartum diem peruenere ad Babylonis confinia. Vt autem fuit in terra hostili, assumpsit constituitq; secum in ordine cum pedites, tum ex equitibus quotquot ei uisi sunt bene habere. Alios uerò equites permisit fines depopulari, iussitq; ut hos qui arma haberẽt, interficerent: alij uerò ut & pecudes, & quæcũq; alia cepissent, ad sese agerent. Iussit etiam Persis ut ipsi quoq; depopularentur. Veneruntq; eorũ multi qui ab equis deuoluti cecidissent, multi item qui prædam plurimã agerent. Quæ ubi affuit, conuocatis Medorũ Hyrcaniorumq; principibus atq; homotimis Persarum, hæc locutus est: Viri amici, Gobryas multis bonis hospitaliter nos omnis donauit. Si igitur ubi dijs immortalibus quæ iusta sunt delegerimus, & exercitui quæ sunt satis dederimus, aliam prædã huic demus, certè rem honestam faciamus, quoniam statim declaremus nos eniti, ut benemerentis quoque uincamus beneficijs, Cyri oratio.

Quod ubi auditum est, & laudauerunt omnes, & prædicarunt. Vnus præterea ita locutus est: Rectè admodum, inquit, Cyre hoc à nobis factum fuerit. Gobryas enim uidetur mihi mendicos nos quosdam existimare, quoniam diuitiis referti non uenimus, neque phialis potamus aureis. Quòd si hoc fecerimus, cognoscet liberalis nos esse etiam sine auro. Agè igitur, inquit Cyrus, quæ decorũ sunt, detis magis, et quæcũq; exercitui satis delegeritis: alia Gobryæ uocato ei date. Sic igitur cùm illi cepissent quæcunq; opus fuerat, dederunt alia Gobryæ. Exhinc ad Babylona profectus est acie ordinata, quemadmodum cùm est pugnandum. Vt autem contrà Assyrij egressi non sunt, Gobryæ iussit Cyrus, ut adequitans diceret, si uellet rex egredi pro regione pugnaturus, saltem ut ipse cum illo pugnaret. Sin id minus, ut agrum defenderet, quoniã necesse est parêre uincentibus. Gobryas igitur eò progressus ubi tutũ erat, ea dixit. Rex autem misit qui talia ei responderet: Herus tuus dicit, ô Gobrya: Non solùm me nõ pœnitet quòd filiũ tuum occiderim, sed quòd non item te interemerim. Pugnare autem si uelitis, uenite ad trigesimum diem. Nunc enim nondum ocium nobis est, quippe qui adhuc paramur. Ad quem inquit Gobryas: Verùm hæc pœnitentia tibi nunquam desinat. Perspicuum est enim te à me affici adhuc molestia, ex quo hac pœnitentia detineris. Et Gobryas quidem renunciauit Cyro, quæ Assyrius respondisset. Quibus auditis, Cyrus amouit exercitũ, Gobryaq; uocato: Dic, inquit, mihi, nónne dixisti tu, putare te futurum, ut excisus ab Assyrio unà nobiscum esset? Bene, inquit, mihi uideor nosse: multa enim ego atque ille inuicem fidenter loquuti sumus. Quando igitur, inquit Cyrus,

rus, tibi uidetur bene habere, procede ad eũ, ac primùm quidem ita facito utcunque ille dixerit. Vbi autem unà cum eo fueris, si noueris eum uelle amicum esse, hoc moliendum est, ut clàm nobus amicus sit. Nec enim amicos quisquam aliter quodammodo pluribus in bello bonis afficerit, quàm si hostis esse uideatur. Neq; inimicis magis alio quodã modo nocuerit, quàm si putetur amicus esse. Atqui, inquit Gobryas, non sum nescius quanti emeret Gadatas, ut magno aliquo malo regem hunc Assyriorum afficeret. Sed quicquid possit, hoc nobis considerandum est. Narra igitur mihi, inquit Cyrus, in castellum quod est ante regionem, quodq; uos dicitis Hyrcanijs Sacisq; fabricatum propugnaculũ esse belli huic regioni, num putas à castelli præfecto permitti ut spado ueniat cum exercitu? Indubitatò, inquit Gobryas, si quidem minimè suspectus, sicuti nunc est, ad eum ueniat. Ergo, inquit Cyrus, minimè sit suspectus, si quidem ego adortus fuero eius castella, perinde atq; uelim capere, ille autem repugnet pro uiribus: atque ego aliquid eius capiam, & ille contrà è nostris captiuos faciat, aut alios quospiam, aut etiã nuncios quos ad hosce mittam, qui à uobis dicuntur hostes esse Assyrio, dicantq; captiui abire se ad exercitum tanquam acturi ad castellum scalas: spado uerò his auditis simulet idcirco adesse, quoniam uelit hæc nunciare. Atque, inquit Gobryas, quòd si ita res gerantur, certò futurum scio, ut & adsit ille, atque eum roget ibi manere, donec transieris. Ergo, inquit Cyrus, si quidem ingrediatur, facere queat ut castellum capiamus. Consentaneum est, inquit Gobryas, ubi ille interius rem paret, tu autẽ extrinsecus ualidius adoriaris. Agè igitur, inquit Cyrus, ito, atque enitere

Simulata aut dissimulata in bello amicitia quid possit.

ubi hæc docueris ac peregeris, huc adesse. Fidem autem ei haud maiorem neq; dicas, neq; demonstres, quàm eam quam tu à nobis accepisti. Exhinc abijt Gobryas: quem spado libenter uidens, & consentiebat omnia, & paciscebatur quæ oportebat. Vbi autem nunciauit Gobryas, uideri spadonem quæ Cyrus iusserat, omnia ualidè habere, exhinc postridie Cyrus adortus est, Gadatas autem repugnabat. Nũcios uerò quos Cyrus miserat admonitos quô pergerent, alios Gadatas diffugere permisit, quò agerent copias, scalasq; portarent. Quos uerò captiuos fecit, coram multis exanimans, ubi audiuit quorum gratia se profici dixere, continuò instructus tanquam rem nunciaturus noctu pergebat. Postremò autem fide dictis eius adhibita, ut auxiliũ ferens castellum ingreditur, & tum quidem unà cum præfecto castelli parabatur ut poterat. Vbi autem uenit Cyrus, capit castellum, adiutoribus usus his etiam captiuis quos Cyrus miserat. Quod ubi factum est, continuò Gadatas spado intus rebus constitutis ad Cyrum egressus est, quem ubi pro more adorasset, ait: Salue Cyre. Cæterùm facio hæc, inquit, quoniã tu pro diuina ope non iubes solùm, uerumetiam cogis me saluum esse. Non enim debes nescius esse, inquit Cyrus, me magnificere, quòd hoc castellum amicũ relinquam præsentibus socijs. Tibi autem Gadata ne filios faceres, ut uidetur, Assyrius abstulit: à quo minimè es priuatus, ut possis tibi amicos cõparare. At uolo tibi bene persuadeas, feciſſe te nos amicos tuo hoc præsenti opere: qui tibi profectò, si facultas detur, operam dabimus ne deteriores auxiliatores simus, quàm si uel filios uel nepotes adeptus esses. Et Cyrus quidem hæc dicebat. Hìc uerò Hyrcanius cum modo rem

sen-

sensisset, accessit ad Cyrum, eiusq; dextra apprehensa inquit: O magnum bonum amicis tu Cyre. Vt magnam me facis gratiam dijs immortalibus debere, qui me tibi coniunxerunt. Ito nunc, inquit Cyrus, & accepto castello, cuius gratia mihi gratularis, ita illud gubernato, ut amico uestro dignissimum sit atque alijs socijs, maximè autẽ hoc Gadatæ, qui id cepit, atque nobis tradidit. Quid igitur, inquit Hyrcanius, posteaquam uenerint Caduſij, ac Sacæ, atque ciues mei, uocemus etiam hunc, ut omnes simul consultemus quorumcunq; interest, ut quamutilissimè utamur castello? Quæ agenda ita consensit Cyrus. Vbi uerò conuenerunt hi quorum de castello intererat, consultaue runt ab his omnibus unà custodiendum esse castellum, qui bus conduceret illud amicum esse, quò foret illis belli propugnaculum, aduersus Assyrios autem munimentũ. Qui bus gestis, multò iam alacriores ac plures, & Caduſij, & Sacæ, & Hyrcanij ibant in exercitum. Coactusq; hinc est exercitus, ex Caduſijs quidem scutati ad uiginti millia, & equites ad quatuor millia, ex Sacis uerò sagittarij ad decem millia, & equites item sagittarij ad duo millia. Et Hyrcanij miserunt rursus & pedites, quotquot poterant, & equites explerunt ad duo millia. Antea enim relicti fuerant domi plures equites, quoniam & Caduſij, & Sacæ, hostes erant Assyrijs. Quanto autem tempore sedit Cyrus circa castelli machinationem fabricandam, Assyrij multi circa castella hæc habitantes agebant equos, multi arma differebant, quippe qui finitimos omnis iam metuerent. Exhinc ad Cyrum Gadatas accedit, dicitq; uenisse ad se nuncios, quòd Assyrius ubi accepit de castelli captiuitate, & molestè rem tulit, & paratur quò

impetum faciat in suam regionem. Quare si me, inquit, dimittas Cyre, oppida enitar seruare. Nam rerum aliarum mihi minor nõ est ratio. Ad quem inquit Cyrus: Si igitur nunc eas, quando es domi futurus? Et Gadatas respondit: Ad tertium diem cœnabo in regione nostra. Num, inquit Cyrus, futurum putas ut iam illic offendas Assyrium? Certò, inquit, scio: maturabit enim donec adhuc procul uideris abesse. Ego autem, inquit Cyrus, quoto die illuc peruenire possim unà cum exercitu? Ad hoc Gadatas ait: Multas iam here copias habes, neque possis minus quàm aut in sex, aut in septem diebus ad meam ire habitationem. Tu igitur, inquit Cyrus, abi quamcelerrimè: ego autem quantũ fieri poterit, iter faciam. Et Gadatas abijt. At Cyrus cõuocatis omnibus sociorũ principibus, qui & multi iam adesse uidebantur, & clari, & fortes uiri, hæc loquutus est: Viri socij, Gadatas peregit quæ nobis omnibus uidentur magni esse faciunda, & hæc quidem prius quàm quicquam omnino boni à nobis acceperit. Nunc Assyrius in eius regionem impetũ facere nunciatur, perspicuum est eum uelle & de illo capere ultionem, quoniam ab eo putet detrimentum plurimum accepisse: simul illud quoque fortasis cogitat, fore, si nullo hi malo ab illo affecti fuerint, qui ad nos defecere, qui uerò cum illo sunt perdentur à nobis, ut nemo scilicet uelit cum eo esse. Nunc igitur bene faciamus, mea sententia, si alacriter Gadatæ auxilium tulerimus, uiro sanè benefico: simulq; agamus pro iustitia, si gratiam retulerimus: præterea, ut mihi uideor intelligere, rem agamus utilem nobisipsis. Si enim omnibus uideamur uincere, eos malè afficiendo qui malè perpetrarunt, beneficos uerò beneficijs superare,

ex

ex his rebus ueriſimile eſt uelle nos quamplurimos facere amicos, ac neminem cupere inimicum. Quòd ſi neglexiſſe Gadatam uideamur, quibus rationibus per deos immortales perſuadeamus alijs, ut quicquam nobis gratificentur? Quomodo etiam audeamus laudare noſipſos? Quomodo item quiſquam noſtrũ queat Gadatam reſpicere, ſi beneficijs uincamur tot nos uiri ab uno uiro, & eo ſic affecto? Cyrus ita loquutus eſt. At alij omnes uehementer comprobarunt hæc eſſe faciunda. Agè igitur, inquit Cyrus, quoniam hæc item uidentur uobis, relinquamus ſinguli in uehiculis ac iumentis eos, qui maximè idonei ſint cum his proficiſci, Gobryasq; noſter his præſit, atque dux fiat. Nam & itinerum eſt peritus, & ad alia quæque idoneus. Nos autem cum equis potentiſſimis ac uiris pergamus, acceptis rebus ad uictum neceſſarijs dierum trium. Quanto autem leuiùs paremur ac uilius, tanto ſuauius diebus inde proximis & prandebimus, & cœnabimus, & dormiemus. Verùm nunc ita proficiſcamur. Primùm quidem tu Chryſanta, thoracibus indutos agito, quoniam uia & plana eſt, & lata, habeasq; omnis centuriones in fronte. Quiſque autem ordo ſingillatim eat: nam ſi frequentes fuerimus, & celerrimè maximeq; tutò proficiſcamur. Cuius rei cauſa iubeo thoracibus armatos duces eſſe, quoniam hoc genus exercitus eſt grauiſſimum. Quare ſi quod grauiſſimum eſt ducat, neceſſariò omnia minus celeriter euntia facile ſequuntur. Cùm uerò quod celerrimum eſt ducit in nocte, nihil eſt mirandum ſi agmina diſtrahũtur: nam quod diuulſum eſt, diffugit. Poſt hos autẽ Artabazus agat ſcutatos ſagittariosq; Perſarum. Ardamyas inde Medus peditatum Medorum

agat. Et post hos quoque Embas Armeniorum ducat peditatum. Artuchas uerò post hosce agat Hyrcanios. Et Thambradas post hosce, peditatũ agat Sacarum. At post hos Damatas agat Caduſios. Agant etiã hi omnes, in fronte habentes centuriones, ad dexteram uerò ſcutatos, & ad ſiniſtrã ſagittarios, quos haberẽt ſibi à latere. Ita enim pergentes utiliores etiam fiunt. Post hos autem qui ſarcinas omnium ferunt, ſequantur. Quorum principes curẽt ut antequàm dormiant, parata ſint omnia, & manè adſint cum uaſis ad conſtitutum locum, & ut ſequantur decorè. At post eos qui ſarcinas ferũt, Madatas Perſes agat equites Perſas, qui & is habeat in fronte cẽturiones equitum. Centurio uerò ordinem agat ſingillatim, quemadmodum qui peditibus præſunt. Post hos Hieroſombatas Medus itidem agat equites ſuos. Post quos tu Tigranes agito equitatum tuum, & alij quoq; equitum duces eos agãt quibus cum ſinguli ad nos uenere. Poſt hos uerò agite uos Sacæ. Vltimi autem quemadmodũ uenere Caduſij, agant agmen. Tu uerò Alceuna qui hos agis, curam nunc habe ut ſis retrò poſt omnes, nec quenquam patere eſſe tuorum equitum ultimum. Diligentiam quoq; adhibete, ut proficiſcentes taceatis, & principes & omnes qui ſapitis. Per aures enim noctu neceſſe eſt magis, quàm per oculos, & ſentire quæq; & agere. Et turbari per noctem longè maius negocium eſt quàm interdiu, & emendatione difficilius. Cuius rei gratia tum taciturnitas exercenda eſt, tum ordo cuſtodiendus. Nocturnæ autem cuſtodiæ, cùm noctu nobis ſurgendum eſt, & quambreuiſſimæ faciundæ ſunt & quamplurimæ, quò nulla uigilia in cuſtodia, ſi multa ſit, detrimentum proficiſcendo patiatur. Cùm uerò proficiſcen-

Noctu quid maximè obſeruandũ in exercitu.

ficiscendi sit hora, significandũ est cornu. At uos habentes singuli quæ necessaria sunt, in uiam adeste qua itur Babylona. Quisquis autem proficiscetur, semper eum sequatur qui erit in extremo agmine proximus. Exhinc ibant ad tabernacula, simulq; euntes inuicẽ disserebãt: Quanta memoria Cyrus est, quot instruxit, quomodo nominatim præcepit? At Cyrus hæc propter diligentiã faciebat: quippe cui mirandũ uideretur, si qui in sordida arte uersantur, singuli norũt artis suæ instrumentorũ nomina, et medicus nomina tenet & instrumentorũ & medicamentorũ quibus utitur: & imperator ita sit fatuus, ut nesciat nomina subditorũ ducum, quibus ei opus est pro instrumentis uti: & dum anticipare quicquã uelit, & dum cauere, & dum audientiam inijcere, & dum terrere, & dum honorare quandoq; quenquã cupiat, decorũ ei esse uidebatur quẽq; suo nomine appellare. Putabat etiã Cyrus, eos qui à principe cognosci uidereẽtur, magis desiderare ut honesti quicquã aspicerentur facere, ac magis item expetere ut à turpi abstinere actione uiderentur. Res ei præterea hæc fatua uidebatur, ut cùm uellet aliquid geri, ita imperaret, quemadmodum heri domi consueuerunt, eat aliquis ad aquã, ligna scindat aliquis. Nam si ita iubeatur, omnes ei uidebantur se inuicem aspicere, neminemq; quod iussum esset efficere, atque omnis esse in causa, & neminem ob eam causam neque pudere, neque metuere, quoniam itidem unà multi essent accusandi: ob quæ omnia ipse nominabat illum, cui aliquid imperaret. Et de his quidem rebus Cyrus ita sentiebat. At milites per id temporis cùm cœnassent, & custodias posuissent, & quæ opus erat parassent omnia, somno se dedêre. Sed ubi media nocte cor-

nu signũ est datum, dixisse tq; Cyrus Chrysantæ, ut in uia maneret quæ est ante agmen, egressus est assumptis mini stris suis. Parumq; post temporis Chrysantas affuit, ducens loricatos. Cui cùm Cyrus dedisset itineris duces, ut quietè pergeret iubebat, donec nuncius ueniret: nondum enim omnes erant in itinere. Ipse autem stans in uia, aduenientem deducebat in ordine: ad cunctantem uerò mittebat uocatum. Sed ubi omnes fuerunt in uia, equites ad Chrysantam misit, qui dicerent in uia esse omnis, itaq; ut celerius ageret. Ipse uerò equum quietè immittens ad partem anteriorem, ordines conspicabatur: & quos uideret ordine & cum taciturnitate euntis, ad eos equitans, & interrogabat qui essent, & cùm audisset, eos laudabat. Quòd si quos sentiret tumultuantis, causa huius rei considerata, tumultum sedare enitebatur. Vnum solùm relinquebatur circa nocturnam eius diligentiam, quòd ante omne agmen expeditos pedites haud multos præmittebat, qui & à Chrysanta aspicerentur, & eum ut obedientes aspicerent: & si quo alio modo sentire aliquid possent, Chrysantæ significarent, ubi uiderint tempus esse. Erat etiam unus, qui huic rei præerat, quiq; hos ornabat, & quod alicuius momenti esset significabat: quod autẽ secus foret, nõ dicebat, ne molestus esset. Noctu igitur ita pergebat. Sed ubi dies factus est, Caduforũ equites, quoniã & eorum pedites proficiscebãtur ultimi, apud hos reliquit, quò neq; hi nudi irent equitibus. Aliosuerò iubebat in partem anteriorẽ equitare, quoniã hostes quoq; in parte essent anteriore, quò si quid sibi aduersaretur, occurreret, robur habẽs in ordine, ac pugnaret. Quòd si quid alicubi fugere uideretur, ut expeditissimè insequeretur. Et erant

ei sem

ei semper instructi, si persequi opus esset, & quos persequi oporteret, & quos apud se manere opus esset. Totum autē ordinē solui sinebat nunquā. Cyrus quidem ita exercitum ducebat: neq; ipse uno utebatur loco, sed aliàs aliud agmen circūequitās, aspiciebat, & diligentiā adhibebat, si cuiusquā rei indigerent. Milites igitur Cyri ita pergebant. At ex equitatu Gadatæ, uir quidā ex potentioribus uidens eum ab Assyrio defeciſſe, putauit, si quid hic patere tur, acceptūrū sese ab Assyrio bona eius omnia. Itaq; unū ex his quos fidelißimos habebat, ad Assyriū mittit, iubetq; eunti, si Assyriū exercitū iam in Gadatæ regione offende rit, ut ei diceret, fore ut & Gadatā & qui cum Gadata erant, captiuos faceret, si quidē uellet insidias tendere: iussitq; ut regē faceret certiorē, & quantū uirium Gadatas habebat, & quòd Cyrus nō eum sequebatur, ac uiā ostenderet qua esset inuasurus. Iußit etiam seruis suis, quò maior sibi fides præstaretur, ut & castellum quod ipse habebat in agro Gadatæ, Assyrio traderet, & quæ intus erant: dixitq; se etiam uenturum occiso Gadata, si quidē id posset: sin minus, in posterum cum Assyrio se futurum. Vbi uerò qui ad hæc fuerat constitutus equitans quamcelerrimè poterat, ad Assyrium uenit, ac declarauit quorum causa ueniret, ille his auditis & castellum continuò accepit, & equitatum multū currusq; secum habens, insidias locauit in frequentibus uicis. At Gadatas ut prope hos uicos peruenit, mittit quosdam qui antè explorarent. Sed Assyrius ut nouit exploratores aduētare, soluere ac fugere iubet currus duos aut tris, equitesq; paucos, perinde atque metuerent, pauciq; essent. Quæ ut uiderunt exploratores, & ipsi insequebantur, Gadatæq; significabant: &

ille deceptus totis uiribus insequitur. At Assyrij ut uisum est Gadatam capi posse, surgũt ex insidijs. Quod Gadatæ milites intuentes, ut par erat, fugiebant: illi uerò, ut erat consentaneum, insequebantur. Quo tempore qui Gadatæ insidias intenderat eum percutit, & à letali quidem uulnere aberrat, uerùm cum in humerum ferit ac uulnerat. Quod ubi feciſſet, effugit donec ad inſequentis hoſtes ſe cõtulit. Qui ubi patuiſſet quis eſſet, ſimulq; foret cum Aſſyrijs, alacriter equum dirigens unà cum rege inſequebatur. Hic igitur capti ſunt, uidelicet hi quibus equi erant tardiſſimi, ab ijs qui equis celerrimis utebantur. Sed equites Gadatæ omnes iam preſsi, quoniã profectione eſſent attriti, conſpicantur Cyrum cum agmine aduentantem. Exiſtimandum ſanè eſt eos tanquam ex hyeme in portum libenter atq; iucundè aduehi. At Cyrus primùm quidem miratus eſt. Vt uerò rem nouit, quandiu illi contrà ferebantur, & ipſe contrà in ordine aciem agit. Sed ubi hoſtes re cognita in fugam uerſi ſunt, Cyrus his iußit qui adhoc negocium fuerant inſtructi, ut illos inſequerentur, & ipſe unà cum alijs ſequebatur, ut uſui eſſe exiſtimabat. Tum igitur & currus capti ſunt aliqui cadentibus etiã aurigis, alijs cùm auerterentur, alijs item aliter. Quidam uerò ab equitibus anteuertentibus capti ſunt, occiduntq; cùm alios permultos, tum etiã eum qui Gadatam percuſſerat. Et pedites quidem Aſſyrij qui Gadatæ caſtellum obſidebant, alij in caſtellum cõfugêre, quod à Gadata deficerat, alij anticipantes in urbem quandã, quò & ipſe Aſſyrius unà cum equitibus & curribus diffugerat, conceſſere. Cyrus igitur his geſtis recipit ſe in Gadatæ regionem: cumq; imperaſſet ut habere oporteret circa mancipia,

cipia, continuò pergebat quò Gadatam uiseret, ut haberet ex uulnere. Pergenti autem illi Gadatas occurrit uulnere obligato. Quem Cyrus ut uidit, & lætatus est, & ait: Ego ad te ibam consideraturus ut habes. Ad quẽ Gadatas respondit: Ita ego per deos immortales, ibam te iterũ spectaturus, qualis tandem sis aspectu, qui tali es animo, qui quidem cùm nesciã qua in re egeas mei, neq; hæc mihi actum iri promiseris, neq; à me bene affectus sis priuatim ulla prorsus in re, sed ob id duntaxat, quòd tibi sum uisus prodesse amicis, adeò mihi alacriter auxiliũ tuleris. Equidem nunc quantũ in me est, perij: quantũ autem in te, seruatus sum. Non, per deos immortales, Cyre, si essem qualis sum natus, ac filios genuissem, ipse scio an adeptus essem filium talem erga me. Alios enim noui filios, & hunc præsertim qui nunc est rex Assyriorum, qui maiore iam ægritudine patrem suum afficerit, quàm te nunc potest afficere. Et Cyrus ad hæc ita respondit: Tu me admiraris, qui multò certe maius miraculum reliqueris. Et quid tandem hoc est, inquit Gadatas? Quòd tot, inquit, Persæ erga te studuere, tot Medi, tot Hyrcanij, præsentes omnes, Armenij, & Sacæ, & Cadusij. Atq; Gadatas precatus est: Verùm, ô Iupiter optime maxime, inquit, & his multa bona dij dent, & autori plurima, qui facit ut hi sint huiusmodi. Vt autẽ quos ipse laudas, hosce, Cyre, etiam muneremus, ritè accipe hæc munuscula cuiusmodi dari à me possunt. Simulq; adduxit alia permulta, quò & qui uellet sacrificaret, & omnis exercitus muneraretur pro dignitate eorũ quæ bene gesta essent, & pulcherrimè successissent. At Cadusius, qui postremi agminis erat custos, neque insequendi particeps fuerat, cùm tamen uellet etiam ipse

præclarum aliquid facere, neque communicans, neque Cyro locutus quicquam, discurrit regionem uersus Babylona. Dispersis autem equitibus eius, rex Assyrius ex sua urbe abiens quò perfugerat, unà occurrit habens exercitum ualde instructum. Vt uerò cognouit Caduſios esse solos, eos inuadit, & Caduſiorum principem interficit, alioſq; permultos, captis Caduſiorum quibuſdam equitibus, & præda quam agebant ablata. Atque Assyrius cùm eouſque esset insecutus quò tutum existimasset, reuertitur. Caduſij uerò ad castra euaserunt primi circa crepuſculum. Quam rem ut didicit Cyrus, occurrit Caduſijs, & quem uulneratum uideret, eum ſuſcipiens, ut Gadatam antea, mittebat ut curaretur. Alios uerò recipiebat in tabernacula, curabatq; ut neceſſaria eis forent, aſſumptis Perſis homotimis qui unà illorum haberent curam: in huiuſmodi enim rebus uiri boni non inuiti elaborant. Eratq; perſpicuum eum admodum dolere, ut etiam cùm cœnandi iam tempus esset, & alij cœnarent, Cyrus adhuc unà cum ſeruis & medicis neminem ultro neglectum relinqueret, ſed aut ipſemet intuebatur, aut ſi minus ipſe poſſet, palàm mittebat qui curarent. Et tum quidem ita cubuere. Cùm uerò dies illuxiſſet, continuò ubi proclamasset ut conuenirent, aliorum quidem principes, Caduſios uerò omnis in hunc modum allocutus est: Viri ſocij, humanum est quod aduerſi accidit. Nam quòd homines errent ut homines, nihil puto mirandum esse. Dignum autem est ut ex hoc quod accidit, aliquo fruamur bono, ut ſcilicet copiæ imbecilliores hoſtium uiribus, nunquam diuellantur ab uniuerſo exercitu. Neque hoc à me dicitur, quòd minus oporteat quandoque cum minore etiam parte

parte aliquò ire, si opus sit, quàm nunc Caduſius ierit: ſed ſi quis iuerit re cum eo communicata, qui ſatis ſit ad ferendum auxilium, fieri poteſt ut decipiatur: fieri etiam poteſt, ut is qui remanet, hoſtes deceptos auertat ab his qui egreſſi ſunt: fieri item poteſt, ut præbendo hoſtibus negocia, amicis ſecuritatem afferat: & hoc pacto neque qui ſeorſum ſit aberit, ſed uiribus augebitur. Qui autem aberit & non communicauerit, ubicunque ſit, is nihilo magis differt, quàm ſi ſolus militaret. Verùm pro hac re, ſi deus, inquit, uoluerit, ultionem de hoſtibus non multò poſtea capiemus. Sed cum primùm pranderitis, eò uos agam ubi res geſta eſt, ſimulq; interemptos ſepeliemus, ſimulq; hoſtibus oſtendemus, ubi uiciſſe putant, hìc, ſi deus uoluerit, ijs alios eſſe ſuperiores: & quò ne ipſum quidem locum libenter aſpiciant, ubi ſocios noſtros occidêre. Sin contrà minus exierint, eorum uicos crematabimus, agrumq; uaſtabimus, ne uidentes quæ nobis fecere, afficiantur lætitia, ſed ſua intuentes mala triſtentur. Alij igitur pranſum ite. Vos autem Caduſij primùm abite uobis principem delecturi pro lege ueſtra, qui cum deorum auxilio ac noſtro, ſi qua uobis re opus fuerit, ueſtrûm ſit curam habiturus. Vbi autem elegeritis, pranſiq; fueritis, eum ad me mittite. Et hi quidem hæc egerunt. Cyrus autem ubi exercitum eduxit, in ordinem eum conſtituit quem Caduſij legerant: cui iuſſit ut prope ſe ordinem ageret, quò, inquit, ſi poſſimus uiros audentis rurſus faciamus. Sic igitur pergebant. Cumq; ueniſſent in locum, & ſepeliebant Caduſios, & agrum uaſtabant. Quibus geſtis, abierunt in regionem Gadatæ, rurſus ex hoſtili agro res neceſſarias habentes.

Cumq; cogitasset fore, ut qui ad se defecerant, quoniã essent Babyloni finitimi, malo afficerentur, nisi ipse adesset semper: ita & quoscunq; ex hostibus missos faciebat, ijs iussit Assyrio dicerent, & ipse caduceatorem ad eum hæc dicturum misit, se paratum esse, qui sineret agricolas terram colere, nullaq; iniuria afficeret, si etiã ille uelit sinere agrum colere eos cultores qui ad se defecerant. Atqui tu, inquit, si etiam potes prohibere, paucos quosdam cohibeas. Parum enim est agri horum qui ad me defecerunt. At ego multam tibi regionem coli permittam. In messem autem fructus, si quidem bellum fuerit, ille fructum percipiet qui superior fuerit: sin pax erit, perspicuum est te fu scepturum. Quòd si qui aut ex militibus meis aduersentur tibi, aut ex tuis mihi, de his utriq; ut posßimus ultionẽ capiemus. Hæc ubi caduceatori iußisset, eum misit. At Assyrij his omnibus auditis, & suadebant regi ut hæc concederet, & quamminimùm belli relinqueret: & Assyrius siue, à suis persuasus, siue quòd ipse ita uellet, hæc concesßit. At fœdera percussa sunt, ut operantibus pax esset, armatis uerò bellum. Hæc igitur Cyrus de agricolis peregit. Pasturas uerò pecorum amicis iußit ut haberent, si uellent, ubi ipsi dominabantur: Prædam autem hostium agebant unde possent, quò expeditio iucundior esset socijs: pericula enim eadem erant etiam si res necessarias non caperent. Sed quod alimentum ex hostibus pararetur, iucundiorem præstare militiam uidebatur. At dum Cyrus iam parabatur ut abiret, affuit Gadatas alia dona multa ac uaria ferẽs agensq;, ut ex maxima domo. Agebatq; equos permultos equitibus suis ablatos, quibus fidem non haberet propter insidias. Qui ut appropin-

propinquauit, huiusmodi uerba fecit: O Cyre, hæc ego tibi do hoc tempore, quibus uelim utaris, donec tibi alicui sunt usui. Existimato etiam alia mea omnia esse tua. Nec enim est, nec erit unquam ullus à me genitus, cui domum meam relicturus sim: sed necesse fuerit, ut morienti mecũ genus meum omne nomenq; extinguatur. Et hæc, inquit, Cyre, testor tibi deos immortalis, qui & uident & audiũt omnia, passus sum, cùm neq; iniusti quicquam, neq; aliud turpe neq; dixerim, neq; fecerim. Simulq; hæc dicens collachrymatus est fortunã suam, neq; potuit amplius plura dicere. Quibus auditis, Cyrus commiseratus eius calamitatem, ita loquutus est: Sed equos quidem accipio: tibi enim usui sum futurus, cùm eos beneuolẽtioribus dedero, quàm qui nunc apud te habebãt, ut uidetur. Et ego, quod iampridem cupio, Persicũ equitatũ celerius explebo ad equitum decem millia. Sed alias pecunias tecũ abige, seruatoq; donec uideas me tantũ habere, ut non sim te inferior donãdo. Quòd si pluribus datis abieris, quàm à me acceptis, nescio per deos immortales, quomodo possim non affici pudore. Gadatas ad hæc respondit: Sed hæc ego tibi planè credo: uideo enim ingeniũ tuũ: at uide sim ne idoneus, qui pecunias seruem. Nam donec amici eramus Assyrio, pulcherrima uidebatur esse paterna possessio. Cùm enim maxima urbs Babylon esset in proximo, fruebamur omni utilitate quæ ab urbe maxima capi potest. Quæcũq; uerò domi negocium facessere poterãt, eò profecti, ab his longè aberamus. Nunc uerò quoniã sumus inimici, nõ est obscurũ cùm ipse abieris, futurũ ut & ipsi insidias patiamur, & uniuersa domus. Et, ut mihi uideor intelligere, tristem uitã agitabimus, cũ inimicos omnino & in proximo

habeamus, & eos uideamus quàm nos sumus potẽtioris. Ac dicat fortasse quispiam: Et cur igitur non ita cogitabas prius quàm defeciſſes? Quoniam Cyre, animus meus propter illatam contumeliam mihi, atq; iram meam, non considerabat quod foret maximè tutum: sed hoc semper concipiebat, Num ulciſcar unquam eum, qui & dijs eſt, & hominibus inimicus? qui aßiduè odit, non ſi quis in eum iniurius ſit, ſed ſi quem ſuſpicetur ſeipſo eſſe meliorem? Itaque, ut mea fert opinio, cùm ipſe ſit improbus, utetur omnibus ſeipſo improbioribus. Quòd ſi quis eo melior apparuerit, confide Cyre nihil opus fore ut pugnes aduerſus bonum uirum, ſed ille ad hoc ſatis futurus eſt, quippe qui moliatur perdere ſeipſo meliorem. Mihi tamen mole ſtus eſſe etiam cum improbis poterit, ut arbitror. His Cyrus auditis, exiſtimauit eum loqui minimè negligenda, aitq; continuò: Quid ô Gadata, nónne & mœnia tua ita muniuiſti cuſtodibus, ut ijs tutò poßis uti cùm in ea fueris ingreſſus? & nobiſcum militas, ut ſi dij immortales, quemadmodum nunc, nobiſcum ſint, hic te potius metuat quàm tu illum? Sed quoniam tibi iucundum eſt uidere tuos, hos tecum habens, aut ſi cuius conſuetudine delectaris, in expeditionem proficiſcere mecum: & tu mihi, ut arbitror, eris admodum utilis. Ego autem tibi quibuſcunque in rebus potuero, enitar eſſe uſui. Hæc Gadatas ubi audiuit, & reſpirauit & dixit: Num poßim hæc parare prius quàm tu egrediaris? Volo enim etiam mecum ducere matrem meam. Ita mediusfidius, inquit, parabis. Ego enim differã, donec dixeris pulchrè habere. Quare Gadatas ita digreſſus, cuſtodibus caſtella muniuit unà cum Cyro. Parauit etiã omnia quibuſcunque domus magna bene habetur. Ducebat

bat præterea & ex suis fidos quibus delectabatur, & infidos permultos: coactos alios quidē uxores ducere, alios uerò etiam sorores, quò his ligatos eos detineret. At Cyrus continuò pergebat habens Gadatam secum, qui ostenderet & uias, & aquas, & pabulum, & frumentum, quò posset castrametari in locis abundantißimis. Et cùm pergeret, intuitus Babyloniorū urbem, uidere uisus est uiam qua incedebat, ferè iuxta ipsum murum. Itaq; uocatis Gobrya & Gadata, percunctabatur an esset alia uia, quò nō admodū prope murum agerent. Ad quem respondit Gobryas: Viæ quidem sunt here multæ. Verùm ego existimabam uelle te nunc exercitum agere quamproxime urbem, quò regi quoque ipsi ostenderes, tibi exercitum iam multum esse & pulchrum: quoniam quo tempore minorem habebas, & accessisti ad ipsum murum, & ille nos spectabat, quàm haud multi essemus. Nunc uerò, & si paratus est, quemadmodum pronunciauit se parari quò tecum pugnaret, non sum nescius cùm uiderit tuas uires, fore ut res suæ uideantur maximè imparatæ. Ad quæ Cyrus respondit: Mirari mihi uideris Gobrya, quòd in quo tempore ueni multo cum minore exercitu, adigebam iuxta ipsum murum: nunc uerò cùm maioris habeò copias, agere nolo sub ipsos muros. Sed ne mirare: non enim est idem, adoriri, & præter agere. Nam adoriuntur omnes ita instructi, quò sint optimi ad pugnandum: at abducunt uiri prudentes, quacunque tutißimè, non quacunque celerrimè abeant. Transire necesse est extensis curribus, & longè, sine impedimento eorum qui sarcinas ferunt. Hæc autem omnia tegēda sunt ab armatis militibus, & nusquam huiusmodi homines ostendendi sunt hosti-

bus armis nudi. Itaq; necesse est, dum ita pergunt, constitui quod bellicosum est aduersus debilis & imbecillos. Itaq; si uolunt ex urbe frequentes aliquò impetum facere, ubi manum conseruerint, multò robustius conserant quàm si propius transeunt: & his qui eminus proficiscuntur, longa etiã subsidia sunt. Sed ex urbe exeũtibus, breue est in eos impetum facere qui propè sunt, rursusq; abire. Quòd si transeamus non minus distantes quàm quantùm nunc instructi pergimus, multitudo quidem nos uidebit: uerùm ex armis coruscantibus omnis turba formidabilis uidetur. Quòd si nobis ita euntibus taciti exierint, è multo spacio eos prospicientes minimè imparati offendamur. Quin potius, inquit, ô uiri, ne aggredientur quidem, cùm à muro oporteat procul abire, ni omnino existimarint melioris se esse uniuersa multitudine quàm nos omnis. Formidabilis est enim abscessus. Hæc cùm dixisset, præsentibus est uisus rectè dicere. Ducebatq; Gobryas, quemadmodum Cyrus iusserat. Cumq; agmen præter urbem transiret, Cyrus abscedebat, faciens ualidius semper quod relinqueretur. Vbi uerò ita pergit assiduis diebus, ad confinia uenit Syrorum Medorumq;, unde profectus erat. Quare cùm tria hìc essent Syrorum castella, unũ ipse quod infirmissimum erat adortus, ui cepit: alia uerò duo tum Cyrus terrens, tum Gadatas suadens ut custodes traderẽt, persuasit. Quæ ubi gesta sunt, Cyrus ad Cyaxarem mittit, petijtq; ut ueniret in castra, quò & de castellis quæ capta essent cõsultarent quod opus foret, exercitumq; intuitus de alijs quoq; unà cõsultaret quid uideatur exhinc esse agendum. Quòd si iubeat, dic, inquit, decreuisse me ad illum ire castra metaturum. Nuncius igitur ibat ut hæc nuncia-

nunciaret. Interea Cyrus iußit ut tabernaculũ quod Medi selegerant Cyaxari, quamoptimè pararent cum alio apparatu quem habebant, tum ut mulieres duas agerent in muliebre cœnaculũ tabernaculi, unáq; citharistrias quæ erant Cyaxari electæ. Et hi quidem hæc agebant. Qui autem ad Cyaxarem missus est, cum narrauisset quæ præcepta fuerant, Cyaxares eo audito iudicauit melius esse ut in confinijs maneret exercitus: etenim Persæ uenerant, quos Cyrus accersierat. Erant autem quadraginta millia sagittariorũ scutatorũq;. Quare hos quoq; uidens nocere plurimum regioni Medicæ, existimauit iucundius esse hisce liberari, quàm aliam turbã accipere. Qui uerò ex Perside agebat exercitum, interrogato Cyaxare pro iussu Cyri, si quid ei exercitu opus sit, ubi respondit eius se nõ indigere, eodem die ubi audiuit præsentẽ esse Cyrũ, ad eum perrexit exercitũ agens. At Cyaxares postridie eius diei profectus est unà cum his Medorũ equitibus qui remanserant. Quem Cyrus ut accepit aduenientẽ, acceptis Persarũ equitibus, qui iam multi erant, præsentibusq; Medis, & Armenijs, & Hyrcanijs, & ex alijs socijs, item ijs qui equitatum maximè præstarent, & optimè armati essent, obuius pergit Cyaxari, ostentans exercitũ. At Cyaxares ubi uidit & multos, & pulchros, & bonos unà Cyrũ sequi, secũ uerò & paucos, & parui faciundos famulos, existimauit id sibi esse dedecorosum, quare tristatus est. Vbi uerò Cyrus ex equo descendisset, adissetq; ut eum pro more oscularetur, Cyaxares descendit quidem ab equo, sed auersus est, nec eũ est osculatus, sed palàm lachrymatus est. Itaq; exhinc Cyrus iußit alios surgere atque quiescere. Et apprehensa Cyaxaris dextra, ubi eum abegit extra uiã sub quasdam

palmas, tum Medicum tapeta ei iußit ſubſterni, ubi aßidens ſedenti illi ita loquutus eſt: Dic mihi auuncule per deos immortalis, quid mihi iraſceris? & quid moleſtum uidens ita excandeſcis? Hìc reſpõdit Cyaxares: Quoniam Cyre cùm uideor ex omni hominum memoria natus eſſe, & priſcis maioribus, & patre rege, & ipſe rex eſſe exiſti matus, meipſum intueor humiliter adeò & indignè equitantem, te uerò cum ſamulatu meo alioq; exercitu, & magnum adeſſe & præclarum: quæ ipſa etiam ab hoſtibus pati moleſtum arbitror. Sed multò, ô Iupiter, moleſtius eſt ab his hæc pati, à quibus minimè decebat. Ego enim exiſtimem iucundius eſſe decies in terram demergi, quàm humilem adeò me aſpici, meisq; intueri me eſſe neglectui ac riſui. Non enim hoc ignoro, quòd non tu ſolùm me maior es, ſed mei etiam ſerui ualentiores quàm ego ſim, mihi obuiam eunt: itaq; ſunt inſtructi, ut queãt magis me malo afficere, quàm à me affici. Quæ dicens, multò etiam magis lachrymis tenebatur, adeò ut Cyrum coëgerit implere lachrymis oculos. Qui ubi ſe paulò cõpeſcuit, in hunc modum loquutus eſt: Verùm hæc tu Cyaxares, neque loqueris uera, neq; rectè ſentis, ſi arbitraris mea præſentia Medos paratos eſſe, ut ſatis ſint qui te malo afficiant. Quòd uerò iraſcaris metuasq;, haud miror. Sed an iure an iniuria his ſuccenſeas, hoc præteribo. Scio enim grauiter te laturum, ſi tibi pro his reſpondero. Verùm quòd uir princeps omnibus ſimul ſubditis ſit infeſtus, hoc magnum mihi uidetur erratum. Neceſſe eſt enim qui metui multis eſt, is multos faciat inimicos. Qui uerò omnibus ſimul infeſtus eſt, ijs omnibus concordiã inijcit: quorũ gratia, ne te lateat uolo, me hos ſine me dimittere noluiſſe, quippe

quippe qui metuerem ne quid accideret ob iracundiam, quod nos omnes dolore afficeret. Hæc igitur pro deorum ope me præsente tibi securè habent. Quòd uerò putas à me iniuriam accipere, hoc ipse fero admodum grauiter, si dum pro uiribus operã do, ut bonis quãplurimis amicos afficiam, dein huic rei contraria uidear operari. Enimuero, inquit, non adeò temerè nosipsos accusemus. Sed si fieri potest, perspicuè uideamus quæ sit à me facta iniuria: & eam, quæ inter amicos iustissima est, conditione proponã. Si quod enim malum uidebor in te fecisse, iniuriam fateor. Sin mali nihil fecisse apparuero, nec etiam uoluisse, non item ipse confitebere nullam accepisse à me iniuriam? At necesse, inquit, fuerit. Quòd si liquidò ostendero bona plurima me tibi fecisse, ac facere pro uiribus studuisse, nónne sum dignus magis quem laudes, quàm accuses? Iustum sanè, respondit. Agè igitur, inquit Cyrus, cõsideremus quæ à me gesta sunt singillatim omnia: sic enim patebit maximè, & quod eorum bonum est, & quod malum. Incipiamusq; ab hoc initio, si tibi quoq; habere uidetur satis. Tu enim cùm sentires multos hostis conuenisse, ut aduersus te tuamq; regionem impetũ facerent, continuò misisti & ad Persarum rempub. socios postulans: & priuatim ad me, rogans, studerem ut ego ipse uenirẽ ductor, eorum Persarum qui ad te irẽt. Itaq; ego abs te persuasus ueni, duxiq; ad te uiros, ut fieri potuit, & plurimos, et optimos. Venisti enim, inquit. Hîc igitur mihi primũ dicito, ullám ne iniuriam aduersus te meã, an beneficiũ magis nosti? Perspicuum est, inquit Cyaxares, me ex his rebus esse abs te affectum beneficio. Iam uerò, inquit, postquam uenerunt hostes, eratq; aduersus eos dimicandum, animaduertisti

me hîc usquã aut labori concessisse, aut periculo cuiquam pepercisse? Non, inquit, mehercule. Quid? ubi deorum ope uicimus, hostesq; cessere, nónne rogaui ego te ut communiter eos insequeremur, & communiter ulcisceremur, communiterq; ,si quid præclarum bonumq; contingeret, hoc frueremur? His in rebus posis ne ullius me fraudis ac cusare? Et Cyaxares quidem hac in re silebat. Cyrus autem rursus ita dicebat: Quòd si ad hanc rem libentius taces quàm respondes, hoc sanè mihi dicito: si qua te iniuria affectum existimasti, quòd ubi tibi tutum uisum non est hostes insequi, te quidem passus non sum periculi huius participem fieri, sed ut mihi ex equitibus tuis mitteres, te rogaui. An enim etiam hoc postulans iniustus in te fuerim, præsertim cùm meipsum præstiterim tibi socium, hoc item uelim abs teipso demonstretur. Sed ubi ad hoc quoq; sileret Cyaxares: Quòd si ne ad hoc quidem, inquit, tibi uoluntas est respondere, tu uelim hinc narres, si quam rursus iniuriam intuli, quòd cùm mihi respondisses, quoniam intueris Medos in lætitia, nolle per eius lætitiæ amotionem eos cogere ut irent periclitatum. Si quid item uideor feciisse molestum tibi, quòd neglecta ira post hæc iterum id abs te petij, quòd sciebam neq; tibi detracturum esse quicquam, si mihi dares, neq; facilè Medis quicquã imperari posse: petij enim à te, mihi ut dares, qui sequi scilicet uellent: itaq; hoc à te cõsecutus nihil perfeciissem nisi hos persuasos reddere. Eos igitur adiens induxi, & quos persuasos reddidi, cum hisce profectus sum teipso assentiente. Quòd si hoc accusatione dignũ existimas, ne accipere quidem abs te quod dederis, crimine carebit. Ita ergo profecti sumus. Vbi uerò egressi sumus, quid minus est perspicuũ,

quod

quod gestum à nobis fuerit? Non castra hostiũ capta sunt? Non multi eorũ interempti, qui aduersus te ierunt? Atqui è uiuis etiã inimicis, multis arma ablata sunt, multis equi. Pecunias uerò tuas quæ ab hostibus prius ferebãtur et agebantur, nũc tuos amicos aspicis & agere, & habere, alias quidem tibi, alias uerò sibi ipsis qui sub imperio tuo sunt. Et quod omnium maximũ pulcherrimumq; est, regionem tuam auctam uides, hostium autem diminutã, eorumq; castella facta esse tua: tua uerò quæ prius à Syrorum dominatu tenebantur, nunc cõtrà ad te rediisse. Ex his autẽ rebus si quid mali sit, aut si quid minus boni, discere quidem uelle me haud dixero, sed audire nihil prohibet. Verùm dicito de his rebus ut sentis. Et Cyrus quidem ita loquutus, finem fecit. Ad quæ Cyaxares hæc respondit: Verùm, ô Cyre, si quidem ista quæ tu feciſti honesta sunt, nescio quo modo sit loquendum: hoc tamen scito, inquit, ista quidem esse talia, quæ quò plura uidcantur, eò mihi sunt grauiora. Ego enim mallem regionem tuam maiorem facere meis uiribus, quàm meam intueri hoc pacto amplificatam. Nam ista præclara sunt tibi facienti, at mihi minimè quodammodo honorifica. Ac pecunias ita iucundius mihi uideor quidem tibi dono dare, quàm ita te capere, ut mihi nunc abs te dantur: his enim abs te ditatus, magis etiam sentio quibus reddor pauperior. Ac subditos meos si uideam parua à te affectos iniuria, minus mihi dolendum reor, quàm nunc intuens magna eos à te bona accepisse. Quòd si me existimas hæc inhumaniter cogitare, non in me ista, sed in te uertens, considera omnia qualia uidentur tibi. Quid enim si quis canes, quas ipse alis custodiæ gratia & ipsius tui & tuorum, ita tractet ut eas familia-

rioris reddat sibi ipsi quàm tibi? Num tibi hoc cultu is lætitiam afferat? Quòd si hoc tibi uidetur esse quid parui, illud animo uolutato. Si quis eos qui tibi inseruiũt, quos tu & præsidij & expeditionis gratia comparasti, ita disponat ut illius malint quàm tui esse, num ei gratiam habeas pro hoc beneficio? Quid autem (quod homines maximè & amplectuntur, & curant ut maximè propriũ) si quis uxori tuæ ita morẽ gereret, ut eam faceret sibi magis amicam quàm tibi, num te hoc beneficio lætũ redderet? Longè, ut opinor, secus esset: sed qui hoc faceret, maximè omnium iniurius in te foret. Vt autem dicam, quod meo dolori simillimum est: si quis Persis quos tu duxisti, ita gratificaretur ut eum libentius quàm te sequi uellent, num is tibi amicus uideatur? Puto equidem minimè, sed longè magis hostis, quàm si multos istorum interficeret. Quid uerò si quis amicorum tuorũ, ubi diceres tu benignè, ut capiat quæcunq; libuerit, dein ille his auditis abeat captis omnibus quæ potuerit, atq; is rebus tuis ditetur, cùm tu ne mediocriter quidem uti queas, possis ne probum hunc amicum existimare? Atqui nunc ego Cyre si minus hæc, at his similia pati uideor abs te. Nanque uera abs te dicuntur, cùm ais dixisse me, ut eos duceres qui id uellent. Tu abijsti accepto meo omni exercitu, me autem reliquisti solum. Et hoc tempore quæ cepisti frætus uiribus meis, ea tandem agis ad me, meamq; regionem auges meo cum labore. Ego uerò nullorum bonorũ autor, uideor meipsum præbere tanquã fœmina. Tu uerò tum alijs hominibus, tum subditis hisce meis: nam ipse tu uir uideris, ego uerò ne dignus quidem imperio. Hæc ne tibi beneficia uidentur esse Cyre? Nec enim te præterit, si qua te mei cura tetigisset, cauisses

uisses nulla re ita me priuare, ut autoritate honoreq;. Quid enim mihi prodest si amplificetur regio, cùm ipse reddar inhonoratus? Nec enim idcirco Medis imperabam, quòd ipse omnibus essem melior: sed eò potius, quòd ijdem ipsi nos ducerent omnibus in rebus sese esse melioris. Et Cyrus eo adhuc dicente subdidit: Per deos immortalis auuncule mi, si quid etiam ipse tibi sum prius gratificatus, tu quoque mihi nunc gratificare quæ te rogauero. Desine hoc tempore me accusare. Cùm uerò de nobis periculũ feceris, quomodo erga te habemus, si quidem quæ à me gesta sunt, ea propter utilitatem tuam gesta existimes, & me te amplectentem contrà amplectere, & beneficum arbitrare: si id contrà, tum meipsum accusa. Verùm fortassis, inquit Cyaxares, perpulchrè dicis, & ego ita faciam. Quid igitur? inquit Cyrus, num etiam te osculabor? Si tu uis, inquit. Neque tu me auersaberis ut modo? Non auersabor, inquit. Ac Cyrus eum est osculatus. Quod ut uiderunt & Medi, & Persæ, & alij (omnibus enim erat curæ, quid ex his rebus futurum esset) continuò lætati sunt, & hilaritatẽ præ se tulerunt: Cyrusq; & Cyaxares equis ascensis præcedebant. Et Cyaxarem quidem Medi sequebantur: ita enim Cyrus his innuerat: Cyrum uerò Persæ, & post hosce alij. Vbi uerò uenerunt in castra, statueruntq; Cyaxarem in apparatum tabernaculum, hi quibus fuerat constitutum, necessaria Cyaxari parabant. At Medi, quantũ temporis ante cœnam Cyaxares otiosus erat, ad eum ibant, alij ex se ultro, plurimi uerò à Cyro iussi, agentes munera, alius pulchrum pincernam, alius bonum coquum, alius panis artificem, alius cantorem: hi uerò pocula, illi uestem pulcherrimam. Quisque

uerò ut plurimum aliquid eorum singulare quæ ceperat, ei donabat. Itaq; pœnitebat Cyaxarem quòd neq; Cyrus ab eo esset alienatus, neque Medi minus sibi attenderent quàm antea. Sed ubi fuit cœnandi tempus, Cyrum uocauit Cyaxares, cumq; rogabat, ut diu uideret ipsum unà cœnantem. Ad quem inquit Cyrus: Noli nunc iubere Cyaxares. Nónne uides hosce omnis qui adsunt, à nobis elatos adesse? Nullo modo pulchrè agerem, si his neglectis uoluptati meæ putarer obsequi. Milites uerò dum uidẽtur haberi neglectui, qui boni sunt, longè minus redduntur alacres: at mali, multò ad contumeliam promptiores. Verùm tu præsertim qui longũ iter feceris, iam cœnato: ac si qui te honorant, eos contrà amplectere, & conuiuio excipe, quò etiam familiarius te utantur: at ego abiens, uertar ad quæ dico. Verùm cras manè huc ad ianuas tuas aderunt præcipui, quò unà tecum omnes cõsultemus, quid posthac sit faciundũ. Et ipse præsens hæc de re referto, utrum etiam putes operã dandam rei militari, an sit tempus soluendi iam exercitus. Exhinc Cyaxares cœnabat. At Cyrus his collectis amicis, qui satis & saperent & agerent, si quid opus esset, ita loquutus est: Viri amici, quæ prima optabamus, adsunt deorum benignitate. Quocunq; enim pergamus, regionem uincimus, hostesq; uidemus diminui, nos uerò & pluris & ualidiores fieri. Quòd si hi socij qui additi sunt, uoluerint apud nos manere, multò etiam magis perficere possimus, & si quid ui capere tẽpus sit, et si quid persuadere oporteat. Quò igitur manere quàm plurimis socijs unà placeat, hoc moliri non meum est opus magis quàm etiam uestrum. Sed quemadmodũ quando pugnandum sit, qui plurimos subegerit, hunc opinan-

Oratio Cyri.

tur

tur inuictißimo esse animo: sic item quando consultandum sit, qui plurimos egerit in sententiam nostram, hic iurè ac meritò & eloquentißimus esse iudicetur, & ad res agendas præstantißimus. Ac nolite quidem perinde quasi orationem nobis ostentaturi, qualem ad unumquenque eorum habeatis, hoc meditari, sed quò etiam persuasi à quolibet manifesti sint ex his quæ gerant, ita instruite. Ac uos quidem gerite horum curam. Ego uerò ut milites habentes res necessarias, quantùm equidem ipse præstare queã, de expeditione consultent, enitar diligentiã habere.

XENOPHONTIS CYRI DISCIPLINAE LIBER SEXTVS,

Francisco Philelpho interprete.

HVNC diem cum ita agitassent cœnassentq;, dederunt se quieti: postridie uerò manè uenerunt ad Cyaxaris ianuas socij omnes. Itaq; donec Cyaxares ornabatur, audiens turbam multã esse ad fores, hic amici adducebãt ad Cyrum alij Caduſios, qui eum rogarent ut maneret, alij Hyrcanios, hic autem Sacas, ille etiam Gobryam. At Hyſtaſpas adducebat Gadatam ſpadonem, qui Cyrum ut maneret precabatur. Hic igitur Cyrus ſentiens Gadatam iandiu metu confectum, ne exercitus ſolueretur, arridens inquit: O Gadata, non eſt obſcurum te ab hoc Hyſtaſpa perſuaſum hæc ſentire quæ dicis. Et Gadatas ſublatis ad cœlum manibus iuratus eſt, ſanè ſe minimè ab Hyſtaſpa perſuaſum hæc ſentire. Sed nõ ſum, inquit, neſcius, ſi uos abieritis, fore ut res meæ omnino pe-

reant. Quam obrem cum hoc ego disserebam, sciret ne quæ tibi mens foret de soluēdo exercitu. Ad quem inquit Cyrus: Iniustè igitur hunc ego Hystaspam accuso. Iniustè mediusfidius, Hystaspas inquit, ô Cyre. Ego enim huic Gadatæ tantùm dicebam, duntaxat non fieri posse ut militiæ operam dares, inquiēs te à patre accersi. Et Cyrus: Quid ais? inquit. Et tu es ausus hæc efferre, siue ego uellem, siue non? Ita, inquit, mehercule. Video enim te cupere ut in Persis conspicuus circumeas, patriq; ostentes ut gesseris quæq;. Ad quem Cyrus inquit: Tu uerò non cupis abire domum? Non mehercule, inquit Hystaspas, neque abiturus sum quidem, sed manens me ducem geram, donec hunc ipsum Gadatam Assyrij herum faciam. Et hi quidem hæc inuicem seriò iocabantur. Interim Cyaxares uenerabili ornatus habitu egressus, in solio sedit Medico. Vt uerò conuenerunt omnes quos oportebat, ac silentium factum est, Cyaxares in hunc modum est loquutus: Viri socij, quoniam adsum, ac Cyro sum grandior, par est me dicendi initium facere. Nunc igitur tēpus mihi uidetur esse, ut hac primùm de re dicatur, utrum adhuc militandi tempus uideatur, an soluendi iam exercitus. Dicat igitur aliquis de hac ipsa re sententiam suam. Exhinc primum dixit Hyrcanius: Viri socij, nescio equidem, si quid dicendū sit, ubi res ipsæ quod optimum est demonstrant. Nouimus enim omnes, si unà maneamus, à nobis pluribus malis hostes affici quàm nos ab illis. Cùm uerò separati inuicem fuimus, illi nobis utebantur ut ijs iucundissimum erat, nobis autem molestissimum. Post hunc inquit Cadusius: Nos uerò quid dicamus? qui si domum abeamus, singuli separati futuri simus, ubi ne militantibus quidem cōducit ipsa

sepa-

separatio. Nos quidem qui non multum temporis separati à multitudine nostra rei militari operam indulsimus, pœnam dedimus, ut ipsi nostis. At post hunc Artabazus, qui olim dixerat se consanguineum esse Cyri, ita loquutus est: Ego, Cyaxares, tantum ab his dissentio qui antea dixerunt. Hi enim aiunt adhuc manere oportere cum exercitu: at ego dico, quòd domi cùm essem, tum rem militarem exercebam. Etenim ferebam auxilium sæpe cùm res nostræ agerentur, & de nostris castellis ut insidijs circumuentis persæpe negocia habebam, cùm & metuerem, & præsidium agitarem: & hæc gerebam proprijs sumptibus. At nunc illorum habeo castella, & illis metui sum, dapibus illorum utor, ac bibo hostium uina. Tanquam igitur res domesticæ sint exercitus, hæ uerò festiuitas, mihi quidem uidetur soluendum esse hunc conuentum. Gobryas post hunc ait: Ego, uiri socij, huc quidem usq; laudo Cyri dextram: eorum enim nihil mentitur quæ promisit. Quòd si abibit ex regione, Assyrius uidelicet requiescet iniuriarum pœnas non luens, quibus & uos uoluit, & me affecit. Ego autẽ ea in parte iterum dabo pœnam, quòd in uestram ueneram amicitiam. Post hos autem omnes inquit Cyrus: O uiri, neque me latet futurum ubi soluamus exercitum, ut res nostræ reddantur imbecilliores, hostium uerò rursus augeantur. Ii enim omnes quibus arma sunt ablata, celeriter alia sunt facturi. Quicunq; equis priuati sunt, quamprimum rursus alios comparabunt: & pro interemptis alij pubescent, ac nascentur. Itaq; nihil mirabile fuerit, si celeriter admodum nobis sint negocia præbituri. Quid igitur iussi ego Cyaxari, ut uerbum inijceret de soluendo exercitu? Nempe,

quoniam quod futurum esset metuebam. Video enim aduersarios aduentare, aduersus quos si hîc castrametabimur, pugnare minimè poterimus: aduentat enim iam hyems. Tecta uerò si etiã sunt nobisipsis, at minimè sunt mediusfidius neq; equis, neq; famulis, neque militum plebi, sine quibus nos haud possimus militiæ operam dare. Necessaria uerò, quem in locum ipsi uenimus, à nobis consumpta sunt: quò uerò non uenimus, ea metu nostri conuexerunt in loca munita. Itaq; illi habent, nos uerò hæc capere haud possumus. Quis igitur est adeò fortis, aut quis ita ualidus, ut possit aduersus famem ac frigus militando pugnare? Quare si hoc pacto militiã exercebimus, ego affirmo oportere nos ultro soluere exercitũ potius, quàm inuitos ob difficultatem expelli. Quòd si uolumus adhuc esse in exercitu, hoc ego dico adhuc quamcelerrimè esse faciundum, ut ipsi quamprimũ munitiones quàm plurimas illorũ capiamus, ac nobisipsis eadem faciamus quamplurimas. Quæ si fiãt, res necessarias habituri sunt, utri pluris queant capiendo congerere: obsidebunt ui autem, utri fuerint inferiores. Nunc autẽ nihilo præstamus in pelago nauigantibus. Etenim illi cùm semper nauigãt, nihilo magis propriũ relinquunt quòd nauigarũt, quàm quòd nondum nauigarunt. Quòd si castella habuerimus, hæc hostibus agrum alienabunt, nobis uerò tranquilla omnia magis erunt. Quòd si fortassis aliqui uestrûm metuerint, ubi opus fuerit procul à sua regione præsidium agitare, neq; hoc uerebimini. Nos enim Persæ postquam domo absumus, custodienda suscipiemus ea castella, quæ sunt hostibus proxima: uos autem quæ uobis & Assyrijs finitima sunt, ea possidete & colite. Si enim ipsi tenentes

præsi-

præsidijs quæ illis propinqua sunt, ea colere possimus, in multa pace uos eritis, qui ea quæ procul ab ipsis sunt, habetis. Non enim poterunt, ut existimo, malis ijs neglectis quæ sunt in proximo, uobis quos remotos habebunt insidiari. Quæ quidem ut dicta sunt, & alij omnes surgentes dixerunt, hæc se malle, et item Cyaxares. Gadatas uerò & Gobryas uterque dixere, castella se munituros muro, ubi socij assentiantur, ut hæc quoque amica sint socijs. Cyrus igitur postquam uidit omnes impigrè acturos quæcunque dixisset, postremo ait: Si ergo perficere uolumus quæcunque dicimus esse faciunda, opus sit ut quamprimum machinas habeamus ad demoliendos hostium muros, fabros q; ad munimenta nostra turribus cingenda. Ex hinc pollicitus est Cyaxares machinam se præbiturum, & Gadatas aliam, & aliam Gobryas, ac Tigranes item aliam. Ipse autem Cyrus dixit, enixurum sese duas facere machinas. Vbi hæc decreta sunt, præbuerunt machinarum fabros. Parabantur autem singuli ad machinas, ut opus erat, uiros q; præfecerũt qui uidebantur maximè ad hæc esse idonei. Ac Cyrus postquam cognouit circa hæc esse cunctandum, eo in loco est castrametatus, quem putauit & saluberrimum esse, ac maximè accessibilem ad quæcunq; sunt aduehenda. Et omnia quæ ad munitionem opus erant effecta reddidit, quò manerent in tuto semper, si quando ulterius cum uiribus exercitum ducerent. Ad hæc interrogatis quos maximè arbitrabatur regionis habere notitiam, unde quamplurimam utilitatem exercitus caperet, educebat semper in loca pastionibus referta, tum ut plurima necessaria exercitus caperet, tum etiam quò magis & bene ualerent, & robusti essent itineribus

laborantes, tum præterea quò in itineribus ordines admonerent. Cyrus igitur in his erat. At ex Babylone transfugæ & captiui hæc dicebant, quòd Assyrius uenisset in Lydiam, talenta multa secum agens auri & argenti, aliasq; diuitias, multiplicemq; ornatum. Itaq; turba militum dicebat illum iam pecunias colligere propter metũ. Cyrus uerò intelligens eum iuisse, ut constitueret si quid posset aduersus se, contrà ipse magno cum robore parabatur, perinde atq; pugnandum etiam esset. Cumq; explesset Persarum equitatũ, alijs ex captiuis, alijs quibusdam ab amicis quoq; acceptis equis (hæc enim & admittebat ab hominibus; & renuebat nihil, neq; si arma dedisset quis pulchra, neq; si equum) parabat etiam currus & ex captiuis curribus, & aliunde undecũq; poterat: & Troianas quadrigas quas antea habuissent, & qua Cyrenaica utuntur etiam nunc, currulem agitationem soluit. Superiore enim tempore & Medi, & Syri, & Arabes, & Asiatici omnes curribus ita utebantur, ut nunc Cyrenaici. Visum est ei quod in exercitu præstantissimum esset, consentaneum fòret, cùm optimi quiq; essent in curribus, id uelitum uicem præbere, & ad uincendum non multum habere momenti. Currus enim trecenti præbent pugnantis quidem trecentos, equis autem hi utuntur mille ac du centis. Aurigæ uerò hi sunt, ut ueri simile est, quibus optimates maximè fidem habent. Ii uerò sunt alij ad trecentos, qui nihil prorsus hosti nocent. Hos igitur sessilis currus sustulit. Pro his uerò ad bellandum aptos parauit currus & ualidis rotis, quò non facile contererentur, & longis axibus: minus enim euertuntur lata omnia. Sellam uerò fecit aurigis, sicuti turrem, ex ualidis lignis. Harum

uerò

uerò currulium ſellarum altitudo eſt ad cubitos quinque, quò poßint equi ab aurigis gubernari ſuper ſellas. At aurigas loricis totos armauit, exceptis oculis. Appoſuit etiã falces ferreas duarum ulnarum longitudine ad axes, ex altera atq; altera rotarũ parte, & alias infra ſub axem reſpicientis in terrã, tanquam impetum in aduerſarios curribus facturi eſſent. Vt hoſce Cyrus tum parauit, ita etiam hoc tempore utuntur curribus, qui in regis ſunt regione. Inſuper erant ei cameli permultæ collectæ ab amicis, & quæcunq; fuerant captæ. Et hæc ita quidem effecta ſunt. Cùm autem uellet exploratorẽ mittere in Lydiæ regionẽ, fieriq; certior quid Aſſyrius ageret, uiſus Araſpas eſt idoneus qui ad hanc rem mitteretur: is inquam Araſpas, qui pulchram illam mulierẽ cuſtodiebat. Talia enim Araſpæ acciderant: captus amore mulieris coactus eſt ei uerba facere de concubitu. Hæc autem negauit quidem, eratq; fidelis uiro ſuo, quanquam abſenti: cum enim amabat uchemẽter: neq; tamen Araſpam accuſauit apud Cyrũ, uerita certamẽ inijcere inter uiros amicos. Sed cùm Araſpas existimans in ſeruitutem ire, ſi non conſequeretur quod uolebat, minatus eſt mulieri, ſeſe facturum quæ uellet, ea inuita, ſi ultrò ipſa nollet. Exhinc mulier ut uim metuit, non amplius rem clàm habet, ſed ſpadonẽ ſuum mittit ad Cyrum, iuſſum ut ei narraret omnia. Quod audiens Cyrus, cùm plurimũ riſiſſet propter eum qui diceret ſe amore eſſe ſuperiorẽ, mittit Artabazum unà cum ſpadone, cui iubet ei ut dicat, ut uim afferre caueret eiuſmodi mulieri: uerũ ſi poſſet perſuadere, ſe illi nõ eſſe impedimẽto. Artabazus uerò ad Araſpam ut uenit, cõuicio in eum eſt uſus, cùm & depoſitum nominaret mulierem, & eius impie-

tatem diceret, & iniuriam, & incontinentiam, adeò ut Araſpas et præ dolore multùm collachrymaret, & ob pudorem cõfunderetur, ac ueluti ob metum periret, ne quid etiam aliud à Cyro pateretur. At Cyrus poſteaquam hæc didicit, eo ad ſe uocato, ſolus cum ſolo dixit: Video te Araſpa & metuere me, & maximo pudore detineri. Quieſce igitur ab his: ego enim ſcio & deos ab amore eſſe ſuperatos, & homines qui prudentiſsimi eſſe uiderentur, qualia ab amore paſsi ſunt: & ipſe intellexi, ſi cum pulchris uerſarer, ea non poſſe negligere. Præterea ego tibi huius rei autor ſum: nam ego te cum iſta inexpugnabili re concluſi. Atq; Araſpas ſubdidit: Et in his ſimilis es tu Cyre, quem admodum in alijs rebus, qui & manſuetus ſis, & humanis peccatis ignoſcas: me autem alij etiam homines demergunt ſolicitudine. Vt enim rumor meæ calamitatis apud omnes increbruit, mei inimici de me gratulantur ſibi, amici uerò adeuntes conſulunt, ut me è medio ſubducam, ne quid etiam abs te patiar, ut quòd iniuſtiſsimus fuerim. Et Cyrus ait: Bene igitur noueris Araſpa, quòd hac opinione potes uehementer gratificari mihi, ac ſocijs prodeſſe plurimum. Vtinam fiat, inquit Araſpas, ut ego tibi opportunè rurſus ſim uſui. Igitur, inquit Cyrus, ſi ſimulans à me fugere, uelis ad hoſtes ire, puto fore ut fidem apud illos inuenias. Ego ſanè mediusfidius, inquit Araſpas, puto etiam amicos ita de me locuturos, quaſi à te aufugerim. Venias igitur, inquit, ad nos cognitis hoſtium rebus omnibus: puto autem eos tecum propter fidem communicaturos & uerba & conſilia. Itaque eorum nihil te latebit, quæ uolumus noſſe. Pergam igitur nunc, inquit Araſpas. Etenim ſcito hoc fore unum fidei argumentum

tum quòd uidear effugisse, quoniã essem à te aliquid passurus. Num, inquit, poteris deserere pulchram Pantheam? Duos, inquit, Cyre, dilucidè animos habeo. Nunc ego philosophatus sum cum iniusto sophista amore. Non enim qui unus sit, simul & bonus est & malus, neque simul & honestorum & turpium operum amore capitur, atq; hæc simul uult agere & non uult: sed perspicuum est, animos esse duos: quãdo bonus dominetur, res agit honestas, quando autem improbus, res turpis aggreditur. Nunc uerò quia te socium cepit, bonus animus dominatur, & id admodum quidem. Si igitur tibi quoq; eundum uidetur, inquit Cyrus, sic faciundum est, quò etiam illis credaris magis. Enuncia eis quæ à nobis geruntur, & ita enuncia, ut quæ ijs dixeris, impediant maximè quæ uolunt agere. Impedient autem si nos dicas parari, ut illorum agrum adoriamur. Hæc enim audientes, minus congregentur omnibus uiribus, quisque enim metuat suis rebus domesticis. Manéq; apud illos plurimum temporis. Quæcunq; enim faciant, ubi sint maximè prope nos, hæc nos scire maximè oportebit. Consule etiam his ut instruantur, ubicunq; uideatur esse optimum. Quando enim tu abieris arbitratus eorum ordinem nosse, necessariũ fuerit ita eos instructos esse, ordinem enim mutare uerebuntur: quòd sicubi uel aliter ordinem mutabunt, ex recenti ordine turbabũtur. Araspas igitur ita egressus cùm accepisset fidelissimos famulos, dixisset q; ad quosdam quæ negocio existimabat cõducere, abijt. At Panthea ut sensit Araspan abisse, misit ad Cyrum dicens: Noli Cyre tristari propter Araspæ ad hostes abitionem. Nam si me sineris mittere ad uirum meum, ego tibi spondeo illum uenturum multò quàm Araspan

Amor, iniustus sophista.

amicum fideliorem: scioq; futurum ut adsit tibi cum quantis poterit uiribus. Etenim pater præsentis regis eum amabat. Sed qui nunc regnat, aggressus etiam olim est inter me ac uirum diuortium facere. Quare cùm existimet eum sibi esse contumeliæ, nõ sum nescia, fore ut libẽter sese ad uirum recipiat qualis tu es. Quibus auditis Cyrus, ut ad uirum mitteret iubebat. Illa autem misit. At Abradatas ut signa ab uxore cognouit, & alia didicit ut habebant, libenter pergit ad Cyrum, equos habens circiter mille. Vt autem uenit ad Persarum speculatores, ad Cyrum mittit, qui ferret enarrans. Cyrus autem iubet eum continuò duci ad uxorem. Vt uerò uxor atque Abradatas uir inuicem se uidere, sese mutuò sunt complexi, ut ueri simile est, ex insperato. Exhinc narrat Panthea religionem Cyri, & temperantiam, & commiserationem erga ipsam. Quæ audiens Abradatas, ait: Quid igitur ego Panthea sim facturus, quò Cyro & pro te, & pro meipso gratiam referam? Quid aliud, inquit Panthea, quàm ut enitaris similis esse erga illum, qualis est ille erga te? Exhinc uenit ad Cyrum Abradatas, quem ut uidit, dextra apprehensa inquit: Pro quibus nos Cyre beneficijs affecisti, non habeo quod sim maius dicturus, quàm quòd tibi meipsum amicum do & famulum & socium: & quibuscunq; rebus te uideo studere, in his adiutor tibi enitar esse, quantùm præstari à me queat, optimus. Ad quem respondit Cyrus: Ego uerò te admitto, & nunc te dimitto unà cum uxore ut cœnes: rursus item opus erit ut meo utaris tabernaculo, unà cum tuis meisq; amicis. Exhinc uidens Abradatas Cyrum studere circa falcatos currus, & circa cataphractos, & equos, & equites, enitebatur ei perficere ad cen-

tum

tum currus ex equitatu suo, illius similes curribus: & ipse ut eorum ductor parabatur in curru. Coniugauit autem currum suum quatuor temonibus, & equis octo. At Panthea eius uxor ex pecunijs suis fecit ei aureum thoraca, et cassidem auream, ac item brachialia, currus autem equos æreis omnibus tegumentis instruxit. Et Abradatas quidē hæc gerebat. At Cyrus intuitus eius currum cum quatuor temonibus, cogitauit fieri posse ut etiam cum temonibus octo currus instrueretur, ut cum octo boum paribus ageretur inferius domicilium machinarum. Erat autem hic sublatus tris ulnas maximè à terra unà cum rotis. Tales autem turres unà cum ordine sequentis, arbitrabatur magno auxilio fore phalangi suæ, magno etiam detrimento hostium ordini. Fecit etiā in huiusmodi domicilijs & ambitus uiarum & pinnas, imposuitq; in quamlibet turrim uiros uiginti. Vbi uerò cōstituit omnia quæ ad turris pertinebant, cēpit agendi experiētiam, & multò facilius agebant octo boum paria turrim, & uiros qui erant in turri, quàm pondus impedimentorū singula boum paria. Nam uasorum pondus erat singulis boum paribus circiter quinque & uiginti talenta. Turris uerò pondus erat quemadmodum tragici tabulati, crassitudinis lignorum octo, ac uirorum uiginti armorumq; : harum turrium fuit minus quàm quinq; & decem talenta cuiq; pari boum uectura. Vt autem nouit facilem esse uectionem, parabatur perinde ac ducturus eas turris unà cum agmine, existimans in bello parsimoniam esse simul & salutem, & iustitiā, & felicitatem. Per id uerò temporis uenere qui ab Indo pecunias ferrent, eiq; nunciarent, regem Indorū huiusmodi uerba significare: Mihi Cyre uoluptas est, quòd ea quorū

indigebas, mihi nunciaueris: uoloq; tibi hospes esse, mittoq; tibi pecunias, siq; alijs eges, accerse. Iussi etiam meis, ut quicquid iubeas, faciāt. Quæ Cyrus audiens: Iubeo igitur uobis, ut alij uestrùm hic maneatis in tabernaculo ad custodiendas pecunias, & uiuendū quamsuauissimè: tres uerò mea causa concedatis ad hostes, tanquam ab Indo, de ineunda societate. Cumq; illic didiceritis, quicquid dicant & faciant, quamcelerrimè & mihi & Indo renunciate. Quibus in rebus si pulchrè mihi obsequium præstiteritis, etiam magis ob hanc rem sum uobis gratiam habiturus, q̄ quòd pecuniam attuleritis. Etenim exploratores seruorū similes, aliud nihil quod sciant possunt renunciare, quàm quæcunq; nouerint omnes: at uiri quales uos estis, etiam consilia sæpe discunt. Quæ Indi libenter cùm audissent, essentq; hospitio accepti tum apud Cyrū, instructi postridie profecti sunt, pollicentes sanè cùm didicerint quæcūq; quiuerint plurima ex hostibus, uenturos se quàm poterunt celerrimè. At Cyrus tum alijs rebus paratis ad bellū magnificè quodammodo, ut erat uir qui nihil parui gerere cogitaret, tum non solùm ea curabat quæ socij consuissent, sed contentionem etiam inter amicos inuicem ingessit, ut singillatim ipsi apparerent & pulcherrimè armati, & equis ornatissimi, & iaculis sagittisq; munitissimi, ꝫmaximeq; industrij. Hæc autē operatus est, ad uenationē educens, honoransq; singillatim uiros fortissimos. Et principes, quos diligentis uideret circa hanc rem quò eorū milites optimi forent, hos etiā laudans ac muneribus donans quibus poterat, incitabat. Quòd si quando sacrum faceret, atq; ageret festum diem, etiam in hoc ipso quæcunque homines meditantur ad bellandum, horum omnium ludos faciebat,

faciebat, præmiaq; uincentibus munificentissimè dabat, eratq; in exercitu multa alacritas. Erant autē Cyro iam ferè effecta omnia, quæ militiæ habere uellet, præter machinas. Etenim Persæ equites iam implebant ad decē millia, & currus falcati quos & ipse parauerat, implebant iam ad centū. Quosq; Abradatas Susius parare aggressus est similes Cyri curribus, & hi absoluti erant ad alios centum: & currus Medici, quos Cyrus in hunc modū ut mutando formaret Cyaxari persuaserat, ex Troica & Libyca quadrigarum forma, implebant & hi circiter alios centum. Atque super camelos constituti erant uiri bini in unamquamq; sagittarij. Et quamplurima exercitus pars hac erat mente, tanquam omnino iam uicisset, essentq; res hostium nihil. At ubi ita illis affectis, uenerunt Indi ex hostibus quos miserat Cyrus speculandi gratia, ac dixerunt Crœsum imperatorem ducemq; lectum esse uniuersorum hostium: quodq; decretum esset regibus socijs omnibus, ut omnes cum totis uiribus adessent, inferreq; pecunias admodum multas. Has autem perficere, & mercede conducere quos possent, & donare quibus opus esset: iamq; mercede conductos esse permultos, ex Thracibus quidem gladijs armatos. Adnauigare præterea Aegyptios, quorum numerum dicerēt circiter centum uiginti millia, unà cum scutis ad pedes tendentibus, atq; magnis hastis quas etiam nunc habent & mucronibus. Insuper Cypriorum exercitum adnauigare, iamq; adesse omnis Cilicas, & utrosque Phrygas, & Lycaonas, & Paphlagonas, & Cappadocas, & Phœnicas, & unà cum Babylonis principe Assyrios. Ionasq; & Aeoles, atq; omnis ferè Græcos Asiæ incolas, unà cum Crœso sequi coactos esse, mississeq; Crœsum etiā

ad Lacedæmonios de ſocietate. Cogi autem exercitum circa Pactolum fluuium, eoſq; proceſſuros in Thymbraiam, ubi etiam nunc conuentus eſt barbarorum habitantiũ inferiorem Syriã, qui ſunt ſub rege, omnibuſq; iuſſum eſſe huc portare commeatum. Quæ eadem ferè dicebant etiam captiui. Curabat enim hoc item Cyrus, ut hi caperentur, ex quibus diſcere quicquam poſſet: mittebat etiam ſpeculatores ſeruis ſimiles tanquam transfugas. Vt igitur exercitus Cyri hæc audiuit, ſolicitus eſſe cœpit, ut erat conſentaneum, incedebantq; omnes maiore cum ſilentio quàm conſueuerant, neq; uidebantur admodum hilares, ſed triſtes potius. Erantq; plena omnia ſeſe interrogantium inuicem de omnibus rebus, atq; diſſerentium. At Cyrus ut ſenſit metum per exercitum diſcurrentem, tum agminũ principes conuocat, tum etiam omnes quorumcunq; ubi minus fiderent, detrimentum aliquod eſſe uidebatur, ac item utilitas, ubi alacri forent animo: pronunciauitq; miniſtris, ſi quis etiam alius ex militibus adeſſe uellet, quæ loqueretur auditurus, cum ne arcerent. Vbi autem conueniſſent, ita eſt loquutus: Viri ſocij, ego uos conuocaui, quo niam uidiſſem ueſtrum quoſdã, poſtaquam nuncij ex hoſtibus ſunt allati, admodum ſimilis eſſe hominibus his qui metuant. Videtur enim mihi mirandũ eſſe, ſi quis ueſtrum idcirco timet, quoniam coguntur hoſtes. Quòd autem nos multò plures congregati nunc ſumus, quàm quo tempore illos uicimus, multò etiam melior pro diuina benignitate nunc exercitus nobis eſt quàm antea, hæc uos uidentes nõ eſſe bono animo. O per deos immortalis, quid tãdem faceretis, qui hoc tẽpore formidatis, ſi qui nunciarẽt, quæ nũc apud nos ſunt, hæc nobis aduerſa aduentare? Ac primùm audire-

Oratio Cyri.

audiretis, quòd qui prius nos uicissent, hi ueniunt rursus cæ in animis habentes uictoriã, quam olim essent adepti. Dein, quòd qui tum sagittarij iaculatoresq; arces excidissent, hi nunc ueniũt, alijq; his similes multò plures. Dein, quemadmodum hi armati peditibus tum uicere, nunc ita & eorum equites instructi aduersus equites aduentãt, & arcubus iaculisq; contemptis, uno ualido quisque accepto pilo adequitare cogitat, ut cominus præliaturus. Præterea ueniunt currus, qui nõ ita statuentur ut antea cõuersi tanquam in fugam, sed equi quoq; qui sunt ad currus armantur loricis, & aurigæ in turribus stant ligneis, quibus eminentia omnia loricis sunt cassidibusq; armata, atq; falces ferreæ axibus sunt accommodatæ, ut hi quoque impetum faciant continuò in aduersariorum ordines. Præterea cameli sunt inter eos in quibus adoriuntur, quarum quanq; ne centeni quidem equi uisu sustineãt. Insuper turres agunt, à quibus suis auxilium ferent: uos autem iaciendo impedient pugnare ex æquo loco. Si quis igitur nunciaret uobis hæc esse in hostibus, qui nunc metuitis, quid essetis facturi, quando allatis nuncijs, quòd Crœsus lectus sit hostium dux, qui eò est Syris ignauior, quò Syri quidem pugna uicti fugerũt? At Crœsus cùm eos uictos uidisset, pro ope ferenda socijs, in fugam est uersus. Dein etiam nunciatur hostes ipsos, quoniam non ducant sese satis esse qui nobiscum pugnent, alios mercede conducere, tanquam pro se melius pugnaturos quàm ipsi sint. Hæc quidem si quibus uidentur esse formidabilia, nostra autem contemnenda, hos ego affirmo, ô uiri, mittendos esse ad aduersarios: longè enim magis nobis apud illos si fuerint, quãm præsentes sint profuturi. Quæ Cy-

Chrysantæ oratio.

rus ubi dixisset, Chrysantas Perses surrexit, qui in hunc modum locutus est: Ne te Cyre miratio capiat, si qui nuncijs auditis tristi facie uisi sunt. Non enim quod metuerint ita sunt affecti, sed grauiter ferẽtes, quemadmodũ si quibusdam uolentibus existimãtibusq; iam pransum ire, opus aliquod enuncietur, quod necesse sit ante prandium efficere, nemo, mea sententia, hæc audiẽs lætaretur: ita etiam nos arbitrantes fore iam ut ditemur, ubi audiuimus esse reliquum opus quod efficere nos oporteat, facie turbati sumus, haud id quidem quòd metuamus, sed quòd iam etiam factum hoc uelimus. Enimuero postæaquam non de Syria solùm certabimus, ubi triticum est multum, & pecudes, palmæq; fructiferæ: uerùm de Lydia quoque, ubi multum est uinum, multæ fici, multum oleum, mareq; alluit per quod plura aduehũtur, quàm quotquot quisquam est bona intuitus: hæc nos cogitantes non amplius grauiter feremus, sed audemus quam celerrimè, quò celerius his quoq; Lydijs fruamur bonis. Chrysantas quidem locutus est: socij uerò omnes eo sermone delectati sunt, eumq; laudarunt. Atqui, inquit Cyrus, mihi uidetur ô uiri fortissimi, esse aduersus eos quamcelerrimè eundũ, quò illos euntes anteuertamus, si fieri possit, ubi necessaria colligunt. Deinquò celerius iuerimus, eò pauciora adesse illis inueniemus, abesse autem plura. Equidem ita dico: quòd si quis aliter sentit, aut tutius esse, aut facilius nobis, sanè doceat. Sed postæaquam multi comprobauere, quamprimum pergere oportere aduersus hostes, nemoq; cõtradiceret, hinc

Cyri concio.

Cyrus huiusmodi uerba facere est aggressus: Viri socij, animi quidem corporaq; & arma, quibus utendum sit, iamdiu nobis diuina ope parata sunt. Nunc uerò necessaria

ria ad iter sunt paranda, tum nobisipsis, tum etiã quibuscunq; utimur quadrupedibus, nec ea minus quàm dierum uiginti. Ego enim mecum ipse supputans, inuenio pluriũ quàm quindecim dierum iter fore, quo quidem itinere rerum necessariarum inuenturi nihil sumus. Sublata enim sunt partim à nobis, partim ab hostibus quæcunq; potuerunt. Parandum est igitur satis cibi, nam sine cibo neq; pugnare, nec uincere possimus. Vini autem tantum cuiq; est habendũ, quantum satis futurũ sit ad assuefaciẽdos nos aquam bibere: multũ enim erit itineris quod uino caret, ad quod ipsum neq; si admodum uini multũ parauerimus, satis futurum est. Ne igitur, si repentè uino caruerimus, incidamus in morbos, ita faciundum est: Inter uescendũ incipiamus continuò aquam bibere, hoc enim iam facientes, non admodũ mutabimur. Etenim qui farinæ utitur cibo, uescitur semper massa aquæ mista: & qui panis utitur cibo, uescitur pane aquà irrigato: & elixa omnia cum aqua plurima sunt parata. Post panificiũ autẽ si uinum nõ addimus potui, nihilo deterius habens animus quiesset. Dein uerò post cœnam quoq; oportet uinũ tollere, donec didicerimus fieri aquæ bibi. Nam mutatio quæ fit paulatim, efficit ut omnis natura mutationes ferat. Docet præterea deus ipse, qui paulatim nos deducit ex hyeme ad uehementis æstus tolerandos, ex æstu in hycmẽ uehementem: quem imitantes, ad quod eundum est, assuefacti antea ire nos debemus. Atq; stratorum pondus in res necessarias consumite: necessaria enim si supersint, haud erũt inutilia. Stratorum autem indigentes, ne meluite quò minus libenter sitis dormituri: sin secus fuerit, me accusate. Vestis enim cui sit abundantior, plurimo auxilio est & ei qui bene uã

Mutatio subita periculosa.

let, & ei qui ægrotat. Obsonia uerò parare oportet, quæcunque acuta sunt plurimum, & mordacia & salsa: hæc enim & agunt ad cibum, & diutißimè sufficiunt. Cùm uerò exceſſerimus in loca integra ac salubria, ubi ueriſimile ſit iam nos frumentum capere, inde piſtrinos parate quibus cibum faciamus: hoc enim eorum quibus ſit cibus, leuißimum eſt inſtrumentum. Parata etiam unà ſint ea, quibus ægroti homines egent: horum enim cumulus minimus eſt. Quòd ſi talis fortuna ſit, ijs maximè opus erit. Habenda etiam ſunt cingula ac lora: plurima enim et hominibus & equis hiſce perficiuntur: quibus attritis ac fractis, neceſſe eſt ociari, niſi quis habeat cingula. Qui uerò didicit pilum polire, bonum eſt ne dolabræ obliuiſcatur, bonum etiam ut limam ferat. Acuens enim lanceam, animũ quoque quodammodo exacuit: additur enim quidam pudor, eum timidum eſſe, qui lanceam acuit. Habenda ſunt præterea ligna quamplurima, & in curribus & in plauſtris: nam in actionibus multis, multa itẽ ſint neceſſe eſt, quæ deſunt. Habenda ſunt præterea inſtrumenta maximè neceſſaria ad hæc omnia: non enim ubique opifices ſunt. Quod autem in diem ſit ſatis, pauci quidam ad id faciundum ſufficiunt. Habendum etiam eſt ſarculum & bidens in quolibet plauſtro. Sunt etiam in iumentis bipennes falcesq; habendæ: hæc enim cuiq; etiam priuatim uſui ſunt, & publicè ſæpe utilitatem afferunt. Et quæcunq; ad alimentũ neceſſaria ſunt, uos militum duces exquirite ab ijs quibus præeſtis. Non enim prætereundum eſt, cui aliquid horum ſit opus: nos enim horum indigebimus. Quæcunque uerò iumentis iubeo habẽda, uos qui his præeſtis qui ferunt impedimenta, exquirite: & qui ijs caruerit, cogite

ut

ut paret. Vos item qui præestis itinerũ ducibus, habetote descriptos à me eos, qui reprobati sunt & ex iaculatoribus, & ex sagittarijs, & ex funditoribus. Hi qui ex iaculatoribus sunt, cum securi lignatoria cogendi sunt militare: sagittarij uerò cum bidente, ac funditores cum sarculo. Hi uerò hæc habentes ante plaustra, secundùm alas debent proficisci, quò si quid opus sit ad faciundum uiam, continuò eatis ad operandum. Et ego si quare egeam, ut uideam unde oporteat & capere hæc, & uti. Ducam etiam eos qui sunt in militari ætate cum instrumentis, ærarios fabros, cerdones, quò nihil desit, si quid talium artium in expeditione opus sit. hi uerò soluentur ab ordine armigero. Quæ autem sciunt, mercede ei ministrantes qui uelit, erunt in constituto loco. Quòd si quis etiam mercator sequi uelit aliquid uenditurus, habeat res necessarias antedictorum dierum. Quòd si deprehendatur aliquid uendere, priuabitur rebus omnibus: ubi uerò hi dies præterierint, uendat pro uoluntate. Quicunq; præterea mercator plurimum commeatum attulerit, hic & à socijs & à me dona honoremq; consequetur. Si quis uerò putat ob mercaturam pecunijs pluribus egere, hic adductis qui sui & notitiam faciant & uadimonium ueniendi prorsus cum exercitu, eas à nobis capiat. Ego igitur hæc pronuncio. Quòd si quis aliud quicquam necessariũ intuetur, mihi significet. Et uos quidem abite atq; paramini. Ego gratia hinc soluendi sacrificabo, cumq; res diuinæ rectè habebunt, significabimus. Adsint etiam omnes ad constitutum locum cum rebus antedictis apud duces suos. Vos autem duces ubi quisque instruxeritis uestrum ordinem, omnes ad me cõuenite, quò singuli locos uestros in-

telligatis. Quibus auditis illi parabãtur, Cyrus uero sacrificabat. Vbi sacrificia bene habuerunt, Cyrus mouit unà cum agmine. Ac primo quidem die locauit castra ut potuit proximè, quò si quid quisquam oblitus esset, id repeteret: ac si quis nosset ulla sibi re opus esse, hanc item pararet. Et Cyaxares tertiam habens Medorum partem restitit, quò neq; domi res solæ essent. Cyrus uero pergebat quàm poterat celerrimè, habens equites quidem primos, & ante hosce exploratores, speculatoresq; semper præmittens ad loca anteriorà ad speculandum aptissima. Post hos uerò agebat impedimenta, faciens ubi campus esset multos globos plaustrorum impedimentorumq;. Retro phalanx sequebatur, ac si quid impedimentorũ relictum esset, qui principes inciderent, curabat ne proficisci impedirentur. Et ubi uia esset angustior, armati milites impedimentis tenentibus medium hinc atque hinc pergebant, ac si quid impediret, milites ad has res constituti diligentiam adhibebant. Pergebant autem ordines ferè apud se habentes impedimenta. Iussi enim erant omnes qui ferebant sarcinas, ut singuli irent secundum ordinem suum, nisi quid necessarium esset impedimento. Signumq; habens quisque sui centurionis sarcinarius, antecedebat, suo ordini notum. Itaque frequentes proficiscebantur, curabantq; uehementer suos singuli, ne subsisterent. Quibus ita facientibus, neque opus erat se inuicem quærerent, simulq; & præsentia erant omnia & salua, habebantq; milites celerius quæ oportebat. Vt autem procedentes speculatores, in campo uisi sunt uidere homines qui pabulum caperent & materiem, aspiciebantq; iumenta huiusmodi res agere ac pasci: & ulterius item intuentes, di-

scere

scere uisi sunt sublatũ fumum aut puluerem: ex his omnibus ferè nouerant, exercitum hostium alicubi propè esse. Itaque speculatorum præfectus continuò quendam mittit hæc Cyro nunciantem, qui his auditis iussit, ut illi manerent in isdem speculis, quodcunq; noui usquam uiderint nunciantes. misitq; ordinem equitum ulterius, quibus iussit, enitерentur capere ex his hominibus qui erant in campo aliquos, quò certius uerũ disceret. Iussi igitur hæc agebant. At ipse aliud agmen suum disponebat, quò pararent quæcũq; arbitrabatur oportere prius quàm essent admodum propè. Ac primùm præcepit ut pranderent, deinde ut in ordinibus manerent, prouidentes quod iuberetur. Quibus pransis, conuocauit Cyrus & equitum & peditũ & curruum duces: præterea machinarũ & impedimentorũ carpentorumq; præfectos, qui omnes conuenerunt. At illi qui in campum decurrerant, agebãt homines quos cepissent. Captiui autem illi à Cyro interrogati, dicebant se à castris anteceßisse pabulatum, alij uerò lignatũ præteritis procubitoribus: nam propter exercitus multitudinem rarißima esse omnia. Quibus Cyrus auditis inquit: Quantũ hinc abest hostium agmen? Ad quem illi respondebant: Ad duas parasangas. Post hæc percũctabatur Cyrus: At de nobis rumor quis est apud eos? Ita, dixere, per Iouem, & multus quidem, quòd propè iam sitis adorientes. Quid igitur, inquit Cyrus, num etiam gaudebant, cùm audirent nos ire? Hoc autem percunctabatur præsentium gratia. Non per Iouem, dixerunt illi, nullo modo gaudebant, quinetiam tristabantur plurimum. Nunc autem, inquit Cyrus, quid faciunt? Instruuntur, responderunt: & heri & nudiustertius hocidem agebant. Qui autem eos

instruit, quis est? inquit Cyrus. Ad quem responderunt: Et Crœsus ipse, & unà cum eo uir quidam Græcus, & alius item Medus quidam qui à uobis fugisse dicebatur. Et Cyrus inquit: At ô Iupiter optime maxime, utinam mihi detur eum capere ut ipse uolo. Exhinc cùm iussissent abigi captiuos, ad astantes ut dicturus quippiam reuertebatur. Hîc etiam aderat alius à præfecto speculatorum, inquiens apparere ante alios in campo magnum equitum ordinem: & nos, inquit, coniecturamus eos uadere, quòd uidere hanc uelint aciem. Etenim ante hunc ordinem alij circiter triginta equites frequentes adequitant, idq; qua parte nos sumus, uolentes fortasse nostipsos speculatores capere si possint. nos autem sumus decem in hac specula. Et Cyrus iussit ex equitibus, qui semper apud se essent, uadere sub speculam clàm hostibus, et quietem agere: cùm autem denarij illi nostri speculam liquerint, uos exurgentes eos inuadite qui in speculam ascendent. Vt autem uos non lædant, qui sunt à magno ordine, contrà tu, inquit, egredere ô Hystaspa, tribunos militum habens equites, teq; contrà ostende hostium ordini. Insequere autem nusquam in locum obscurum, sed ubi curaueris ut tui speculatores maneant, trãsito. Quòd si qui sublatis dextris ad uos ferentur, amicè uiros excipite. Hystaspas igitur abiens, armis induebatur: ministri uerò continuò profecti sunt, ut iusserat. Obuius autem his fit, idq; intra ipsas speculas, Araspas unà cum famulis, qui olim missus fuerat explorator, custos Susiæ mulieris. Quare Cyrus ut audiuit, exiliẽs ex cathedra & occurrebat ei, et amicè excipiebat. At alij, ut erat cõsentaneum, cùm nihil scirent, ob rem eam stupore tenebãtur, donec Cyrus inquit: Viri amicissimi, uenit nobis

bis uir optimus: nunc enim hominibus omnibus scienda sunt huius opera. Hic neque ulla uictus turpitudine abijt, neq; mei metu, sed à meipso potius missus, quò rebus hostium liquidò cognitis uera mihi referret. Quæ igitur ego tibi pollicitus sum Araspa, & memini, & unà cum hisce omnibus referam. Est autem iustum, ô uiri, uos etiã omnis hũc honoribus prosequi ut bonũ uirum. Ad nostrã enim utilitatem & periculũ subijt, & crimini obnoxius factus est, quod erat admodum graue. Exhinc omnes Araspam amplectebantur, & amicè excipiebant. Dicente autem Cyro: De his igitur satis, quæ autem tempus est nobis scire, hæc Araspa narrato, nihilq; de ueritate diminue, neque hostium res extenua. Melius enim est si maiora arbitrati, minora uideamus, quàm minora audientes, ualidiora inueniamus. Atqui, respondit Araspas, ego feci ut scirem quam securissimè, quãtus est exercitus: unà enim cùm ijs interessem, aciem ordinaui. Tu igitur, inquit Cyrus, non solùm multitudinem nosti, uerumetiam ordinem ipsorum. Equidem mediusfidius, inquit Araspas, & quomodo cogitant pugnam facere. Veruntamen, inquit Cyrus, multitudinem nobis summatim expone. Illi omnes, respondit, instructi sunt ad trigenos in densitatẽ, & pedites & equites, demptis Aegyptijs, qui absunt stadia circiter quadraginta. Valde enim curaui, ut scirem quantũ loci continerent. At Aegyptij, inquit Cyrus, quo pacto ordinati sunt? quoniã dixisti, demptis Aegyptijs. Hosce, inquit, qui denis millibus præsunt, instruxerũt singula decem millia in centenos: hanc enim ordinum legem, sibi domesticam esse dixerunt. Et Crœsus sanè ualde inuitus ijs concessit ordinari hoc pacto: uolebat enim excedere plurimùm

phalange aciem tuã. Ad quid, inquit Cyrus, cupiebat hanc rem Crœsus? Quò mediusfidius maiore multitudine tuam aciem circundaret. Et Cyrus inquit: At hi uiderint an circundati circũdari possint. Sed quæ à te tempus est discere, audiuimus. Cæterùm uos oportet, ô uiri, ita facere. Nunc ubi hinc abieritis, cõsiderate et equorum & uestrùm ipsorum arma: sæpe enim ob paruæ rei defectum, & uir & equus & currus inutilis redditur. Cras autem manè donec ego sacrum faciam, primùm quidem prandendum est & uiris & equis, ne quicquid agendi sit tempus huius rei indigeatis. Dein tu Araspa dextrum habeto cornu, quemadmodum etiam habes. At alij qui denis millenis præestis, sicuti habetis nunc, habetote. Cùm enim simul certamẽ est, nulli curruit tempestiuum est equos mutãdo cõiugare: iubeteq; centurionibus atque primipilis, ut stent in phalange bini, habentes singulos manipulos. Erat autem manipulus quisq; uiri XXIIII. Et quidam ex cẽturionibus inquit: Videmur´ne tibi Cyre satis habituri in tot milites instructi, aduersus phalanga adeò densam? Ad quem Cyrus respondit: At phalanges densiores quàm ut armis assequi hostis queãt, quid tibi uidẽtur, hostibus´ne nocere, an socijs prodesse? Ego enim illos grauis armaturæ milites in centenos diuisos, mallem in decies millenos: ita enim aduersus pauciſsimos pugnaremus. Ex quot ego militibus phalanga densabo, puto totam adiutricem ac sociam futuram ipsam sibi. Iaculatores quidem post loricatos ordinabo, post iaculatores autem sagittarios: hos enim primos in acie quis´nam ordinet, qui etiã ipsi fatentur nullam posse pugnam cominus sustinere? Cùm uerò loricatos habebunt ante se, manebunt: & illi iaculis, hi sagittis supra

omnes

omnes ante se collocatos iaciẽdis, lædent hostes. Quicquid est autem quo quis hostibus incommodat, hoc ipso toto socios leuat. Postremos quidem statuam, qui extremi omnium appellantur. Nam quemadmodum ædium, neque sine lapidum munita structura, neque sine facientibus tectum, ulla est utilitas: ita etiam neq; phalangis, nec sine primis, nec sine ultimis, nisi boni fuerint, ulla utilitas est. Sed uos ut præcipio instruamini: atque uos scutatorum principes post hos eodem modo manipulos constituite: & uos sagittariorum præfecti post scutatos itidem. Tu uerò qui in extremos principatum geris, ultimos habens uiros, præcipe tuis ut quisque suos obseruet, & alios officio fungentes adhortetur, & alijs non facientibus uehementer minitetur. Si quis autem auertatur uolens prodere, hic plectatur morte. Debent enim præfecti audentiam sequentibus inijcere, & uerbo & re: atq; uos etiam oportet, qui post omnis ordinati estis, maiore metu ignauos afficere quàm qui est ab hostibus. Et uos quidem hæc facitote. Tu uerò Eufrates qui præes machinarijs, ita facito, ut iumẽta quæ turres atque ministros agunt, sequantur quam proximè phalanga. Tu autem Daïche qui ducis impedimentaria plaustris, post turris ac post machinas age omnis huiusmodi copias. Tui autem ministri uehementer animaduertant in eos qui ex multitudine ante tempus aut procedunt aut restant. Tu uerò, ô Caduche, qui carpentis mulieres agentibus præfectus es, ipsas post impedimẽta locato ultimas. Hæc enim omnia si sequantur, & multitudinis præbent opinionem, & nobis insidiandi dabunt facultatem, maioremq; circuitum facere cogent hostis, si tentent circundare: qui quò plus loci circundent, eò hi necessariò im

becilliores fiant. Et uos quidem ita facitote. Sed tu Artabaze & Artagersa millenarium ordinem uterq; uestrorum peditum unà nobiscum post hos habete. Tuq; Pharnuche & Asiadata millenarium equitum ordinem, cui uestrum uterq; præest, nolite constituere in phalanga, sed post carpenta uos separatim ipsi instruimini armis, deinde ad me itote unà cum alijs ducibus. Ita uos parari oportet, ut primos necessariò præliaturos. Tu uerò qui ijs uiris es præfectus qui præsunt camelis, post carpenta stato, facitóque quodcũq; tibi Artagersas præceperit. Vos autem qui designati estis curruum duces, uester quidem princeps ante phalanga currus centum secum cõstituat: alij quidem centeni ordines curruum, alteri ad dextrum latus exercitus incedentes sequantur phalanga ad cornu, alteri uerò ad læuũ. Et Cyrus quidem ita instruxit. At Abradatas rex Susorum inquit: Ego tibi Cyre ultrò recipio ordinem habere è regione aduersæ phalangis, nisi quid tibi aliud uidetur. Et Cyrus eo delectatus admiratusq;, rogauit Persas qui erant in alijs curribus: Num etiam uos hæc concediti? Sed postea quàm illi responderunt, non esse honestum hæc concedere, sortes his dedit, & in Abradatam sors cecidit, quemadmodum receperat, & oppositus est aduersus Aegyptios. Tum igitur abeuntes, & eorum quæ prædixerant curam habentes, cœnati sunt, constitutisq; custodijs discesserunt cubitum. Postero autem die Cyrus manè sacrum faciebat: alius uerò exercitus cùm prandisset, libationemq; feciſſet, instruebatur multis atq; pulchris tunicis thoracibusq;, & cassidibus multis item & pulchris. Armauerunt etiam equos frontalibus pectoralibusq;, & solos quidem equos femoralibus: eos uerò equos qui erant

sub

sub curribus, lateralibus. Itaque uniuersus exercitus ære fulgurabat, puniceoq; florebat ornatu. Atque Abradatæ currus quatuor temonum, & equorum octo, pucherrimè erat ornatus. Cumq; induturus esset lineum thoraca, qui ijs patrius est, affert ei Panthea auream caßidem & brachialia, & latas armillas circa manuũ iuncturas, & tunicam purpuream ad pedes usque tendentem, cuius inferiores oræ stolæ habebant speciem, & conum hyacinthini coloris. Hæc autem clàm uiro fecerat, dimensa illius arma. Quæ ille intuitus, & admiratus est, & Pantheam interrogauit: Tu sanè, ô mulier, mundo tuo conciso arma fecisti mihi? Per Iouem, inquit Panthea, haudquaquam illo multi faciũdo: tu enim & mihi & alijs, si te talem præstiteris qualis mihi uideris esse, maximus eris mundus. Hæc autem dicens simul cum armis induebat, eiq; (quod occultare nitebatur) lachrymæ fundebantur per genas. Cumq; etiam antea esset spectatu dignißimus Abradatas, ubi his armis instructus est, apparuit et pulcherrimus et uenustißimus: quippe qui natura etiam talis esset. Acceptis autem habenis ab auriga, parabatur ut in currũ iam ascensurus. At hîc Panthea alijs qui aderãt omnibus iußis secedere, dixit: Si qua alia unquã uxor uirũ suum pluris quàm animam suam æstimauit, puto te Abradata cognoscere me etiam harũ esse unam. Quid igitur opus est ut omnia singillatim eloquar, cùm existimem præstitisse me opera uerbis præsentibus probabiliora? Veruntamẽ cùm sic habeã erga te, ut ipse nosti, testor tibi meã tuamq; amicitiã, indubitatò malle me publicè obrui terra tecũ bono uiro, quàm uiuere cũ dedecorosa dedecorosam. Sic ego et te et meipsam rebus honestißimis dignos habeo. Cyro autẽ magnam

nos quandam gratiam debere arbitror, quòd me & captiuam & sibi electam, neque ut seruam dignum existimauit possidere, neq; ut liberam cum famæ ignominia, sed asseruauit tibi me captam tanquam fratris uxorem. Præterea quando Araspas, qui me custodiebat, ab eo defecit, ego ei pollicita sum, si me sineret ad te mittere ut uenires, sibi te futurum multò quàm Araspam & fideliorẽ & meliorem uirum. Panthea hæc loquuta est. At Abradatas eius oratione delectatus, mulcensq; eius caput, in cœlũ oculos tollens, ita precatus est: At, ô Iupiter optime maxime, da mihi ut me præstem & uirum dignum Panthea, & dignum amicum Cyro, qui nos est honoribus prosecutus. Hæc locutus, per portas capsij ascendit in currum. Sed postea quàm is ascendisset, sellamq; auriga clausisset, Panthea nõ habens quomodo item aliter eum amplecteretur, sellam osculata est. Et Abradatæ currus iam procedebat. Pãthea uerò clàm eum sequebatur, donec conuersus Abradatas eam intuitus inquit: Fide Panthea, & gaude, atq; iam abito. Exhinc igitur spadones & ancillæ eam capientes deduxerunt in carpentum, eamq; declinantes tabernaculo uelauerunt. Homines uerò quamuis spectaculum pulchrum esset & Abradatæ & currus, non cum tamen prius spectare potuerunt, quàm Panthea abijsset. At Cyrus postea quàm litauit, & eius exercitus quemadmodũ is præcepe-
rat instructus est, habens speculatores alios ante alios, cõ-
Oratio Cyri. uocatis ducibus huiusmodi oratione est usus: Viri amici ac socij, sacrificia nobis dij ostendunt, qualia cùm antea dedere uictoriã. Ego uolo eorũ uobis repetere memoriam, quæ mihi uidemini, si memoria teneatis, multò maiore cũ fiducia in certamen ituri esse. Nam in rebus uos bellicis

multò

multò magis quàm hostes exercitati estis: eadem autem in re & educati estis & instituti iam multò plus temporis quàm hostes, inuicemq; unà uicistis: hostium uerò plures cum ipsdem ipsis sunt uicti. Alij uerò qui non pugnarunt utrorunq;, sunt ciusmodi, ut qui sunt hostium, sciant præsides sibi proditores esse. Vos autem qui nobiscũ estis, nõ latet pugnare cum uolentibus auxiliũ ferre socijs. Consentaneum uerò est eos, qui sibi inuicem credunt, cõcorditer manere in pugna. Qui uerò mutuò sibi non credunt, necesse est cõsultare quomodo singuli quamcelerrimè è medio se eripiãt. Eamus igitur uiri fortißimi aduersus hostis, cum armatis curribus aduersus inermes hostiũ currus: eodem modo cum equitibus equisq; armatis, aduersus inermes, ut pugnemus cominus. Pugnabitis autẽ aduersus pedites, partim quemadmodũ antea aduersus alios. Aegyptij uerò eodẽ modo armati sunt, itidemq; instructi. Clypeos enim maiores habẽt quàm ut aliquid facere uidereq; possint. Et ordinati in centenos uidelicet, se inuicẽ ad pugnandum impedient, præter admodũ paucos. Quòd si incumbentes sperabũt nos urgere, equis hi primũ sustinẽdi sunt, ac ferro ab equis firmato. Quòd si quis eorum etiã sustinuerit, quomodo simul poterũt et cum equitatu pugnare, & cum phalange, & cum turri? Etenim nostri à turribus nobis opem ferent, qui hostis percutientes facient, ut loco pugnandi quid acturi sint nesciant. Quòd si qua uobis re opus esse arbitramini, mihi dicite: nam pro diuina benignitate egebimus nihilo. Ac si quidem aliquid dicere uult quisquã, id dicat: sin id minus, uenite ad sacrificia, & precati deos quibus sacra fecimus, ad ordines itote, & quisq; uestrum suos admoneat, quæ à me uos estis admoniti: &

quisq; subditis se demõstret dignum imperio, intrepidum se ostendens & habitu & facie & oratione.

XENOPHONTIS DE PAEDIA CYRI LIBER SEPTIMVS, Francisco Philelpho interprete.

POSTEA *quàm deos hi precati sunt, ad ordines abiere. Cyro autem & his qui cum Cyro erant, attulerunt famuli potum ac cibũ. At Cyrus stans ut erat, post diuinas primitias cœnabat, eiq; dabat semper qui maximè indigeret, libansq; ac precatus bibebat: & alij qui cum eo erant, ita faciebant. Post hæc uerò cùm imploraſſet Iouem patriũ, ut & dux eſſet & ſocius, in equum aſcendit, idemq; ut ſui facerent iuſſit. Et erant hi milites armati omnes armis iſſdem quibus Cyrus, tunicis puniceis, thoracibus atq; caſſidibus æreis, conis albis, gladijs, pilo, caſſide una quiſq;. Equi uerò frontalibus pectoralibusq; æreis, atq; lateralibus. Eadem etiam hæc femoralia erant uiro. Tantùm duntaxat Cyri arma differebant, quòd alia quidem illita erant colore aureo, at Cyri arma ut ſpeculum relucebant. Cyrus ubi equũ aſcendit, ſtetitq; reſpiciens quà erat perrecturus, fulmen dexterũ inſonuit. Hic autem dixit, Te ſequemur, ô Iupiter optime maxime: ac profectus eſt habens ad dextram Chryſantam equitum præfectum equitesq;, ad ſiniſtram uerò Arſaman ac pedites: præcepitq; ut ad ſignum aſpicerent, & pariter ſequerentur. Signum autem ei erat aquila aurea, extenſa in longa haſta: & hoc etiam tempore ſignum hoc permanet regi Perſarum. Atq; prius quàm uideret hoſtes, ter quieſcere ſe-*

refecit exercitum. At ubi iam processissent stadia circiter uiginti, cœperunt iam uidere hostium agmen contrà aduentare. Sed postquam omnes inuicem fuerunt in aperto, hostesq; eos cognouerunt multò utrinque ijs phalange superiores, hanc ubi firmassent (nec enim est aliter circundare) flexerunt in circuitum, ueluti gamma utrinq; ordinem suum facientes, quò undiq; simul pugnarēt. Quæ Cyrus intuens, nihilo magis destitit, sed eodem modo ducebat. Verùm considerans ut illi procul undiq; fecerant flexum, circa quem flectentes cornua extendebant: Animad uertis, inquit, ô Chrysanta, ubi hostes curuaturam faciūt? Valde, Chrysantas inquit: atque miror equidem. Multum enim uidentur mihi separare cornua à sua ipsorum phalange. Ita mediusfidius, inquit Cyrus, & à nostra quoque. Quare tandē hoc faciunt? metuentes uidelicet, inquit Cyrus, ne si cornua prope nos sint, cū phalanx procul sit, eos inuadamus. Dein inquit Chrysantas: Quomodo prodesse poterunt alteri alteris, ubi multū sic inuicē absint? Sed perspicuū est, inquit Cyrus, quòd ubi cornibus ascendentes sterint è regione laterū nostræ aciei, uertentur tanquam in phalanga simul undiq; aduersus nos pugnaturi. Itáne, inquit Chrysantas, uidentur tibi bene cōsultare? Sanè ad ea quæ uidēt, inquit Cyrus: ad quæ uerò nō uident, peius etiā quàm si per cornu inuaderent. Sed tu, inquit, ô Arsama, duc peditatum quietè, quemadmodū me uides. Et tu Chrysanta, unà sequere æqualiter cum hoc Arsama equitatum habens. Ego uerò illuc abibo, unde mihi uidetur tempus pugnandi initium facere, simulq; præteriens singula considerabo ut nobis habent. Cumq; illuc uenero, ubi iam simul inuicem inuasuri fuerimus, pæana canere incipiam,

uos autem subsequimini. Verùm dum nos manum cum hostibus conseremus, sentietis uos quidem. Non enim, ut opinor, paruus erit tumultus. Tum uerò adoriemini, cũ ipse Abradatas in aduersarios cum curribus impetum faciet. Ita enim ei dicetur. Vos autẽ sequi oportet quammaximè fieri potest prope currus: ita enim maximè in hostes turbatos impetũ faciemus. Adero etiam ipse celerrimè quantum potero uiros insequens, si dijs libuerit. Hæc loquutus, ubi tesseram iussisset, Iupiter seruator & dux, profectus est. Pergensq; medius inter currus & loricatos, cùm aliquos eorum uidisset qui essent in ordinibus, tum dicebat: O uiri, quàm mihi iucundum est spectare facies uestras. tum item inter alios dicebat: Ecquid cogitatis, ô uiri, nunc esse certamen non solùm de hodierna uictoria, uerumetiam de illa quam antea uicistis, ac de omni felicitate? Inter alios uerò adueniens: O uiri, inquit, post hunc diem nunquam amplius dij erunt accusandi: tradiderunt enim nobis multorũ magnorumq; bonorũ possessionem. Verùm, ô uiri, simus fortes. Inter alios rursus uerbis huiusmodi usus est: In quem unquam meliorem fructũ atq; lucrum inuicẽ nos adhortemur, quàm hoc tẽpore? Nunc enim licet, si fortiter egerimus, res multas ac bonas inuicẽ nobis afferre. Inter alios item ita loquutus est: Non estis nescij uiri, ut arbitror, nunc proposita esse præmia: uictoribus quidem, fugare et interficere, bona habere, laudari, esse liberis, imperare: at uictis, uidelicet horum contraria. Qui igitur seipsum amat, mecum pugnet. Ego enim nullum, neque malum, neque turpe exemplum ultrò præstabo. Cùm uerò esset inter eorum aliquos, qui antea unà pugnassent, dixit: Ad uos, ô uiri, quid dicere oportet? Scitis enim

enim & qualem uiri fortes diem agunt in pugnis, & qualem ignaui. Vt autem progrediens uenit eò ubi Abradatas erat, ſtetit. Abradatas uerò, aurigæ habenis traditis, Cyrum adijt. Accurrerunt etiam alij qui propè erant cõſtituti, & pedites & agentes currus, inter quos præſentis Cyrus ita dixit: Deus immortalis Abradata, quemadmodum tu rogabas, & te & tuos dignatus eſt ſociorum ante ſignanos eſſe. Tu uerò hoc memineris, oportere te nũc dimicare, quoniã Perſæ ij erunt qui & ſpectabũt uos, & ſequentur, neq; patientur ſolos uos certare. Ad quem Abradatas reſpõdit: At res noſtræ, Cyre, uidẽtur mihi pulchrè habere, ſed latera me ſolicitum reddunt, quoniam hoſtium cornua uideo ualida porrigi & curribus & omnifariam acie. A nobis autem nihil aduerſus eos aliud contrà eſt ordinatum, quàm currus. Quare ego niſi ſorte cepiſſem hunc ordinem, puderet me hìc eſſe: uſqueadeo mihi uideor eſſe in tuto. Ad quem Cyrus inquit: Verùm ſi apud te res bene habent, de illis eſto bono animo. Ego enim tibi pro diuina ope hæc hoſtium obliqua cornua deſerta reddam, ac tu non prius impetũ feceris aduerſus hoſtes monco, quàm fugientis aſpicias hos quos nunc metuis. Huiuſmodi ſanè uerba iactabat Cyrus cùm pugna futura eſſet, præſertim cùm non eſſet admodum iactator. Cùm ſanè uideris, inquit, hoſce fugientis, & me adeſſe arbitrare, & tu impetum fac in hoſtes. Etenim tu & aduerſarijs tum utaris ignauiſſimis, & ſocijs tuis fortiſſimis. Sed donec tibi adhuc ociũ eſt Abradata, omnibus conuocatis ad currus tuos, hortare tuos ad inuadendum, uultu fiduciam his injiciens, & ſpe metum leuans. Quò autem eorum qui ſunt in curribus fortiſſimi appareatis, contentionem ijs injicito. Ete-

nim bene nosti, si hæc bene fiant, omnis dein dicturos reliquũ nihil esse uirtute fructuosius. Itaq; Abradatas ascenso curru uadebat, hæcq; faciebat. Cyrus autem rursus transiens, ut uenit ad læuum cornu ubi Hystaspas habebat Persarum equitum dimidium, eum nomine uocans, inquit: O Hystaspa, nunc opus uides dignum celeritate tua. Nunc enim si anteuertemus hostes interimendo, nostrûm moritur nemo. Ad quem Hystaspas arridens, inquit: Verùm de his qui nobis obiecti sunt, curæ mihi erit: sed de his qui sunt à latere, alijs impera, quò neque hi sint ociosi. At ego, inquit Cyrus, aduersus hosce ipse sum transiturus. Tu uerò Hystaspa hoc memineris, cuicunq; nostrûm uictoriam Deus dederit, si quid usquam hostile maneat, aduersus pugnantis semper contendamus. Quæ loquutus procedebat. Sed ubi uenit ad latus, & ad principem curruum qui hîc erant, ad hunc dixit: Ego quidem uenio uobis auxilium allaturus: sed quando senseritis nos inuadẽtis ad summum, tum etiam uos enitemini simul per hostis uadere. Longè enim tutiore in loco futuri estis si extrà fueritis, quàm si intus præcludamini. Et ubi item transiens uenit retro post carpenta, Artagersæ Pharnuchoq; iussit, ut habentes millenarium ordinem Persarum, tantundem etiam peditum, & tantundem equitum, eo manerent in loco. Sed ubi senseritis me inuadere eos qui sunt ad dextrum cornu, tum etiam uos eos inuadite qui uobis aduersi sunt. Pugnabitis autem aduersus cornu, quæ acies imbecillior est: & cum phalange, ut fitis ualidiores. Atque sunt, ut uidetis, hostium equites ultimi, omninoq; immittite aduersus eos camelorum ordinem. Neque uos lateat, fore ut priùs etiam quàm pugnetis ridiculos spectetis hostis esse. Atque Cyrus

quidem

quidem his actis, ad dextrum cornu transit. At Crœsus iam nimis propinquam hostibus arbitratus aciẽ cum qua ibat ipse, uidensq; protendi cornua, signum sustulit, ne am plius sursum pergerent, sed ibi in loco cõuerterentur. Vt autem steterunt è regione, respicientes ad Cyri aciem, signum his dedit pergendi aduersus hostes. Et ita appropin quauerunt tres phalanges Cyri exercitui, una ad faciem, duæ uerò, altera ad dextrũ cornu, altera ad læuum. Quo factum est, ut toti Cyri exercitui magnus inijceretur metus. Quemadmodũ enim paruus laterculus in magno po situs, ita etiam Cyri exercitus undiq; circundabatur ab ho stibus, & equitibus, & militibus, & scutatis, & sagitta rijs, & curribus, præterquàm à tergo. Veruntamẽ Cyrus posteaquàm præcepit, conuersi sunt omnes in frontem ad uersus hostes. Eratq; undique permultum silentium, quoniam de futuro euentu uererẽtur. Sed posteaquàm uisum est Cyro tempestiuũ, pæana canere cœpit, constrepuitq; uniuersus exercitus. Post hoc uerò & Martem simul læ tis uocibus conclamarunt: & Cyrus surrexit, continuoq; cũ equitibus adortus trãsuersos hostes, obuius ipsis factus manum conseruit: quem pedites instructi continuò sunt se cuti, atque hastas hinc indeq; concutiebant, adeò ut longè essent superiores. Cum sua enim phalange adorti sunt cor nu, quo factum est ut hostes uehementer in fugam uerte rentur. Vt autem sensit Artagersas Cyrum esse in opere, inuadit etiam ipse ad læuum cornu præmissis camelis, ut iusserat Cyrus. Equi uerò eos camelos ex loco admodum multo non expectauere, sed alij ob stuporem fugiebant, exiliebãt alij, alij uerò super alios cõcidebant. Talia enim equi à camelis patiuntur. At Artagersas suos habens in-

ſtructos aduerſus turbatos incubuit, curruſq; immiſit in dexterum ſimul atq; in læuum cornu. Cumq; multi eos fugerent currus, ab his interempti ſunt qui ſequebantur ad cornu. Multi etiam hoſce fugientes, capiebantur à curribus. Atque Abradatas minimè amplius tardabat, quin potius clamitans, Viri amici ſequimini, inuadebat equis minimè parcens, ſed eos ſtimulo uehementiſſimè cruentans: ſimul etiam impetum fecerunt alij curruum ductores. Et currus quidem hoſtiles eos continuò fugiebant, alij eos capientes qui greſſu eſſent ſegniores, alij uerò poſt ſe relinquentes. At Abradatas ex aduerſo per eos in Aegyptiorũ phalanga impetũ facit, & cum eo unà etiam inuaſere qui proximè erãt ordinati. Et cum multis alijs in locis patet, non eſſe phalanga ualidiorem, quàm cùm fuerit congregata ex amicis ſocijs, tum hoc etiam in loco perſpicuum fuit. Nam & eius ſodales & commenſales unà fecerũt impetum. At alij aurigæ ut uiderunt Aegyptios multo globo ſuſtinentis, declinarunt aduerſus fugiẽtis currus, eosq; ſequebantur. Milites autem Abradatæ quà inuaſerant, cùm Aegyptij ſeparari non poſſent propter illos à quibus hinc atque illinc circundabantur, alios rectos temone equorum percutientes euertebant, alios uerò cadentis figebant, & ipſos, & arma, & equos, & rotas. Quem autem falces corripuiſſent, omnia ui incidebant & arma, & corpora. In hoc autem inenarrabili turbine ex multifaria coaceruatione exilientibus rotis excidit Abradatas, atque alij eorũ qui unà inuadebant. Et hi quidem cùm hìc fortis ſeſe uiros præſtitiſſent, trucidati ſunt et interempti. Perſæ autem concurſu facto, quà Abradatas unà cum ſuis adortus fuerat, irruebant, turbatoſq; illos necabant: quà

uerò

uerò Aegyptij non cedebant (erant autem multi) pergebant aduersus Persas. Itaque hîc terribilis erat pugna & lancearum, & tragularum, & gladiorum: ac prævalebant quidem Aegyptij, tum multitudine, tum etiam armis. Nam & lanceas ualidas ac longas nunc etiam habent. Et clypei multò magis quàm thoraces & crates tum tegunt corpora, tum ad urgendum adiuuant, cùm ad humeros sunt. Clausis igitur clypeis procedebãt, urgebãtq;. At Persæ eos sustinere non poterant, ut qui in summis manibus haberent cratis, sed pedem referebant percutientes percußiq;, quousq; sub machinis fuerunt. Huc uerò ubi uenissent, percutiebantur rursus à turribus Aegyptij, & extremi non sinebant sagittarios fugere, neque iaculatores, sed intensis gladijs cogebant & sagittare, & iaculari: multaq; erat uirorum nex, permultus armorum omnifariamq; mißilium fragor, multus etiam clamor aliorum se inuicem uocantium, aliorum adhortantium, aliorum item deos immortalis implorantium. At Cyrus hîc insequens hostes proximos, aduenit: qui ut Persas uidit è loco motos, & doluit plurimum, & cognoscens nullo pacto celerius posse hostis continere ne ulterius procederent, quàm si post eorum terga inuaderet, ijs quos secum habebat sequi iußis, eorum terga inuadit, in eosq; irruentes Persæ, inopinatos percutiunt, interimuntq; permultos. Quod Aegyptij ut senserunt, & clamabant hostis esse post terga, & inter uulnera conuertebantur, atque hoc loco mixtim præliabantur & equites & pedites. Quidam uerò cùm cecidisset, fusus à Cyri equo pessundatusq;, gladio Cyri equum ferit in uẽtrem. Equus autem ob id uulneris intolerabili dolore agitatus, Cyrum excutit. Hîc igitur nosse quis

se quis posit, quanti sit faciundum ut princeps ametur à subditis. Continuò enim clamorem sustulerunt omnes, incumbentesq; pugnabant, urgebant, urgebantur, percutiebantur: desilienſq; ex equo unus ex Cyri ministris, tollit eum in equum suum. Vt autem Cyrus ascendit, despiciebat undiq; iam Aegyptios percuti. Etenim Hystaspas iam aderat unà cum Persarum equitatu, simulq; Chrysantas. Verùm hos nondum sinebat irrumpere in Aegyptiorum phalanga, sed ut extrinsecus sagittas iaculaq; torquerẽt, iubebat. Vt autem circumequitans uenit ad machinas, uisum est ei ut in aliquã turrem ascenderet, speculareturq; sicubi adhuc aliud quicquam hostium maneret ac pugnaret. Qui cùm ascendisset, campũ despexit refertum equis, hominibus, curribus, fugientibusq; & uincentibus ac uictis: manẽs autem quicquam nusquam despicere amplius poterat, præter exercitum Aegyptiorum. Hi uerò quoniam difficulter haberent, undique facto circulo ut arma uiderentur, sub clypeis sedebant, faciebantq; amplius nihil, patiebantur autem & multa & grauia. Admiratus autem eos Cyrus commiseratusq;, quòd uiri fortes cùm essent, peribant, retraxit eos omnis qui circum illos præliabantur, pugnareq; neminem amplius sinebat: mittitq; ad eos caduceatorem percunctatum, utrum uelint omnes ne propter eos perire, à quibus proditi fuerint, an qui fortes esse uideantur seruari. Ad quem responderunt Aegyptij: Quonam pacto nos seruemur, qui uiri fortes uidemur esse? Cyrus autem rursus dicebat: Quoniã nos uidemus uos solos, qui maneatis uelitisq; pugnare. Sed deinde dixerunt Aegyptij: Quid honesti facimus ut seruemur? Et Cyrus item ad hoc respondit: Si ita seruemini, ut & sociorum proda-

prodatis neminem, & arma nobis tradatis, & amici his ſitis qui eligũt uos ſaluos facere, cùm liceat perdere. Quæ illi audientes interrogabant: Quòd ſi in tuam amicitiam ueniamus, ad quid uti nobis uoles? Ad quos Cyrus reſpondit: Ad beneficium dandum & accipiendum. Et rurſus Cyrum interrogabant Aegyptij: Ad quod beneficium? Ad hoc, inquit Cyrus: Stipendij quidem plus uobis dabo, quàm nunc accipitis, quandiu ſit bellum. Facta autem pace, qui ueſtrûm manere apud me uoluerit, huic ego & regionem dabo, & urbes, & uxores, & famulos. Quibus Aegyptij auditis, precati ſunt ut ſibi militiam remitteret aduerſus Crœſum. Hanc unam ueniam ſibi dari poſtularunt. Alia uerò paciſcentes fidem dederunt, atque acceperunt. Hinc & Aegyptij qui tum reſtiterunt, hoc etiam tempore fideles erga regem perſeuerant. Et Cyrus his urbes dedit alias ſurſum, quæ ipſæ hodie quoque urbes Aegyptiorum uocantur, Lariſſam, ac Cyllenem, quæ trans Cumam poſita eſt prope mare: quas quidem urbis hac etiam tempeſtate habent eorum poſteri. Cyrus his rebus geſtis iam per tenebras rediens, in Thymbaris locauit caſtra. In hac autem pugna Aegyptij ſoli ex hoſtibus claruerunt. Ex Cyri quidem equitatu, Perſarum equitatus uiſus eſt optimus extitiſſe: quare nunc quoque armatura permanet, quam Cyrus tum eſt equitibus fabricatus. Vehementer etiam claruerunt currus falcati: quare hoc genus bellandi, hoc etiam tempore permanet ei ſemper qui regnat. At cameli ſolùm equis metui fuere. Nec enim equites qui in his erant interempti ſunt, nec item ipſi ab equitibus. Nullus enim equus propè factus eſt. Et utile quidem eſſe uidebatur. Sed enim

neque alere camelum uelit uir honestius & bonus uehendi gratia, neque meditari ut ab his sit pugnaturus. Ita igitur rursus suo recepto habitu, degunt inter impedimentaria iumenta. Atq; Cyri milites ubi cœnassent, custodesq; posuissent, ut par erat, somno se dederunt. At Crœsus quidē continuò fugit Sardis unà cum acie. Nationes autem aliæ quò poterant, quamlongissimè noctu per uiam singuli abscessere, quæ domum duceret. Sed ubi dies illuxit, continuò Cyrus exercitū egit Sardis: qui ubi uenit ad murum ipsius urbis, tum machinas erexit ut muro apponeret, & parabat scalas. Quæ faciens, per ea quæ esse uidebantur ardua ac difficilima Sardianorum munimenta, sequenti nocte Chaldæos sursum atque Persas tollit. Ductor ijs fuit Perses, qui seruus fuerat cuiusdam eorū qui in arce erant præsidio, quiq; didicerat & descensum in flumen, & eundem ascensum. Quod ubi factum est, arx uidelicet capta est: quare Lydi omnes quò poterant singuli à muris fugiebant. At Cyrus simulac orta dies est, in urbem est ingressus, præcepitq; moueri neminē ex ordine suo. Crœsus uerò in regia clausus, Cyrum clamabat. Cyrus uerò Crœsi custodes reliquit. Ipse autem abiens ad captā arcem, ut uidit Persas, ut par erat, custodientis arcem, Chaldæorū autem arma sola (decurrerant enim, ut rapinam bonorum facerent ex ædibus) continuò eorum principibus conuocatis, edixit ut quamprimū abirent ab exercitu. Non enim, inquit, sustineo uidere abūdantes eos qui nō seruant ordinem. Scitis enim uos esse à me paratos, ut mecū militantes Chaldæis omnibus laudabiles redderē. Nunc uerò nolite mirari, si quis melior etiam uobis abeuntibus incidat. Quibus Chaldæi auditis, & metuerunt, & orauerunt ut irasci desi-

deſineret, ſeq; raptas res omnis daturos dixerũt. Ad quod Cyrus reſpondit, ijs ſibi nihil opus eſſe. Quòd ſi me uultis abire deſiſtere, reddite res iſtas omnis, quas accepiſtis, arcem cuſtodientibus. Nam ſi alij milites ſenſerint eos plus habere qui ordinem ſeruarint, omnia mihi bene ſunt habitura. Et Chaldæi quidem ita fecerunt ut iußit Cyrus, acceperũtq; obedientes, & multas omnisq; generis pecunias. Cyrus autem ut ſuorum caſtra ibi poſuit, ubi exiſtimauit locum eſſe urbis aptiſſimum ad manendum in armis, præcepit ut pranderent. His autem rebus geſtis, iußit Crœſum agi ad ſeſe. At Crœſus Cyrum ut uidit: Salue, inquit, here: hoc enim fortuna & habere poſthac dat tibi, & mihi appellare. Et tu quidem Crœſe, inquit Cyrus ſalue: quoniam uterq; homines ſumus. Cæterùm Crœſe, inquit, num mihi uelis conſulere? Vellem equidem, inquit, Cyre boni aliquid tibi inuenire: hoc enim exiſtimarem mihi quoque bonum fore. Audi igitur, inquit, Crœſe. Ego enim uidens multùm milites laboraſſe, ac multa pericula ſubiiſſe, & nunc exiſtimare habere urbem, quæ poſt Babylona ditißima ſit in Aſia, dignũ puto prodeſſe militibus: quippe qui futurum norim, ſi minus fructum aliquem laborum ceperint, ne eos poßim habere diutius mihi obtemperantis: & nolo equidem pati, hi urbem diripiant. Nam & urbs, mea ſententia, periret, & in rapina qui maximè ſunt improbi, plus haberent. Quæ Crœſus audiens, dixit: At ſine me dicere ad quoſcunq; uelim Lydorum, me abs te impetraſſe rapina ne fiat, neq; te ſinere pueros mulieresq; perdi: quodq; tibi pollicitus ſum, pro hiſce rebus fore à Lydis ultrò, quicquid & pulchri & boni ſit in Sardibus. Si enim hæc audient, futurum ſcio ut afferant quicquid hic poßi-

detur pulchrũ & uiro & mulieri: at rursus in sequentem annũ urbs tibi referta sit multis pulchrisq; rebus. Quòd si eam diripueris, artes quoque quas bonorum fontes esse aiunt, corrumpentur. Præterea licebit tibi, si hæc uideas, etiam cùm ueneris de rapina consultare. Primùm autem mitte ad thesauros meos, & eos custodes tui à meis custodibus accipiant. Hæc igitur Cyrus omnia consensit ita faciũda, ut Crœsus dixerat. Hæc autem, inquit, Crœse mihi dicito omnino: Quomodo euenerunt quæ Delphicũ dixit oraculum? Dicitur enim Apollo tibi uelde cultus, teq; gessisse omnia ab illo persuasum. Vellem equidem, inquit, Cyre ita habere. Nunc autem secus omnia continuò agens ab initio, consului Apollinem. Quomodo? inquit Cyrus, doce me. Incredibilia enim admodum narras. Quoniam primùm, inquit, interrogare deum negligens si qua re egerem, tentaui eum an posset uera loqui. Hoc autem nõ deus solùm, uerumetiam homines honesti ac boni, cùm norint fidem sibi minus haberi, nõ amant incredulos. Vbi igitur nouit me facere admodum absurda, qui longè abessem à Delphis, ita demum mitto de filijs cõsulens. Ille autẽ mihi prius nõ respondit: sed ubi ego multis oblationibus aureis missis, multis etiam argenteis, permultis item sacrificijs actis, placaui eum aliquando, ut mihi uidebatur, tum tandem mihi respõdet percunctanti, quidnã facere me oporteret, quò mihi essent filij. Ille dixit, fore ut haberem. Et nati sunt quidem: neque enim hoc mentitus est. Hi uerò cùm mihi nati sunt, nihil profuere. Nam alter mutus esse perseuerauit: qui autem erat optimus, periit in ætatis flore. Pressus autem cladibus filiorum, mitto iterum, atque deum rursus consulo, quidnam faciendo reliquum tempus uitæ

Artes, bonorum fontes.

uitæ quamfelicissimè degerem. At ipse respondit: Ipsum te noscens, decedes Crœse beatus. Vbi uerò oraculo audito lætatus essem (putabam enim eum mihi felicitatem dare, quod facillimum esset imperando. Alios enim cognoscere, quosdam fieri quidem posse, quosdam uerò non posse: se autem ipsum qui sit, unumquenq; existimabam hominem nosse) omne deinceps tempus usque quietem habui, nihil de infortunijs querens post filij mei mortem. Sed ubi sum ab Assyrio persuasus aduersus uos exercitum ducere, in omne ueni periculũ, & seruatus sum sanè nullo malo accepto. At ne propter hæc quidem deũ incuso. Cùm enim meipsum nossem, non satis esse qui aduersus uos pugnarem, tutò abiui unà cum deo & ipse & mei. Nunc rursus & à præsentium diuitiarum delitijs insolentior factus, & ab ijs qui me rogabãt ut bellum gererem, & à muneribus quibus me donabant, & ab hominibus qui mihi assentantes dicerent: Si imperare uellem, futurum ut omnibus in rebus mihi parèrent, forémq; hominum maximus: huiusmodi tandem uerbis inflatus, ut omnes undiq; reges belli præfectum me legerunt, suscepi imperium tanquam satis essem qui maximus fierem: certè meipsum ignorãs, quòd existimarem me satis esse, qui aduersus te bellũ gererem: primũ quidem qui ex dijs immortalibus genitus sis, deinde qui ex regibus oriundus, demum uerò qui abusque puero uirtutem exercueris. Maiorum autem meorum audio primum qui regnauit, & regem simul fuisse et liberum. Hæc igitur cùm ignorarim, iure, inquit, optimo pœnam do. Verùm nunc tandem Cyre meipsum cognosco. Tu uerò etiámne putas uerum dicturum Apollinem, me felicem fore, si meipsum noro? Te autem propter hanc rem inter-

Seipsum nosse, felicitas.

rogo, quoniam mihi optimè uideris hoc ipsum nunc coniectare, potes enim facere me felicem. Et Cyrus respondit: Consilium mihi da Crœse hac de re. Ego enim cogitans priorem tuam felicitatem, & misereor tui, & reddo tibi uxorem habendam quam habes, & filias (audio enim esse tibi) & amicos, & famulos, & mensam qua cũ unà ui uebatis: pugnas uerò tibi bellaq; aufero. Mediusfidius nihil igitur, inquit Crœsus, mihi tu iam deliberato respondere de mea felicitate. Ego enim tibi iam dico, si hæc mihi feceris quæ dicis, hanc me, quam & alij felicissimã uitã existimabant, & ego cum his sentiebam, esse nunc etiã acturum. Et Cyrus inquit: Quis igitur est qui habet hanc uitã beatam? Mea uxor, inquit, ô Cyre. Illa enim & bonarum, & mollium, & lætarum omnium rerum æquè atque ego erat particeps: curarũ uerò ut hæc fŏrent, & belli & pugnæ particeps nõ erat. Ita igitur tu quoq; afficere me nũc uideris, quemadmodum ego illam quammaximè omnium hominũ amabam. Itaq; mihi uideor Apollini debere alia munera. Cuius uerba Cyrus cùm audisset, admiratus est animi eius tranquillitatem. Itaq; deinceps eum quacunq; ipse pergeret ducebat, siue quòd eum usui cuiquã sibi esse existimaret, siue quòd etiam tutius ita censeret. Et tum quidem ita quieti se dederunt. Postridie uerò Cyrus uocatis amicis & exercitus ducibus, alios eorum constituit ut thesauros acciperent, alijs iussit ut quascunq; pecunias Crœsus traderet, primũ dijs immortalibus eligerent quas Magi præciperent: deinde alias pecunias quas acciperent, eas in arcis locatas, in plaustris ut portarent quocũq; ipsi pergerent, ut ubi tempus fŏret singuli caperent portionẽ suam. Et hi quidem hæc faciebant. At Cyrus uocatis quibusdam

buſdam ex præſentibus miniſtris: Dicite mihi, inquit, uidit'ne ueſtrûm quiſquam Abradatam? Miror enim quòd cùm antea iret ad nos frequenter, nunc nuſquã apparet. Ad quem reſpondit unus ex miniſtris: Quoniam here ille nõ uiuit, ſed mortuus eſt in pugna, cùm in Aegyptios currum immiſiſſet. Alij uerò, exceptis eius ſocijs, ut aiunt, effugerunt ubi globum uidiſſent Aegyptiorum. Et nunc dicitur eius uxor mortuum ſuſtuliſſe, impoſuiſſéque in carpentum in quo ipſa uehebatur, atque eum portauiſſe quendam hìc in locum ad Pactolum flumen, ferunt́q; eius ſpadones ac famulos fodere loculum mortuo quodã in tumulo. Dicunt etiam eius uxorem humi ſedere ornatã quibus cum uirum haberet, habereq; caput eius in genibus. Quibus Cyrus auditis, femur ſanè percuſſit, continuoq; equo aſcenſo, aſſumptiſq; equitibus mille, uadit ad luctum. Iuſſit præterea Gadatæ & Gobryæ, ut quantũ poſſent acceptum pulcherrimũ ornatum, ad uirum amicum & bonum, qui diem obiiſſet, trãsferrẽt. Et qui haberet armenta ſequentia & boues & equos, huic dixit, ſimulq; pecudes multas ageret ubicunq; ſe eſſe audiret, quò ea Abradatæ immolarentur. At ubi uidit Abradatæ uxorem humi ſedere, ac mortuũ iacere, & collachrymatus eſt propter dolorem, & ait: Heu ô bona atq; fidelis anima, abis nunc nobis relictis? ſimulq; eius dextrã capiebat, atq; manus mortui ſecuta eſt: abſciſſa enim mucrone fuerat ab Aegyptijs. quod Cyrus intuitus, multò etiã magis doluit. Et uxor Panthea eiulabatur, exceptamq; tum à Cyro manum oſculata eſt, & loco ſuo, ut fieri potuit, rurſum coaptauit, dixitq;: Et alia quidem Cyre ita habent, uerũ quid aſpicere oportet? & hæc, inquit, ſcio illum propter me maximè

passum esse, neque fortasse minus propter teipsum Cyre. Nam & ego stulta multũ sum eum hortata, ita faceret, ut tibi amicus appareret dignus memoratu: & idem ipse, certò scio, nõ hoc cogitabat quid faceret, sed quid faciens gratificaretur tibi. Etenim ipse quidem probè diem obiuit, ego uerò quæ eum hortata sum, uiua assideo. Atque Cyrus aliquantum temporis tacens collachrymauit, dein ita est locutus: Verùm hic, ô mulier, pulcherrimum finem habet: nam diem obijt victor. Tu uerò hisce à me acceptis eum adornato. Aderant autem Gobryas Gadatasq; multum ferentes pulchrumq; ornatum. Dein inquit: Scito ne alijs quidem in rebus istum inhonoratum fore, sed etiam monumentum multi nostrûm pro dignitate in tumulum erigent, eiq; immolabuntur quæcunque par est uiro fortissimo. Neque tu etiam eris orbata. Nam ego te pudiciæ & omnis uirtutis gratia, cum alijs in rebus honorabo, tum constituam qui te portet quocunq; ipsa uolueris. Tu solum mihi declarato ad quem uelis portari. Et Panthea inquit: Verùm bono animo esto Cyre, nequaquã tibi occultabo ad quem ire uolo. Et Cyrus hæc locutus, abijt commiseratus & mulierem, quòd tali uiro orbata esset: et uirum, quòd talem uxorem cùm reliquisset, non amplius eam esset uisurus. At Panthea spadonibus quidem iussit secederẽt, donec, inquit, hunc ego pro uoluntate deplorem. Nutrici autem dixit ut expectaret, eiq; iussit ut cùm mortua esset, & sese & uirum in uno uelaret uestimento. At nutrix cùm multum eam supplex precata esset ne hoc faceret, postea quam nihil perficeret, uideretq; eam grauiter ferre & permolestè, flens sedit. At Panthea acinace, quem gladium diu parauerat, seipsam iugulauit, et impo-

Historia tragica.

sito

sito suo capite super uiri pectore, mortua est. At nutrix & uoci frabatur, & uelauit ambos, quemadmodum Panthea iusserat. At Cyrus ut sensit mulieris opus, exterritus ad eam it, si quid auxilij posset afferre. Sed spadones quod factum erat intuiti, tres ut erant, ipsi quoq; districtis acinacibus ibi se iugularunt, stantes ubi eos iusserat. Et hac tempestate hucusq; monumentũ spadonum tumulatum dicitur: & in superiore columna uiri uxorisq; nomina inscripta esse dicunt Syris literis. Deorsum tris esse dicunt columnas, easq; sceptriferorũ inscriptionem habere. At Cyrus ut ad eam cladem appropinquauit, & admiratus mulierem, & questus abijt. Et horum quidem pro dignitate diligentiã habuit, ut consequerentur honestã omnia, & monumentũ magnũ extructum est in tumulum, ut perhibent. Exhinc cùm seditiones inter Caras ortæ essent, & hi inuicem bellum facerent, ut qui habitarẽt in munitissimis castellis, utriq; Cyrum implorarunt. At Cyrus Sardibus ipse manens, machinas fecit & arietes, ut eorũ muros solo æquaret qui parêre nollent. Caduſium uirum Persen & alijs in rebus neque insipientem neque imbellem, præterea admodum gratiosum, dato ei exercitu mittit in Cariam, quo cum & Cilices & Cyprij admodũ impigrè in expeditionem profecti sunt. Quapropter haud misit unquam Persen satrapam, neq; Cilicum, neque Cypriorum, sed satis erant ei semper indigenæ reges. Tributũ quidem capiebat, & expeditiones cùm opus esset his iubebat. Caduſius autem acto agmine uenit in Cariam, & ab utrisque Caribus ad eum affuere, qui dicerent, se paratos esse qui eum admitterent in oppida, in detrimentum contrariæ factionis. At Caduſius ad utrosq; eadem faciebat, iustioraq;

dicebat hos dicere cum utriſcunque loqueretur, dicebatq; oportere aduerſarios latêre quòd ipſi ſui amici eſſent: ita enim fore ut magis imparatos adoriretur aduerſarios, rogabatq; ut fidem darent. Et Cares quidem iurarũt, et ſine dolo ſe eos recipere in caſtella, & ad Cyri Perſarumq; utilitatẽ. Ipſe quoque iurauit ſine dolo in caſtella ire, & ob ſuſcipientiũ bonum. Hæc cùm ambobus feciſſet, clam utriſq; eandem noctem pepigit, & hac ipſa nocte in caſtella inſilijt, & amborũ munimenta cepit: ſimulq; facto die ſedens in medium cum exercitu, uocauit utrorunq; præcipuos. Ii uerò intuiti ſeſe inuicem, grauiter rem tulerũt, exiſtimantes utriq; ſe deceptos. Et Caduſius quidem in hunc modum locutus eſt: Ego uobis, ô Cares, iurauí ſine dolo ingredi in caſtella, & propter bonũ ſuſcipientium. Si quidem igitur perdidero ueſtrũm alterutros, puto ob Carum ipſorum malum ingreſſus eſſe: ſin pacem uobis fecero ac ſecuritatem, ut utrique agrum colatis, arbitror me uobis adeſſe propter ueſtram utilitatem. Nunc decet, ab hoc die & amicè inuicem uos miſceri, & ſine ullo metu colere agrum ueſtrum, dareq; & accipere mutuò liberos. Quòd ſi præter hæc quiſquam ueſtrũm iniuriam tentet, hiſce & Cyrus & nos hoſtes erimus. Exhinc portæ murorum apertæ ſunt, & uiæ plenæ proficiſcentium inuicem: referti etiam campi cultoribus, feſtos dies publicè agebant, pacis ac lætitiæ omnia erant plena. Per id temporis uenerunt à Cyro nuncij, rogantes ſi quid aut exercitus indigeret, aut machinamentorũ. Caduſius uerò reſpondit, præſenti etiã exercitu alibi uti licere: ſimulq; hæc dicens abduxit exercitum, præſidijs relictis in arcibus. At Cares precabantur eum ut maneret. Qui ubi noluit, miſerunt ad Cyrum rogantes,

gãtes, ut Caduſium mitteret ſibi ſatrapam. Hoc tempore Cyrus Hyſtaſpam miſit cum exercitu aduerſus Phrygiam quæ adiacet Helleſponto. Vbi uerò Caduſius uenit, ei iuſſit exercitum traduceret quà Hyſtaſpas proceſſerat, quò magis parérent Hyſtaſpæ, ſi audiſſent alium exercitũ aduentare. Igitur Græci qui ad mare incolunt, multis muneribus datis, effecerunt ut intra caſtella barbaros non exciperent, ſed tributũ ſoluerent, & in expeditionẽ irent quô Cyrus iuberet. At Phrygũ rex parabatur, ut munita caſtella cõtineret, minimeq; parêret, atq; iuſſit ita. Sed ubi ab eo ductores defecerũt, ac ſolus relictus eſt, tandem in manus uenit Hyſtaſpæ à Cyro iudicandus. Et Hyſtaſpas relictis ualidis Perſarum præſidijs in arcibus, abijt, ſuos milites ſecũ ducens, ac Phrygũ multos equites & ſcutatos. At Cyrus iuſſit Caduſio, qui coniunctus Hyſtaſpæ fuerat, ut hos Phrygas qui Cyri partes ſecuti eſſent armatos ageret: qui uerò belligerare cupiſſent, his iuberet ut ablatis equis et armis, omnes ſe fundas habentes ſequerẽtur. Et hi quidẽ hæc faciebant. At Cyrus mouebat ex Sardibus, ibi relicto magno peditũ præſidio, habebatq; ſecũ Cræſum, & multa agebat plauſtra multarũ & omnis generis pecuniarũ. Veniebat etiã Cræſus ſcriptas habens pecunias, quæcũq; erant in ſingulis plauſtris: ſcriptisq; Cyro datis, Hæc, inquit, habens Cyre, noris & qui tibi rectè pecunias reddiderit quas agit, & qui id minus. Ad quem Cyrus reſpondit: Verùm tu quidem Cræſe pulchrè facis qui prouideas. Mihi ſanè pecunias ſunt acturi, qui etiã eas habere digni ſunt: quare ſi etiã furati quid fuerint, ſua furabũtur. Quæ ſimul dicens, dedit ea ſcripta amicis ac principibus, quò ſcirent tutores, an ſaluas eis redderent pecunias, an non.

Cyrus etiam Lydos quos intueretur ornatos & armis & equis & curribus, quiq; eniterentur facere omnia quibus se putarent ipsi gratificari, hos ducebat armatos: quos uerò intuebatur nõ libenter sequi eorũ equos, illis tradidit Persis qui primũ unà militarant. Arma uerò concremauit, & hos quoq; coëgit fundas habere ac sequi: atq; inermes omnis qui serui fuerant, fundas coëgit meditari, putans hoc genus armorum esse maximè seruile. Nam unà cum alijs uiribus funditores si adsunt, ualdæ quãdoq; prosunt: ipsi uerò soli, ne omnes quidem funditores expectent paucos admodum obuios factos cum armis, quibus cominus pugnatur. Cyrus autem cùm uia procederet qua itur Babylona, subiugauit et Phrygas qui in magna sunt Phrygia: subiugauit etiam Cappadocas, & fecit Arabas subiectos: quorum omnium armis Persarum armauit equites non pauciores quadraginta millibus. Multos item equos captiuorum, omnibus quoq; socijs tribuit. Venitq; ad Babylona multos equites ducens, permultosq; sagittarios iaculatoresq;, ac funditores innumeros. Cumq; esset prope Babylona Cyrus, locauit circum urbem aciem uniuersam. Dein ipse equitauit circum urbem unà cum amicis atque præcipuis sociorum. Sed ubi muros intuitus est, parabat ab urbe exercitum abducere, cùm transfuga quis egressus ait, futurum ut hostes cum adorirentur, cùm exercitũ abduceret. Iis enim à muro despicientibus, phalanx, inquit, uisa est imbecilla. Et minimè mirum erat ita habere. Nam cùm circundarent murum, qui multus esset, necesse erat phalangam non admodum esse confertam. Hæc Cyrus ubi audiuit, stans in mediũ sui exercitus unà cum ijs quos circum se haberet, iussit militib. grauis armaturæ, ut ab utraque

que ſummitate duplicãtes phalanga abirent, præter ſtantem aciem, quouſq; ſummitas utrinq; ad ſe peruenirent & ad mediũ ipſum. Sic igitur his facientibus, & hi qui manebant continuò redditi ſunt audentiores, cùm duplicati eſſent denſitate aciei, & qui abibant itidem magis audebãt. Continuò enim qui ex his manerent, fuerunt aduerſus hoſtes: cùm uerò proficiſcentes utrinq; ſummitates coniunxerunt, conſtitere ualidiores effecti, & qui abierant propter anteriores, & anteriores propter eos qui poſteriores iam eſſent. Duplicata autem hoc pacto phalange, neceſſe eſt & primos & ultimos eſſe fortiſſimos, in medio uerò ignauiſſimos eſſe poſitos. Ordoq; habens hoc pacto, & ad pugnandum uidebatur bene paratus eſſe, & ad minimè fugiendum. Equites uerò ac uelites à cornibus fiebant propius principem ſemper, quantò phalanx duplicata breuior fieret. Vbi uerò ita denſati ſunt, abiere pedem referentes, donec extra miſſilia facti ſunt quæ à muro torquebantur. Dein conuerſi ſunt, ac primùm paucis greſſibus factis mutabantur ad clypeum, ac ſtabant ad murum reſpicientes: & quò longius diſtarent, tantò rarius mutabantur: ſed ubi tuto eſſe in loco uiſi ſunt, frequentes abibant, donec ad tabernacula peruenerunt. At ubi caſtrametati ſunt, Cyrus conuocatis præcipuis ita loquutus eſt: Viri ſocij, uidimus urbem in ambitum: equidem quomodo capere quis poſſit muros adeò firmos altosq; pugnando, mihi uidere non uideor. Sed quò plures homines in urbe ſunt, poſteaquàm pugnatum non exeunt, eò celerius poſſe fame capere illos puto. Niſi igitur alium quenquam modũ habetis quem dicatis, ita uiros obſidendos eſſe dico. Ad quem Chryſantas reſpondit: At hoc flu-

men nónne per mediã urbem fluit, cuius latitudo est plus quàm ad duo stadia? Ita mediusfidius, inquit Gobryas: & profunditas tanta, ut ne duo quidem uiri alter super alterum stantes, supra aquã emineant. Itaq; urbs ualidior est flumine quàm muris. Et Cyrus: Hæc, inquit, Chrysanta missa faciamus, quæ uiribus nostris præstant. Dimetiri autem nos quamprimum oportet partem cuiusq; nostrũm, atq; fossam fodere quamlatissimam profundissimamq;, quò nobis pauciſsimis custodibus opus sit. Sic igitur dimensus circùm murum, distans à flumine quantum magnis propugnaculis in altum sublatis satis est, fodit hinc atq; inde à muro fossam peringentem, terramq; aduersus seipsos iecit. Ac primũ quidem turres ædificauit ad flumẽ, palmis fundatas longis nõ minus quàm iugerũ: sunt enim etiam maiores natura quàm tantæ longitudinis. Etenim palmæ pressæ onere sursum curuantur, quemadmodum curui asini. Has igitur suppoſuit huius rei gratia, ut maximè uideretur paratus ad obsidendũ, quò etiã si diffugeret flumen in fossam, turris ipsas nõ tolleret. Erexit etiã alias multas turris super terram coniectã, quò essent quãplurimæ custodiæ. Et hi quidem hæc faciebant. Qui uerò hostes erant in muro, deridebant obsidionem, ut qui res necessarias haberent plus quàm uiginti annorũ. Hæc Cyrus cùm audisset, exercitũ distribuit in partes duodecim, quò singulæ partes essent custodituræ singulos anni menses. Rursusq; Babylonij his auditis, multò etiam magis hæc deridebant, animo uolutantes, si Phryges & Lycij & Arabes & Cappadoces se custodirent, quos omnis existimabant mitiore esse in se animo quàm in Persas. Ac iam fossæ effectæ erant. At Cyrus quoniam audisset eiusmodi sestũ esse

Palmarum natura.

esse Babylone, in quo Babylonij omnes uniuersam noctem bibunt, & lasciuis carminibus saltationibusq; indulgent: cumprimùm hac nocte tenebræ factæ sunt, acceptis multis hominibus aperuit fossas quæ tendebant ad flumen. Quod ubi factum est, aqua in fossas nocte concessit: alueus autem fluminis qui tendebat per urbem, redditus est hominibus permeabilis. Vt autem quod ad flumen pertinet ita paratum est, iussit Cyrus Persis militum tribunis & peditum & equitum, ut ad se adessent agentes ordinem millenariũ bini, atq; alij socij ad horũ caudã sequerẽtur, quem admodũ antea instructi. quare hi aderant. At Cyrus cùm imposuisset in fluminis aridũ ministros et pedites & equites, iussit explorarent an solum fluminis incessum patere tur. Quod ubi pati posse nunciarunt, hic peditum equitumq; ducibus conuocatis, talia uerba facit: Viri amicissimi, posteaquàm flumen nobis in urbem uiam cõcedit, iam intrò audenter ingrediamur, nihil prorsus metuẽtes, animo sanè repetentes, aduersus quos nunc pergimus, illos esse, quos ipsi cùm et socios auxilio haberent, & uigilãtis omnis & sobrios & armatos instructosq;, uicimus. Nunc autem imus aduersus eos, quo tempore multi horum dormiunt, multi ebrij sunt, omnes etiam imparati. Cùm uerò etiam senserint nos intus esse, multò quoque magis quàm nunc futuri sunt inutiles, quoniã erunt exanimati. Quòd si quis hoc cogitat, quod dicitur formidabile esse in urbem intrantibus, ne in tecta illi ascendentes hinc indeq; feriant, in hoc maximè audete. Si qui enim ascẽderint super ædes, socium habemus deum Vulcanum. Eorum autem uestibula sunt crematu facilùma: ualuæ enim ex palma fabricatæ sunt, bitumineq; tinctæ subadusto. Nos autem rursus

Oratio Cyri.

multas faces habemus, quæ celeriter admodum ignem parient: multũ etiam picis ac stuppæ, quæ celeriter multam flammã inuitãt. Itaq; necesse fuerit, ut aut quãprimum fugiant ab ædibus, aut quamprimũ comburantur. Sed agitè, arma capite, ego uobis unà cum dijs immortalibus sum dux futurus. Vos autem Gadata Gobryaq; uias ostendite: nostis enim. Cùm uerò intus fuerimus, quamcelerrimè ducite ad ædis regias. Atqui, dixerũt qui erãt cum Gobrya, nihil mirandum fuerit. Nam ipsius regiæ portæ ne clausæ quidem sunt, ut in ebrietatis intemperantiaq; festo: ita enim uniuersa uidetur urbs esse hac nocte. Incidemus autem in uigiles ante fores: sunt enim semper constituti. Non negligendum enim est, inquit Cyrus, sed eundum quò imparatos quammaximè eos uiros offendamus. Vbi hæc dicta sunt, pergebant. Occurrentes uerò, alij percussi interibant, alij rursus intrò fugiebant, alij clamabant. Qui uerò erant cum Gobrya, unà cum his clamabant tanquam etiam ipsi ebrij essent & incontinentes: euntesq; quàm poterant celerrimè, uenerunt ad regias ædis. Et qui erant cum Gobrya Gadataq; constituti, regiæ portas clausas inueniunt. Qui uerò aduersus uigiles fuerant constituti, in eos irruunt bibentis ad multam lucem, eisq; continuò hostiliter usi sunt. Vbi autem clamor & strepitus factus est, & qui intus erant tumultum sensissent, rege iubente ut quid res ea esset specularentur, excurrunt quidam, portasq; aperiunt. Qui uerò erant cum Gadata ut uiderunt portas patefactas, in eas irruunt, illosq; sequentes ac percutientes qui refugiebant intrò, ad regem ueniunt, quem iam stantem districto acinace quem habebat in ueniũt. Et hunc sanè milites multi qui essent cum Gadata

&

& Gobrya, è medio sustulerunt: his etiam interfectis qui cum eo erant, cùm alius aliquid obijceret, alius fugeret, alius repugnaret quacũq; re posset. At Cyrus dimisit equitum ordines per uias, iussitq; quos offenderent extra eos interimerent. Qui autem Syricè loqui scirent, ut intus domi manerent, omnibus proclamarent. Quòd si quis extrà caperetur, plecteretur morte. Et hi quidem hæc faciebant. At Gadatas & Gobryas uenerunt, deosq; primùm adorarunt, quòd de rege nefario cepissent ultionem: dein Cyri manus ac pedes exosculabantur, multùm simul præ gaudio lachrymantes atq; gestientes. Vbi autem dies factus est, & hi qui arces habebant senserunt & urbem captam esse & regem mortuum, arces etiam tradiderunt. At Cyrus arcis quidem continuò accipiebat, in easq; & præsidij præfectos, & præsidium mittebat. Mortuos autem sepelire necessarijs permisit, iussitq; preconibus, proclamarent ut Babylonij omnes arma deferrent. Vbi uerò in ædibus arma offenderentur, iussit ut omnes intus interimerentur. Illi igitur ea detulerunt. Quæ Cyrus in arcis deposuit, quò parata essent, si quid unquam illis utendum esset. Quæ ubi gesta sunt, primùm Magos uocauit, ac iussit ut ex urbe bello capta spoliorum primitias dijs immortalibus, & delubra eligerent. Exhinc & ædes distribuebat, & palatia, his quos existimabat participes esse rerum gestarum. Et ita distribuebat, ut optimè ab optimatibus est decretũ. Quòd si quis uisus esset minus habere, iubebat is ad se iret, ac doceret. Babylonijs autem pronunciauit ut terrã colerent, tributaq; deferrent, atq; his obsequerentur quibus singuli ipsorum dati essent: quibus etiam iussit, ut Persas, & eos quibus cum res communis esset,

& socios, quicunque apud se manere decreuissent, ut heros quibus obtigissent alloquerentur atq; salutarent. Ex hinc cupiens Cyrus iam parari etiam ipse ut regẽ decere existimabat, ratus est hoc facere oportere unà cum amicorum sententia, quò minima cum inuidia & rarus appareret & uenerabilis. Quam quidem rem ita molitus est: Vt primùm dies illuxit, quo in loco putaret esse aptißimum, admittebat qui loqui aliquid uellet, quem dato responso dimittebat. Quod homines ut nouerunt, uenere multitudine infinita, urgentiũq; adire & conatus multus erat et pugna: ministri autem quo poterãt habito discrimine, eis aditum permittebant. Cumq; aliquis ex amicis uideretur turbam urgere, Cyrus protensa manu eos accersebat, ac dicebat ita: Viri amici, expectate donec uulgus extrudamus, dein per quietem congrediemur. Et amici quidem expectabant: at uulgus magis magisq; affluebat, donec prius uespera anteuertit, quàm ipse cum amicis posset per ociũ congredi. Igitur Cyrus sic ait: Nunc uiri sanè tempus est soluendi, cras autẽ uenitote manè, etenim quiddã uolo uobiscum differere. Quæ amici audientes, libenter abierunt & cursim, cùm dedissent pœnas, qui caruissent à rebus omnibus necessarijs: & tum quidẽ ita somno se dedêre. Postri die uerò Cyrus affuit in eundem locum, quẽ multò maior hominum multitudo circunstetit, eum adire uolentiũ, multoq; hi prius quàm amici affuere. Cyrus uerò cùm magniũ constituisset circulum speculatorũ Persarum, iußit nemo alius præteriret quàm & amici & principes tum Persarum tum sociorum: qui ut conuenerunt, in hunc modum

Cyri oratio. ad eos locutus est: Viri amici ac socij, deos quidem immortalis incusare minimè possumus, quòd minus in hanc diem egeri-

egerimus omnia pro noſtris optatis. Quòd ſi huiuſmodi erit res magnas gerere, quò fieri non poſſit ut neque ſolus quis uacet, neque lætetur cum amicis, ego ſanè hanc felicitatem ualere iubeo. Cogitate enim, & heri uidelicet cùm manè cœpiſſemus adeuntis audire, non deſiuimus ante ueſperam: & nunc uidete hoſce & alios pluris quàm heri, qui adſunt nobis negocia præbituri. Si quis igitur ſeſe hiſce ſubijciet, conſidero futurum ut minimam mei partem uobis faciam, & minimam quoque mihi ueſtrûm. Ipſius autem mei certò ſcio ut nulla omnino pars ſit mihi futura. Præterea aliam etiã rem ridiculã uideo. Ego enim certè affectus ſum erga uos uti par eſt: horum uerò circũſtantium aut paucos, aut neminem noui, & hi tamẽ omnes parati ſunt, ut ſi urgendo uos uincant, prius quàm uos à me quæ uolunt conſequantur. Ego autem dignũ putarem, ut ſi quis horum aliqua in re mei indigeat, uos colat amicos meos, uoſq; ut ſe adducatis roget. Fortaſſe quis dicat: Quo modo igitur non ita initio me parauerim, ſed præſtiterim potius me in medium? Quoniã intelligebam res bellicas eſſe eiuſmodi, ut non deceat principem deeſſe neque intelligendo quæ oportet, neque gerendo quæ tempus ſit gerere. Nam ſi imperatores raro negocia inſpiciant, exiſtimabã multa eos præterire quæ gerenda ſunt. Nunc uerò poſtæquàm laborioſiſſimũ bellum ceſſauit, uidetur mihi dignum eſſe ut animus meus quietem aliquam conſequatur. Quare perinde quaſi ambigente me quid ſim facturus, quò & noſtræ & aliorum res, qui nobis debent curæ eſſe, pulchrè habeant, cõſulat quod quiſq; uidet maximè cõducibile. Cyro ita locuto, ſurrexit poſt eũ Artabazus, is qui olim ſe dixerat conſanguineum, ac dixit: Profectò

Artabazi oratio.

perpulchrè feciſti Cyre, hunc ſermonem aggreſſus. Ego enim cùm iuuenis admodum adhuc eſſes, initio cupiebam tibi amicus fieri. Te autem uidens minimè indigere mei, adire ſum ueritus. Cùm autẽ olim etiã me rogaſſes ut alacriter ad Medos, quæ Cyaxares dixerat nunciarem, conſiderabam, ſi ijs tibi in rebus alacriter eſſem adiutor, fore ut & familiaris tibi eſſem, & diſſerere tecũ poſſem quantum uellem temporis. Atq; illa quidem ita à me acta ſunt, ut abs te laudarer. Poſt hoc Hyrcanij quidem primi nobis amici facti ſunt, quòd admodum ſociorum indigeremus: itaque modò non in ſinu ferebamus eos præ amore. Poſtea uerò ubi caſtra hoſtium capta ſunt, non tibi licebat, ut arbitror, erga me ocium habere, & ego tibi ignoſcebam. Dein Gobryas factus eſt nobis amicus, id quod ego gaudebam, & item Gadatas. Itaque labor erat ut tui particeps fierem. Poſtea quàm Sacæ & Caduſij in ſocietatem recepti ſunt, his erat obſequendum: etenim hi tibi obſequebantur. Vbi autem eò reuertimus unde moueramus, intuens te occupatum eſſe circum & equos & currus & machinas, putabam cùm ab hac re tibi ocium daretur, tum etiam erga me ocioſum te futurum. Atqui ut formidabilis nuncius eſt allatus de omnium hominum aduerſus nos conſpiratione, intelligebam hæc eſſe maxima: quæ ſi feliciter haberent, iam bene uidebar noſſe, multam futurã copiam mei tuiq; congreſſus. Atque nunc tandem tum uicimus magnam pugnam, tum Sardis Cræſumq; ſubditum habemus, & Babylona cepimus, omniaq; ſubiugauimus. Et Solem teſtor, ego heri niſi multos pugnis cæcidiſſem, te adire non potuiſſem. Et ubi quidem dextra me apprehendiſti, & apud te manere iuſſiſti, iam conſpicuus eram quòd

tecum

tecum sine cibo & sine potu diem egi. Nunc igitur si qua fieri potest, ut præstantissimi quiq; plurimam tui habeãt partem, bene est: sin minus, rursus ego nunciabo uerbis tuis, ut omnes abs te abeant, exceptis nobis, qui ab initio usque amici fumus. Ad idq; & Cyrus quidem risit, & alij multi. At Chrysantas Perses surgens ita loquutus est. Verùm antea Cyre, ut decebat in medium te præbebas, & ob ea quæ ipse dixisti, & quoniam tu non poteras nobis gratificari. Nos enim etiam propter nosipsos aderamus. At multitudinem opus erat ut omni ratione tibi cõparares, quò quamlibentissimè uellet unà nobiscũ & laborare & periculum subire. Nunc autem quoniam res tibi non habet hoc pacto duntaxat, uerumetiam alios potes homines adipisci, quum tempus fuerit, iam etiam dignum est ut domum consequaris. Aut quid fruaris imperio, si solus fueris expers fœci, quo neq; religiosior locus in hominib. est, neq; suauior, neq; familiarius quicquam? Dein, nónne putes nos etiam pudere, si te uideamus exterius durantẽ, nos autem in ædibus simus, & locupletiores uideamur quàm tu? Vbi autem Chrysantas hæc locutus est, eadem multi cohortati sunt. Exhinc tandem regiam Cyrus ingreditur, & pecunias Sardianas qui ferebant, hîc reddidere. Sed ubi Cyrus ingressus est, primò sacrum fecit Lari, dein Ioui regi, & si cui alij deo Magi interpretati sunt. Quæ cùm fecisset, cœpit alia iam administrare. Cogitansq; negocium suum, quòd qui aggrederetur multis hominibus imperare, & pararet habitare in ea urbe quæ inter illustris erat maxima: ipsa autem ita haberet aduersus cum, ut quæ maximè hostilis uiro urbs esset: hæc igitur animo uolutans, censuit sibi esse opus custodia circa corpus. Intelli- Chrysantæ oratio.

gens autem homines nusquam facilius capi, quàm in esculentis & potulentis & balneis & lecto & somno, considerauit quos in his rebus fidelissimos erga se haberet. Existimauit autem neminem esse posse fidelem unquã, qui magis alium amaret, quàm qui custodia egeret. Qui igitur haberent filios uel uxores cõuenientis, aut pueros amoribus coniunctos, nouit eos natura cogi ad amandum maximè. Sed cùm spadones uideret his omnibus priuatos, arbitratus est ab his plurimi eos fieri à quibus ipsi possint maximè ditari, & auxilium habere si quid iniuriæ patiantur, atque honoribus augeri. A quo autem in beneficijs in hos cõferendis superari posset, neminẽ esse censebat. Ad hæc, cùm spadones obscuri sint apud alios homines, etiam ob hanc rem egent heri auxilio. Nemo sit enim qui nõ dignũ putet se omni in re pluris esse faciundum quàm spadonẽ, nisi quid aliud melius impediat: sed nihil prohibet spadonem quoque primariũ esse, ubi fidelis sit hero. Quod autem maximè aliquis putet spadones robore corporis carere, ne hoc quidẽ Cyro uidebatur: quippe qui coniecturam faceret ex alijs animalibus, quòd & contumelioſi equi ubi excidantur, à morsu cõtumeliaq; cessant, nihilo tamen minus sunt bellicosi. Et tauri excisi, animi elationẽ inobedientiamq; dimittunt, sed corporis uiribus & usu colendi agri non priuantur. Et canes item eodem modo si excidantur, cessant à relinquendis heris, sed ad custodiã & ad uenationem nihilo sunt deteriores. Et homines itidem quietiores fiunt si hac priuentur libidine, sed minimè negligentiores circa imperata, neq; minus equitandi studiosi, neque ad iaculandum minus apti, neque ambitiosi minus: perspicuumq; est & in bellis, & in uenationibus eos ambitio-

Spadones.

bitionem in animis seruare. Quòd autem sint fideles, in herorum pernicie maximum specimen dederunt. Nulli enim fideliora opera demõstrarunt in herilib. infortunijs, quàm spadones. Quòd si quid diminui uidentur circa uires corporis, ferrum æquat imbecillioris in bello robustioribus. Hæc igitur intelligens, acceptos ab ostiarijs, eos omnes qui sui corporis curam gererent, spadones fecit: & arbitratus curam hanc non satis esse aduersus eorum multitudinem qui infesto essent animo, considerauit quos alios acciperet, qui circa regiam essent fidelissimi. Itaq; sciens Persas pessimi uictus domi esse propter inopiam, & laboriosissimè uiuere propter regionis asperitatem, & quoniam operarij ipsi essent, hos existimauit æquissimo animo apud se uitã acturos esse. Accepit autẽ ex his speculatores decem millia, qui noctu dieq; circũ regiã custodirent cùm intus ocium ageret: cùm uerò exiret, hinc indeq; instructi pergerent. Ratus præterea sufficientis custodes totius Babylonis esse oportere, siue ipse in urbe esset, siue peregrè proficisceretur, constituit etiam Babylone præsidiariorũ satis, quibus iussit mercedem dari à Babylonijs: quippe quos uellet maximè imbecillos reddere, quò & humilimi essent, & maximè subiecti. Hæc igitur custodia & circa ipsum & Babylonem per id tempus cõstituta, nunc etiam eodem modo perdurat. Considerans rursus quo pacto & omne contineretur imperium, & aliud item adderetur, existimauit hosce stipendiarios non tanto esse subdiis meliores, quanto paucioris. Bonos autem uiros cognoscebat cõtinendos esse, qui unà cum dijs immortalibus uictoriam præstitissent, & curãdum esse ut perficerent exercitationem uirtutis, quibus ne iubere uideretur, sed cognoscen-

tes ipsi hæc esse optima, ita & perseuerarent, & curarent uirtutis opus, collegit homotimos omnis, & quotquot erant præcipui, quiq; utilissimi ei uisi sunt participes esse & laborum & honorũ. Hi ubi conuenerunt, in hunc modum est locutus: Viri amici atque socij, dijs quidem immortalibus magna est gratia, quòd dederint nobis ea consequi, quibus putauimus esse nos dignos. Nunc etenim habemus & solum multum & bonum, & qui hoc colentes nos alent. Habemus etiam ædis, & in his apparatus: neq; uestrûm quisquam hæc habẽs existimet aliena se habere. Ius gentium. Lex est enim inter omnis homines perpetua, quando belligerantium urbs capta fuerit, cuncta eorum esse qui ceperunt, & corpora eorum qui in urbe sunt & pecunias. Nullo modo iniustè possidebitis, quodcunq; possideatis. Sed pro humanitate non abstuleritis, si quid habere eos sinitis. Equidẽ hoc ego exhinc ita sentio: si uertemur ad pigritiam improborumq; hominum uoluntatem, qui arbitrantur laborare esse ærumnosissimum; & uitam sine labore agitare, uoluptatem, ego nos affirmo celeriter nobisipsis minimi fore faciundos, ac fore ut citò priuemur bonis omnibus. Nihil enim ad perfectionem sufficit fieri bonos uiros, nisi quis usq; ad finem curet in bonitate perseuerare. Sed quemadmodũ aliæ artes ubi neglectæ sint, minoris precij fiunt: & corpora ipsa bene habentia cùm quis ea remittit ad inertiam, male rursus habeant: ita & temperãtia & continentia & robur, cùm quis eorum exercitationem relaxarit, hinc in malignitatem iterũ uertitur. Est ergo cunctandum, neque procedendum uobis ad subitam uoluptatem. Magnum enim opus esse existimo, imperium parare: multò etiam maius, qui adeptus sit id tueri

id tueri. Nam adipisci sæpe illius fuit, qui præstiterit audaciam solùm: sed continere quod cœperit, non etiam hoc sine temperantia, non sine continentia, non sine multa diligentia fit. Quæ nunc cognoscentibus nobis, longè magis virtus est exercenda, quàm prius in his bonis adipiscendis: cùm non simus nescij, quando plura quis habeat, tum plurimos & inuidere illi, & insidiari, & hostis fieri, maximè si ab inuitis & possessiones & seruos habeat, ut nos habemus. Atque deos quidem putandum est nobiscum fore: non enim insidijs usi hæc iniustè possidemus, sed insidijs appetiti ultionem cepimus. Quod autem optimum sit uobis ipsis posthac, parandum est. Hoc autem est, ut qui imperant, dent operam ut subditis meliores sint. Aestus igitur ac frigoris, & ciborum & potuum, & laboris & somni, necesse est seruis etiam partem facere. Sed quorum eos participes facimus, in his enitendum est ut præcipuè meliores quàm ipsi esse uideamur. Scientiæ uerò militaris meditationisq; hi omnino participes faciundi non sunt, quos & operarios nostros & tributarios uolumus possidere: sed eos debemus hisce exercitationibus præstare, non ignari, deos hominibus demonstrasse hæc libertatis felicitatisq; instrumenta. Et quemadmodum illis arma abstulimus, ita nosipsos oportet sine armis nunquam esse: cùm bene nouerimus, quibus arma sunt semper proximè, hisce secundissima etiam esse quæcunque uelint. Quòd si quisquam talia cogitat, quid igitur nobis prodest peregisse quæ cupiebamus, si etiã opus fuerit tolerare & famescendo, & sitiendo, & curãdo, & laborando? Illud sanè sciendum est, eò bona maiorem afferre lætitiam, quò magis quis labore antecedente ad ea peruc-

Labores bonis obsonium.

niat. Labores enim obsonium sunt bonis. Nam si quis nulla re egeat, nihil adeò paretur sumptuosè ut suaue sit. Quòd si hæc nobis parauit numen, quæ homines cupiunt maximè, & aliquis quò suauiora uideantur hæc parabit sibi, uir huiusmodi tãto erit meliore cõditione, quàm qui uictu egeat, in fame suauissimos cibos cõsequetur, et in siti suauissimis potibus perfruetur, & cùm est opus quiete, suauissimè quiescet. Quapropter dico nunc nos decere intendere ad probitatem, quò tum bonis quãoptimè et quãsuauissimè perfruamur, tum eius simus imperiti quod est omniũ molestissimũ. Non enim ita molestum est bona non habuisse, quàm hunc qui bona habuerit, ijs priuari molestum. Cogitate etiã illud, qua posßimus induci causa, ut simus peiores quàm antea fuerimus. Vtrum quoniã imperamus? At nequaquã certè cõuenit esse principem quàm subditos improbiorem. An quoniam nunc uidemur feliciores esse quàm prius, ideo dicet aliquis uitiũ felicitatem decere? Num quoniã seruos adepti sumus, in hos animaduerte mus si improbi fuerint? Atqui quid attinet cùm sis ipse improbus, improbitatis aut nequitiæ causa alios punire? Vo biscũ præterea hoc animo uolutate, parasse nos multos alere & nostrarũ domorũ & corporum custodes. Sed quî turpius nõ sit, si putabimus spiculatorem consequi ad salutem nostrã, ipsi autem nobisipsis spiculatores non erimus? Atqui bene oportet nosse, non esse aliam custodiam talem,

Virtuti optima suiipsius custodia.

qualis si ipse quisquã honestus bonusq; sit: hoc enim consequatur oportet: ei uerò qui uirtute careat, neq; aliud quic quam decet pulchrè esse. Quid igitur censeo esse faciundum? & ubi uirtutem exercendam? & ubi meditandum? Nihil noui dicã, ô uiri amicissimi: sed quemadmodũ inter

Persas

Perſas homotimi in palatijs degunt, ita affirmo uos oportere cùm hîc eſtis, homotimos omnis exercere, quæ illic etiam exercebatis: & cùm me uidetis, conſiderate præſentes, ſi degero eorum diligentiã habens quæ oportet. Ego uos quoq; conſiderans intuebor, & quoſcunq; uideam honeſtis rebus bonisq; ſtudere, hos equidem honoribus proſequar. Ac filios quoq; quicunq; nobis naſcantur, hîc inſtituamus: ita enim & ipſi meliores futuri ſimus, ſi uelimus præbere noſmetipſos liberis noſtris quãoptima exemplã: & liberi ipſi nec etiam ſi uelint, facilè fiant improbi, quippe qui nihil turpe neq; uideant, neq; audiant, & in ſtudijs honeſtatis bonitatisq; uerſentur.

XENOPHONTIS DE PAEDIA CYRI LIBER OCTAVVS,

Franciſco Philelpho interprete.

CYRVS quidem ita locutus eſt. Chryſantas uerò poſt eum ſurgens, in hunc modum orationem habuit: Verùm ego, ô uiri, ſæpenumero etiã aliàs cogitaui, bonum principẽ nihilo differre à bono patre. Nam et parentes filijs prouident, ut bona his nunquã ſint defutura. Et Cyrus uidetur mihi nunc ea nobis conſulere, à quibus maximè in felicitate poſſimus ad ultimum uſque finem perſeuerare. Quòd autem mihi uidetur minus quàm oportuerat oſtendiſſe, hoc ego ijs enitar oſtendere qui ignorant. Cogitate enim, & quæ urbs hoſtilis capta ſit ab obedire nolentibus, & quæ amica ab ijs qui parêre nolint ſeruata ſit, quæ etiam obedientiam non præſtantium ſit acies uictoriam conſecuta. Quo autem pacto

Chryſantæ oratio.

magis homines uincantur in pugna, quàm ubi ceperint priuatim quisq; de sua salute consultare? Quod etiã aliud bonum præstetur ab ijs qui melioribus non parent? Quæ urbes legitimè habitentur? uel quæ domus seruentur? quo pacto naues quô opus sit perueniant? Nos uerò quæ hoc tempore habemus bona, ob quã rem alium magis adepti sumus, quàm ob præstitam obedientiã principi? Propter hoc enim & noctu & die, tum quamprimũ uenimus quô oportuit, tum frequentes principẽ sequentes nullo utebamur ocio: quæq; iussa erant, eorum nihil semiperfectum linquebamus. Si igitur principi obedire maximum apparet esse bonum ad bona adipiscenda, ita uobis exploratum esse debet, quòd etiam idem hoc ad seruandum quæ oportet maximum est bonum. Et antea quidem multi nobis imperabant, at imperabamus nemini. Nunc uerò ita parati estis quòd imperatis, alij quidem pluribus, alij uerò paucioribus. Quemadmodum igitur ipsi dignum esse existimatis uestris subditis imperare, ita etiam nos ijs pareamus quibus decet. Tantùm autem inter nos decet seruos q; interesse, quòd serui ipsi inuiti heris ministrant: nobis autem qui dignum putamus libertate uti, ultrò faciundum est quod plurimi uidetur æstimandum. Inuenietis quoque, ubi sine unius principatu urbs habitatur, quæ maximè uult parêre principibus, hanc minimè ab hostibus ad obediendum cogi. Adsimus igitur, ut Cyrus iubet, ad hunc principatum, & ea exerceamus quæ maximè continere poterimus, quæ oportet, atq; præstemus nosipsos ut Cyrus utatur ad quodcunque opus sit. Etenim ne hoc quidem latêre nos debet, nullo modo Cyrum inuenire posse rem ullam, in qua propter suum bonum nobis usurus sit,

Principi obedire maximum bonum.

non

non item propter nostrum: quoniã eadem nobis conducũt, & ijdem nobis sunt hostes. Postea quàm Chrysantas hæc locutus est, ita etiam alij multi surrexerunt & Persæ & socij eadem consentientes. Decretumq; est, ut uiri optimates semper adessent ad ianuas, seq; utendos præberent ad quicquid Cyrus uellet, donec eos dimitteret. Et quemadmodum tum est decretum, ita hoc etiam tempore hi faciunt qui in Asia sub regibus sunt constituti, celebrant principum ianuas. Sicuti uerò demõstratum est in hac oratione, Cyrum constituisse ad custodiendum principatum sibi & Persis, hæc item reges qui post illum secuti sunt, legitimè hac quoq; tempestate obseruant. Et hæc quoq; ita habent, quemadmodũ item alia: quãdo princeps melior sit, puriora iura cõstituit: quando uero deterior, nequiora. Ibãt igitur ad Cyri ianuas uiri optimates cum equis et lanceis, pro cõmuni consensu optimorũ uirorum omniũ qui imperium subiugarant. Cyrus uerò ad alia quidem constituit alios, qui diligentiã haberent. Erantq; ei & censuum susceptores, & datores sumptuum, & operum præfecti, & custodes possessionum, & rerum necessariarum ad uictum qui curam gererent. Atq; equorũ item, & canũ illos cõstituit diligentiam habere, quos existimabat reddituros hæc pecora ad usum suum quamoptima. Quos uerò putabat ad suæ felicitatis custodiam habendos, ut hi quamoptimi fierent, minimè rei huius diligentiã aliis imperauit, sed hoc suum esse putabat officiũ. Sciebat enim, si quando pugnandum esset, ex his esse sibi legendos, & qui interessent & qui præessent, quibus cũ maxima sunt pericula: et centuriones quoque peditumq; & equitum norat ex his esse constituendos. Quòd sicubi sine sese ducibus opus esset,

sciebat illos ex hisce mittendos esse. Sciebat etiam quibusdam horum utendũ esse custodibus ac satrapis et urbium & omniũ gentium, ac item oratores quosdam ex his mitti oportere, id quod ducebat in maximis esse rebus ad ea sine bello cõsequenda quibus egerent. Quare ubi nõ essent hi quales oportet, ex quibus maximæ ac plurimæ res fõrent gerendæ, futurum censebat ut res suæ malè haberent: sin hi essent qualis oporteret, putabat omnia pulchra fõre. Itaque ita sentiens, in hanc diligentiam accingebatur. Arbitrabatur præterea eandem uirtutis exercitationẽ si bi quoque esse debere. Non enim existimabat fieri posse, ubi ipse minus fõret qualem deceret, ut alios incitaret ad illustris bonasq; actiones. Hæc ubi cogitauisset, putauit primùm ocio opus esse, si uellet diligentiã habere rerum optimarum. Itaq; ut census negligeret, putabat haudquaquam fieri posse: quippe qui prouideret multam necessariò faciundam esse impensam in magnũ imperium. Præterea cùm multæ essent possessiones, si uellet ipse circa hasce uersari semper, sciebat multam sibi futuram occupationem in adhibenda diligentia circa omnium salutem. Itaque sic considerans, quò & res familiares rectè haberent, & ipse fõret ociosus, excogitauit quodammodo ordinem rei militaris. Nam ut plurimũ decuriones decuriarũ curam habent, & manipulorum ductores decurionum, et millenarij manipularium ductorũ, & qui decem millibus præsunt millenariorũ: & hoc pacto nemo negligitur, ne si admodũ multa quidem sint dena hominũ millia. Cumq; dux uelit uti ad aliquid agendum exercitu, satis est si ijs præcipiat, qui singulis denis millibus sunt præfecti. Vt igitur hæc habent hoc pacto, sic etiã Cyrus summatim complexus

plexus est domesticas actiones. Itaq; ei cum paucis loqui opus erat, quò neque res domesticas neglectui haberet: & exhinc maius ei ocium erat, quàm alij qui unam domum & unã curaret nauim. Quare cùm ita Cyrus res suas domesticas constituisset, docuit etiam suos milites ut hoc ipsi ordine uterentur. Sic igitur ocium & sibi parauit & militibus suis. Cœpit enim instruere cuiusmodi familiaris suos esse oporteret. Primũ, quotquot satis ali possent, alijs agriculturæ studentibus: hosce nisi adessent ad ianuas requirebat, ratus fore: ut qui adessent, hi nollent neq; malũ neq; turpe aliquid agere, tum quoniam essent apud principem, tum quia nossent à uiris præstãtissimis uideri quid agerent. Qui autem nõ adessent, hos arbitrabatur uel ob incontinentiam abesse, uel ob iniustitiam, uel ob negligentiam. Quare hoc ratus, cogebat huiusmodi uiros adesse, quoniam iuberet qui apud se esset maximè amicus, huic liceret eius bona capere qui non adesset, ac dicere sua capere. Cùm igitur hoc fieret, ueniebant cõtinuò hi quibus bona ablata essent, tanquam affecti iniuria. At Cyrus quidem diu huiusmodi uiris audiendis non attendebat: quos ubi audisset, disceptationem dijudicare in multum temporis differebat: quæ faciens arbitrabatur eos assuefacere ad præstandum obsequium, minusq; sibi fore inimicos quàm si ipse coëgisset per animaduersionẽ adesse. Vt igitur adessent, unus ei hic erat docẽdi modus: alius uerò, quòd præsentibus imperabat, & quæ facilima essent, & quæ maximè fructuosa: alius etiam, quòd nihil unquã absentibus tribuebat. Sed maximus necessitatis is erat modus, quòd si quem nihil horũ mouisset, auferebat ab eo eius facultates, & alij dabat quem putaret sibi tempestiuè adesse posse: et

ita utilis ei amicus pro inutili reddebatur. Requirit etiam qui nunc rex est, si quis eorum absit quos adesse conuenit. Qui ergo minus adessent, ita ijs Cyrus utebatur. Qui uerò seipsos præberent, eos putauit maximè ad res præclaras & bonas posse incitari, si ipse, qui in eos imperium gereret, operam daret, ut subditis declararet se omnium esse uirtute ornatissimum. Sentire enim uidebatur, etiam propter scriptas leges homines fieri meliores: at bonum principem ratus est uidentem legem esse hominibus, quoniam satis est qui & moderetur & uideat, puniatq; delinquentem. Ita igitur sentiens, primùm quidem seipsum hoc tempore ostendebat studere magis diuinis rebus, quoniam esset felicior. Et tum primùm statutum est, ut Magi, simulac dies illuxisset, laudarent deos, & singulis diebus ijs dijs sacra fierent, quibus Magi dicerent. Sic igitur quæ tum constituta sunt, hac etiam tempestate perdurant apud eum semper qui rex est. Itaque his in rebus primùm imitabantur eum alij item Persæ, rati se quoque felicioris fore si deos colerent, quemadmodum is qui felicissimus esset & princeps. Quæ facientes existimabant se Cyro rem gratissimam facere. At ille suorum pietatem sibi etiam conducere arbitrabatur, idem sentiens quod ij qui nauigare malunt cum pijs, quàm cum ijs hominibus qui impiè aliquid uideantur perpetrasse. Ad hæc secum animo reputabat, si omnes sui familiares pij essent in deum, minus eos uelle & inuicem & aduersus seipsum nefarij quicquam facere, qui se beneficum præstaret erga familiaris. Liquidùm præterea hoc faciens, se plurimi ducere quòd neminem neque amicum, neque socium afficeret iniuria, sed ius ipsum uehementer intuens, magis etiam

Bonus princeps uidens lex.

etiam alios à turpi quæstu abstinere arbitrabatur, per iustitiam uerò locupletari uelle. Atque pudore existimabat magis omnes affici, si ipse ostenderet ita se omnes uereri, ut neque dicere, neque facere turpe aliquid auderet. Hoc autem ex hac re ita fore cogitabat, quòd non principem solùm, uerumetiam eos quos minimè timent, magis pudentis quàm impudentis homines uerentur. Et mulieres item quascunque pudentis senserint, magis etiam qui eas uident, pudori habere uolunt. Et obedientiã quoque ita rebatur maximè permanere in suis posse, si manifestò magis eos honoraret qui sine excusatione obedirent, quàm qui maximas etiam laboriosissimasq; uirtutes præstare uiderentur. Hoc autem sentire ita & facere perseuerabat. Cumq; suipsius temperantiam ostenderet, faciebat ut eam magis omnes exercerent. Cùm enim uideant homines, cui maximè licet uti cõtumelia, hunc uiuere temperanter, ita magis imbecilliores ipsi nulla uti contumelia uideri uolunt. At pudorem & temperantiam hac ratione diuidebat, quòd pudentes, quæ turpia sunt, in propatulo fugerent: temperantes uerò ac pudentes, etiam in obscuro. Et continentiam hoc pacto maximè arbitrabatur exercendam, si sese ipse ostenderet minimè per subitas uoluptates abstrahi à bonis actionibus, sed potius laborem suscipere primum unà cum honestate uelle sese quàm uoluptates. Ergo Cyrus cùm talis esset, facit ut in foribus multa esset deteriorum modestia cedentium melioribus, multus etiam pudor atque decorum inuicem. Insuper etiam cognoscere, illic neminem neque irasci clamore, neque gaudere risu per contumeliam: sed si eos uideres, uerè existimares uiuere decorè. Res igitur huiusmodi

facientes uidentesq; degebant in foribus. Præterea bellicæ exercitationis gratia eos ad uenationem educebat, quibus hæc exercenda existimabat: hanc exercitationem rerum bellicarum esse omnino ratus optimam, equestris autem uerißimam. Hæc enim in omnifariam locis equitãtes maximè ostendit, quoniam insequi oporteat feras fugientis: & hæc item reddit ab equis maximè agilis ad efficiendũ opus, quoniam capiantur & cupiditate & honoris studio: & hic etiã maximè familiaris assuefaciebat ad ferendam & cõtinentiam, & labores, & frigora, & calores, & fãmem ac sitim. Atque hoc etiam tempore rex ac regis familiares hæc assiduè faciunt. Quòd igitur existimaret neminem imperare decere, qui melior subditis non esset, & ex antedictis omnibus patet, et quoniam ita suos exercẽs, multò etiam magis ipse exercebat & continentiã, & bellicas artis meditationesq;. Etenim ad uenationẽ alios educebat, quando aliqua manendi necessitas nõ esset: at ipse in necessitate quoq; domi uenabatur eas feras, quæ in hortis alebantur. Atq; ipse nunquam antequam sudasset cœnam capiebat, nec equis priusquam essent exercitati, pabulum injiciebat. Quinetiam ad hanc uenationem inuitabat sceptriferos suos. Itaque longè ipse in omnibus honestis operibus excellebat: longè etiam sui præstabant ob exercitationem assiduam. Et de se quidem tale præbebat exemplum. Præterea alios quoque & muneribus & magistratibus & consessibus & omnibus donabat honoribus, quos maximè intueretur quæ honesta sunt sequi. Itaque multam omnibus injiciebat ambitionem, quò quisq; Cyro optimus uideretur. Insuper de Cyro uidemur didicisse, quòd non hac re solùm decere existimabat principes subditis

ditis præstare, quòd ijs forent meliores, sed etiam existimabat opus esse ut eos deciperent. Itaque elegit stolam Medicam & ipse ferre, & ut familiares ea induerentur persuasit. Hæc enim uisa est ei occultare, si quis defectum aliquem haberet in corpore: præterea ea indutos & pulcherrimos & maximos ostendere. Etenim calceos talis habent, in quibus qui eos ferunt clàm aliquid subijciant, quò maiores esse uideantur quàm sunt: sinebatq; ut oculos suppingerent coloribus, quò pulchrioribus quàm essent oculis esse uiderentur: & fricarētur, ut melius uiderentur colorati quàm natura essent. Exercuit eos insuper, ut neque spuere, neque mucum emittere apparerent: præterea ne ad quenquam spectandum conuerterentur, perinde quasi mirarentur nihil. Omnia uerò hæc existimabat aliquid afferre, quò minus forent subditis contemptui. Quos igitur censebat dignos qui alijs præessent, ex seipso ita composuit, ut & meditarentur & uenerabiliter ijs præessent. Quos uerò constituit ad seruiendum, horum neminem incitabat ad meditandos ingenuos labores, neque permittebat ut haberēt arma: uerùm curabat ut neq; sine cibo unquam essent, neque sine potu, ingenuarum meditationum gratia. Etenim quando agerent feras in campos equitibus, cibum in uenationem his ferre permittebat, liberorum autem nemini: & quando iter faciundum esset, agebat eos ad aquas ut iumenta. Cumq; esset prandendi tempus, eos expectabat, donec aliquid essent, ne esurirēt. Itaque hi quoque eum, ut uiri optimates, patrem uocabant, quòd suijpsorum haberet curam, quò indubitatò semper mancipia forent. Atque uniuerso quidem Persarum imperio hoc pacto parauit securitatem: sibi uerò ne à subiu-

gatis periculi quicquam esset ad nocendum, ualde securus erat. Etenim existimabat eos esse mollis, quos etiam in temperantis intueretur. Præterea neq; horum quisquam ei appropinquabat, neq; noctu neq; interdiu. Quos autē & optimos putabat, armatosq; ac frequentis intuebatur, aliosq; eorum equitum esse duces, alios peditum, multos etiam eorum animis elatis esse sentiebat, ut qui satis essent ad imperandum, hi & eius custodibus maximè erant proximi, & Cyro ipsi horum multi sæpe cōmiscebantur: necessariò enim his erat usurus. Per hos igitur ei periculum erat maximè, ne quid pateretur multis modis. Quare considerans quò ab ijs tutus esset, his quidem auferre arma, atque eos imbellis reddere reprobauit, & iniustum id ducens, & imperij solutionem hoc arbitratus. Quod rursus eos non admitteret, seq; ostenderet fidem his non habere, arbitrabatur principium esse belli. Vnum autem quiddam horum omnium nouit & optimū esse ad securitatem sui & pulcherrimum, si facere posset eorum præstantissimos sibi amicioris, quàm ipsi inter se forent. Quomodo igitur uidetur nobis adeptus ille eorum amorem, hoc enitemur ostendere. Primò enim assiduè semper humanitatē animi maximè quoad poterat declarabat, existimās, quemadmodum non facilè est illos amare quibus se odio esse putant, neque benenolos esse maleuolis: ita etiam qui cogniti fuerint amare & benenoli esse, haudquaquam fieri posse ut his odio sint qui amari sese arbitrantur. Donec igitur pecunijs imbecillior fuit ad beneficium conferendū, tum prouidendo socijs ac familiaribus, tum prospiciendo, tum quòd perspicuū faceret se lætari eorum bonis, malisq; tristari, hisce rebus studebat amicitiam uenari. Vbi autem factum

ctum est ut ipse posset pecunijs esse beneficus, uidemur sanè cognoscere, nullum esse ab eodem sumptu beneficium hominibus erga homines gratius, quàm ciborum potuumq; collationem. Hoc autem Cyrus ita ratus, primũ constituit ad mensam suam, ut quibus ipse conuiuium faceret, his similia semper esculenta ac sibi apponerentur, quæ satis essent permultis hominibus. Quæcunque autem apposita essent, hæc omnia præterea quibus ipse conuiuaq; uterentur, distribuebat, quibus uellet amicorum memoriam ostendere uel benignitatem. Mittebat etiam singillatim ad hos quibus delectaretur aut in custodijs, aut in famulatibus, aut in quibuscunque actionibus: hoc sanè significans, quòd se non lateret, ea esse illos uoluntate, ut sibi gratificarentur. Honorabat etiã seruos à mensa, cùm aliquem laudaret: & uniuersum seruorum cibum in sua mensa ponebat, ratus etiam hac re inducere in eos quandam beneuolentiam, quemadmodum in pueros. Quòd si quem ex amicis uellet à multis coli, ad hos quoque mittebat à mensa. Etenim nunc item quibus uideant aliquid mitti à mensa regis, hos omnes magis colunt, rati eos esse honorificos, & qui satis sint ad transigendum si qua re egeãt. Præterea, non solùm horum quæ diximus gratia delectant ea quæ mittuntur à rege, uerumetiam quia uoluptate certò plurimum præstant quæ à regis mensa mittuntur. Quam rem ita habere non est mirandum. Nam quemadmodum aliæ artes in magnis urbibus excellentius laborantur, eodem modo regis esculenta sunt longè præstantius laborata. In paruis enim urbibus ijdem faciunt lectum, ualuas, aratrum, mensam. Persæpe etiam hic idem & ædificat, & contentus est, si adipiscatur hoc pacto à quibus per da-

tas operas ipse sat ali queat. Non ergo fieri potest, ut qui multis utitur artibus, is homo omnia pulchrè faciat. At in magnis urbib. quia multi singulis egent, satis est una etiã cuique ars ad alendum: ac sæpe ne tota quidem una, sed calceos facit hic uirorũ, ille mulierum. Est etiam ubi alter qui calceos facit, eos neruo solùm consuens sibi uictum parat, alter autem scindens: hic tunicas duntaxat incidens, ille uerò faciens horum nihil, sed incisa componẽs. Necessariò igitur qui in breuissimo uersatur opere, hic etiam optimè cogitur hoc facere. Idem etiam hoc patiuntur, quæ pertinent ad uictum. Cùm enim idem lectum sternit, mensam ornat, massam & obsonia aliàs alia atq; alia facit, necesse est hunc ita in ijs habere ut singillatim accidit. Vbi uerò satis est operis uni unum, carnes elixare, alij assare, alij item piscem elixum facere, alij assatũ, alij uerò facere panes, & ne hos quidem multiplices, sed satis est si præbeat speciem unam pulchrè, necesse sit, ut arbitror, hæc quæ ita fiunt longè excellentius facta esse. Qui igitur res faceret huiusmodi, esculentorum cultu longè omnes excellebat. Vt uerò alijs item rebus obsequens Cyrus longè præstabat, hoc equidem nunc enarrabo. Nam cùm multò cæteris hominibus superior esset in plurimis censibus capiundis, multò etiam magis eos superabat in donandi magnitudine. Cyrus igitur hoc incepit, quod hac quoq; tempestate in regibus perseuerat in magnis muneribus faciundis. Cui enim ditiores amici ostenduntur quàm Persarum regi? Quis etiam pulchrioribus uidetur stolis suos ornare quàm rex? Cuius dona cognoscuntur ut regia quædam, armillæ, torques, equi frænis insignes aureis. Non enim licet illic cuiquam hæc habere, cui rex non dederit.

Quis

Quis item alius dicitur donorum magnitudine efficere, ut rex anteponatur fratribus, parentibus, filijs? Quis alius quoq; potuerit inimicos distantis multorũ dierũ itinere, punire ut rex Persarum? Quis præterea alius qui subiugasset imperium, est à subditis uocatus pater, cùm diem obijt, quàm Cyrus? Hoc autem nomen benefici uidelicet magis est, quàm auferentis. Dicimus præterea Cyrum & regis oculos, qui uocantur, & regis auris non aliter adeptum esse, quàm munerando honorãdoq;. Cùm illos enim magnis afficeret beneficijs, qui nunciassent quæcunque sibi pro tempore essent audienda, fecit ut homines multi, & auribus audirent, & oculis uiderent, quò nuncijs suis utilitatem regi essent allaturi. Hinc igitur existimati etiam sunt, multi esse oculi regis, & multæ aures. Quòd si quis putat unum expetendum oculum regi esse, non rectè putat: unus enim pauca et uideat & audiat, essetq; alijs quasi negligentia quædam indicta, si hoc uni foret imperatum. Præterea, quem cognoscerent esse oculum, hunc scirent cauendum esse. Sed non ita habet. At rex omnes audit, qui dicunt se aliquid audisse aut uidisse dignũ diligentia. Sic igitur multæ existimãtur esse regis aures, & multi oculi, metuuntq; ubique ea dicere quæ minus regi conducant, tanquam eo uidente: & ea facere quæ non prosint, quasi eo præsente. Non modò nemo ausus esset memorare mali quicquam de Cyro cum aliquo, sed ita quisque erat affectus, tanquam esset in omnibus oculis atq; auribus regis præsentibus semper. Quòd autem ita homines erga eum essent affecti, equidem nescio quam aliquis causam potiorem afferat, quàm quòd pro paruis magna beneficia referret. Et quòd magnitudine munerum excelle-

Regis multi oculi ac aures.

ret,nõ est mirandum, quoniam esset ditissimus. Sed quòd cultu ac diligentia,qui rex esset, amicos anteceller et, hoc sanè admirabilius. Ille igitur narratur nullare, ubi superaretur, ita manifesto pudore affici consuesse, ut amicorum cultu. Et eius oratio memoriæ prodita est,cùm diceret similia esse opera boni pastoris & boni regis. Nam & pastorem decere,qui pecora faceret felicia, ijs uti quæ pecudum est felicitas. Et regem itidem decet urbes atque homines felices facientem,ijs uti. Nihil igitur mirabile si hac esset sententia,ut pertinaciter uellet omnis homines obsequio præstare. Pulchrum etiam documentum Cyrus dicitur Cræso demonstrasse,quando ab eo admonebatur, fore ut in multa largitione pauper fieret, cùm liceret ei uniuiro quamplurimos auri thesauros domi reponere. Et Cyrum dicitur percunctatum: Et quot iam mihi pecunias futuras fuisse arbitraris,si aurum collegissem, ut ipse iubes, ex quo tempore sum in imperio? Cræsumq; respondisse, magnum quendam numerum. Atque Cyrum ad hæc dixisse: Agè igitur Cræse,mitte uirum unà cum hoc Hystaspa,cui tu maximè credis. Tu uerò Hystaspa circumadiens amicos, dic eis,me auro egere ad opus quoddam: etenim uerò egeo: eisq; iube, mihi præbeant pecunias quascunque singuli queant: scriptam autem obsignatamq; epistolam dent ferendam Cræsi famulo. Hæc autem quæcunque dixerat,cùm scripsisset obsignasset q; literas, eas Hystaspæ ad amicos dedit,scripsitq; ad omnes ut Hystaspam exciperent ut amicũ suum. Cùm igitur amicos circuisset Hystaspas,& Cræsi famulus epistolas tulisset, ait Hystaspas: O rex Cyre, etiam me iam ut diuite decet uti: adsum enim multis donatus muneribus ob literas tuas. Et

Regis & pastoris comparatio.

Cyrus

Cyrus ait: Vnus igitur iam etiam hic nobis Crœse thesaurus est: alios uerò ipse intuere, & supputa quot pecuniæ sunt paratæ, si quid mihi utendum sit. Supputatis igitur Crœsus pecunijs, multò plures inuenit quàm Cyro dixerat futuras fuisse iam in thesauris, si eas collegisset. Quod ubi patuit, Cyrus dixisse traditur: Vidés ne Crœse mihi quoque esse thesauros? At ipse mihi iubes, ut eos collectos apud me habeam, ut propter eos & inuidiæ sim & odio, ac fidem habeam mercenarijs custodibus, quos ijs præfecerim. At ego dum amicos diuites reddo, hos mihi thesauros esse puto, & custodes simul tum mei ipsius, tum meorum bonorum longè fidelioris, quàm si præsidiarios stipendiarios præfeciſſem. Atque aliud item dicam tibi: Ego enim Crœse, quod dij dederunt animis hominum, qui omnes similiter pauperes fecerunt, hoc ne ipse quidem possum esse superior, sed insatiabilis sum pecuniarum, quemadmodum alij. Verùm ego hoc mihi uideor multitudini præstare, quòd hi posteaquàm plus quàm satis est adepti fuerint, alias suas pecunias defodientes, alias marcescere facientes, alias numerantes, metiẽtes, expendentes, uentilantes, custodientesq;, turbationes habent. Et ipsas tamen cùm intra ædes tot habeant, neque comedunt plus quàm ferre possunt: frangerentur enim: neque induuntur plus quàm ferre etiam queunt: suffocarentur enim. Sed pecuniæ superuacaneæ negocia afferunt. Verùm ego colo deos, ac pluris pecunias semper desidero, quas cùm adeptus fuero, quæ mihi uideo superesse, his indigentias amicorum leuo, & diuitijs homines & beneficijs prosequens, ex ijs beneuolentiam & amicitiam mihi comparo. Pecuniarum Ex ijs uerò hominibus, fructus mihi fit securitas & bona usus.

nominis fama, quæ neque marcescunt, neque quò plura sunt, corrumpuntur. Sed gloriæ quò plus est, eò & maius & melius, et ad ferendum fit leuius: sæpe etiam magis eos leuat, à quibus fertur. Vt autem hoc etiã scias Crœse, ego non eos felicißimos duco, qui pecunias plurimas habeant & custodiant (hoc enim pacto qui muros custodiunt, essent felicißimi, quippe qui omnia quæ sunt in urbibus custodiant) uerùm qui & cõparare plurimas pecunias iustè poßit, & ijs uti honestè plurimis, hunc ego felicem esse puto, eiusq; pecunias. Atq; hæc Cyrus dilucidè faciebat, quemadmodum etiam dicebat. Ad hæc, cùm Cyrus cogitasset permultos homines, si quidem bona ualetudine utantur, parari ut sint necessaria habituri, eaq; reponere quæ usui sunt ad uictum bene ualentiũ: ut autem si ægrotarint afforent utilia, huius rei non admodũ eos habere diligentiam uidebat. Itaque existimauit circa hæc quoque sibi elaborandũ, medicosq; optimos ad sese accersiuit ut cum his loqueretur: & quæcunque uel instrumenta utilia esse dixisset aliquis eorũ, uel medicamenta, uel esculenta, uel potulenta, hæc omnia parata seruabat apud sese. Quòd si quos curari maximè expediret, uisebat quis eorũ ægrotaret, quod esset curandi tempus, præbebatq; omnia quibus opus esset. Habebat etiam medicis gratiã, cùm quis sanasset quenquã eorum qui Cyri essent, quem curandũ suscepisset. Hæc igitur & huiusmodi permulta moliebatur, ut apud eos excelleret, à quibus amari uellet. Quarũ autem rerũ et certamen pronunciabat, ac præmia proponebat, uolens inijcere contentionẽ de pulchris bonisq; operibus, hæc Cyro quidem laudem afferebant, quòd curaret ut uirtus exerceretur. At optimatibus hæc certamina inuicem

Felix quis.

inijcie-

inijciebant & lites & peruicacias. Insuper & legem Cyrus constituit, quæcunq; dijudicanda essent, siue ciuili causa, siue concertatione, ut hi quibus dijudicatione opus esset, refugium haberent ad iudices. Perspicuum igitur est deligere solitos ipsos aduersarios ambos, iudices optimos & amicissimos. Victus autem, his qui uicerant inuidebat: & qui non pro se sententiam tulissent, eos oderat. Qui autem uicerat, simulabat iure uincere, itaq; existimabat gratiam debere nemini. Et qui amicitia primi apud Cyrum esse uellent, quemadmodum in urbibus alij, ita etiam hi inuidè inuicem habebant. Itaque plures malebant alter alterum è medio tolli, quàm unà agere inuicem boni quicquam. Et hæc declarant Cyrum moliri solitum, ut hi qui potentissimi essent, magis eum amarent quàm seipsos inuicem. Nunc autem iam enarrabimus, quo pacto primùm Cyrus egressus est è regia: etenim emissionis uenerabilitas uidetur nobis ars una ex his quæ moliũtur, ne imperium sit contemptui. Itaq; primùm antequàm egrederetur, uocatis ad se & Persis & alijs, qui præerant magistratibus, distribuit eis stolas Medicas: & tum primùm Persæ Medicam stolam induti sunt. Et cùm eas distribueret, simul hæc uerba ad eos loquebatur: se ire uelle ad delubra dijs immortalibus constituta, ac simul cum illis sacra facere. Adeste igitur, inquit, ad fores stolis hisce ornati ante solis ortum, constituiminiq; quemadmodũ uobis uerbis meis nunciarit Pheraulas Perses: cumq; ipse ducam, eritis in ea quæ uobis dicta fuerit regione. Quòd si uestrùm alicui aliter uidetur melius quàm ut nunc eamus, cùm reuerterimus is me doceat. Vt enim pulcherrimum atque optimum esse uobis uideatur, ita singula cõstituenda sunt. Vbi

Cyri progressus

autem primarijs distribuit stolas pulcherrimas, extulit alias quoq; stolas Medicas. Permultas enim parauerat nihilo parcens, neq; purpureis, neq; ferrugineis, neq; puniceis, neq; carycinis uestibus. Cumq; horum amictuum partem singillatim distribuisset inter duces, his iussit ut amicos suos hisce uestibus ornarent, quemadmodum, inquit, uos estis à me ornati. Et quidã ex præsentibus eum interrogauit: Tu, inquiens, ô Cyre, quando ornabere? Respondit autem Cyrus: Non enim uideor nunc uobis ipse ornari, dum uos orno? Planè, inquit, si quẽ in uos amicos esse beneficus, apparebo etiã in stola quam habeo pulcherrimus. Sic igitur illi abeuntes, accersitos amicos stolis ornabant. At Cyrus arbitratus Pheraulam, qui erat ex ordine plebeio, & callidum esse, & honestũ, & modestum, & sibi gratificandi studiosum, qui olim de singulis pro dignitate honorandis internuncius fuisset: hunc ubi uocasset, consuluit quo pacto esset facturus, ut emissio beneuolis uisu pulcherrima fieret, inimicis autem maximè formidabilis. Vbi uerò ipsis cõsiderantibus eadẽ ambobus sunt uisa, Cyrus Pheraulæ iussit curandum ut cras ita fieret emissio, ut uisa est pulchrè habere. Ego enim dixi, ut tibi de emissionis ordine parèrent omnes. Verùm quò libentius te præcipientem audiant, fer tecũ hasce tunicas ad stipatorũ duces: equitibusq; uocatis, dato has etiam equitum ducibus, & curruũ ductoribus hasce alias tunicas. Pheraulas igitur ferebat tunicas acceptas. Quem duces ut uiderũt, dicebant: Magnus iam sanè tu es Pheraula, quãdoquidem iussurus es nobis faciunda. Non equidem, respondit Pheraulas. Non solùm enim nõ iubebo, ut uidetur, sed unà feram etiam sarcinas. Itaq; nunc fero hos duos amictus, alterum

alteri;

alteri: & tu quidem horum cape utrum ipse uis. Exhinc igitur ille accepto amictu, inuidentiæ erat oblitus, continuoq; cum consulebat utrũ caperet. At Pheraulas ubi consuluisset uter esset melior, dixissetq; : Si me accusaueris quòd tibi optionem dederim, rursus cũ ministrauero me utere altero ministro. Pheraulas cũ ita ut iussus fuerat tunicas distribuisset, continuò ea curabat quæ ad egressionẽ regiam pertinebãt, quò singula habitura essent quampulcherrimè. Cùm uerò dies posterus factus esset, omnia ante lucem erant pura atq; expedita. Ordines steterant & ab hac & ab altera parte uiæ, quemadmodũ hoc etiam tempore stant, quà rex est ingressurus, intra quos nemo ingredi potest qui minus sit ex honoratis. Flagriferi etiam steterant, qui uerberarent si quis turbaret. Steterant autem primũ stipatores circiter quatuor millia ad quaternos ante portas. Duo millia uerò ex utroq; portarũ latere, aderantq; omnes equites qui ex equo descẽderãt, sublatis manibus per candyas uestis. Et nunc etiam eas tollunt quãdo uidentur à rege. Et Persæ quidem stabant ad dexterã, sed alij socij ad læuã uiæ partẽ: & curruũ eodẽ modo utrinq; dimidium. Sed ubi patefactæ sunt portæ ipsius regiæ, primũ agebãtur tauri Ioui optimo maximo perpulchri quaterni, & ijs dijs alijs quos Magi sunt interpretati. Putant enim Persæ, multò magis artificib. esse utendum erga deos immortalis, q̃ circa res alias. Post boues autem agebantur equi, ad Solis sacrificiũ. Post hos aũt educebatur currus albus coronatus iugo aureo, qui esset Ioui sacer. Post hunc agebatur etiã Solis currus cãdidus, et is coronatus ut anterior. Post hunc etiã alius tertius currus educebatur, cuius equi stratꝰ erãt puniceis instratis, et post eũ uiri sequeban

tur, qui ignem portarent in magno quodã foco. Post hæc uerò iam ipse Cyrus apparebat ex portis super currum, rectam tiaram habens, tunicamq; purpuream pari albo distinctam: alij uerò semialbam habere non licet: & circa crura periscelidas hedereo colore infectas, & candyn purpureum totum. Habebat etiam diadema circum tiaram, atq; eius cognati idem hoc habebãt signũ. Et hoc etiã tempore hoc idem habent. Manus uerò habebat extra manicas. Comitabatur autem eum auriga magnus quidem, sed minor sanè quàm ille, siue re ipsa minor, siue quomodo cunq;. Verùm Cyrus longè maior uidebatur, quem omnes intuentes adorauere, siue quòd alij iussi essent incipere, siue quòd etiam stupefacti ob apparatum, & quòd Cyrus & magnus uideretur & pulcher. Antea uerò Persarum nemo adorabat Cyrum. Sed cùm procederet Cyri currus, procedebant hi stipatores quatuor millia. Iuxtà autem sequebantur insuper qui eum circundabant sceptriferi in equis ornati, unà cum pilis circiter trecenti. Ducebantur præterea equi à Cyro nutriti, qui haberent fræna aurea, amictibusq; uirgatis strati essent, circiter ducentis. Et post hos hastiferi duo millia. Dein uerò equites qui primi facti sunt decem millia, instructi undique in centenos, quibus Chrysantas præerat. Post quos sequebantur Persarũ equites alij decem millia, eodem instructi modo, quibus Hystaspas præerat. Et post hos alij decem millia identidem, quibus præfectus erat Dutamas. Et post hos alij, quorum dux erat Gadatas. Post hos uerò sequebantur Medi equites, dein Armenij. Post Armenios Hyrcanij, post Hyrcanios uerò Caduſij sequebãtur. Post equites autem sequebantur currus quaterni instructi, quibus præfectus

Eius erat Artabates Perſes. Sed cũ Cyrus iter faceret, permulti homines ſequebantur extra ſigna, alius rem aliam rogãtes. Quare Cyrus cùm ad eos miſiſſet quoſdam ex ſceptriferis, qui eum terni ſequebantur iuxtà ex utraq; parte currus, rei huiuſce cauſa ut nunciarent, iußit ut ijs dicerent, ſi quis aliquid ab eo uellet, id doceret aliquẽ ex prætoribus, quoniam illos diceret rem ſibi dicturos. Quare illi abeuntes continuò inter equites pergebant, conſultantes quem quiſque adiret. At Cyrus quos maximè ex amicis uellet ab hominibus coli, hos miſſo aliquo ſingillatim ad ſe uocabat, & his ita dicebat: Si quis horum qui me iuxtà ſequuntur, uos aliquid doceat, qui uobis uiſus fuerit nihil dicere, nolite ei attendere. Qui uerò iuſtis rebus egere uidcantur, mihi nunciate, quò per publicam conſultationem eos expediamus. Alij igitur cùm uocaret uehementer gradientes obediebant, imperium cum Cyro acturi, oſtendentesq; uehementer ſe parêre. Erat Daiphernes quidam incultis moribus, qui putabat, ſi minus celeriter obediret, liberiorem ſe uiſum iri. Quod Cyrus cùm ſenſiſſet, priuſquàm ſe is adiret, ſecumq; diſſereret, clàm miſſo quodam ex ſceptriferis, iußit ut ei diceret, quòd nihil amplius eo ſibi opus eſſet, ac cæterùm non uocabat. Vt autem qui poſt eum uocatus eſſet, prius quàm ipſe obediuit, acceſſit Cyrus, eiq; equum dedit ex ijs qui iuxtà ſequebantur, iußitq; ſceptrifero cuidã, illum ut ei ageret, quò ipſe iuſſiſſet: quod quidem uidentibus uiſum eſt honorificũ quiddam eſſe: exhinc multò plures homines eum colebant. Sed ubi uenerunt ad delubra, ſacrum fecere Ioui, totosq; tauros cremauerunt: dein Soli totos equos cremauere, poſtea Telluri immolauerunt, ut Magi interpretati ſunt: dein

heroibus Syriam habitantibus. Post hæc uerò quoniam locus pulcher esset, calcem demonstrauit ut ad quindecim stadia eius loci, & dixit ut per tribus totis uiribus hîc equos admitterent. Vnà igitur cum Persis ipse immisit ac uicit: nam maiorem in modũ Cyro equestris cura fuerat. E Medis uerò Artabates uicit: nam equum ei dederat Cyrus. E Syris uerò omnibus Gadatas. At ex Armenijs Tigranes. Ex Hyrcanijs autem Hipparchi filius. At ex Sacis priuatus uir quidã equo suo alios reliquit equos, cùm esset prope dimidium curriculi. Hîc igitur dicitur Cyrus interrogasse adolescentem, si regnum admitteret pro illo equo, illumq; respondisse, Regnũ equidem minimè admitterem, uerùm locare gratiam apud uirum bonum, admissurus essem. Ad quem inquit Cyrus: Atqui ostendere tibi uolo, ubi si uel clausis oculis iacias, non aberres à uiro bono. Omnino igitur, inquit Sacas, sublata manu ostende mihi, ut hac sublata gleba illum feriam. Ac Cyrus demõstrat ei ubi suorum amicorum erant plurimi. Hic uerò clausis oculis immisit glebam, & equo transcurrentem Pheraulam assequitur. nam casu Pheraulas quiddam nunciabat, quod Cyrus iusserat. Qui percussus ne conuersus est quidem, sed pergebat id acturus, cuius gratia iussus fuerat. Sacas uerò respiciẽs, interrogat quem esset assecutus. Non per Iouem, inquit, quenquam es ex præsentibus assecutus. Sed minimè quidem, inquit adolescens, ex absentibus quenquam. Ita mediusfidius, inquit Cyrus: tu quidem illum percussisti, qui equum celeriter inter currus immittit. Et quomodo, inquit, non conuertitur? Ad quem inquit Cyrus: Insanus quidam est, ut uidetur. Quod audiens adolescens, ibat quinam esset cõsideraturus: inuenitq;

Phe-

Pheraulam, cuius barba & terra referta erat & sanguine, qui percusso ei fluebat ex nare. Sed ubi Pheraulam adisset, interrogauit si percussus esset. Cui ille respõdit: Vt uides. Do igitur tibi hunc equũ, inquit adolescens. At Pheraulas interrogauit, cuius rei gratia. Exhinc Sacas rem ei narrabat, dixitq; postremò: Et equidem puto nõ aberrasse à uiro bono. Ad quem respondit Pheraulas: At ditiori quàm mihi, si saperes, eum dedisses. Nunc uerò ego quoq; equum admittã. Oro autem deos qui fecerũt ut abs te percuterer, mihi dent ut faciã ne pœniteat huius muneris erga me. Atq; nunc tu, inquit, abequita in meum equũ ascendens, rursus ego ad te ibo. Ita quidem hi inuicem à se discesserunt. Ex Caduſijs uerò uicit Rhadines. Dimisit autem currus singillatim Cyrus, & qui uicissent dedit omnibus tum boues, quò ubi sacrificassent uescerentur, tum etiam pocula. Itaq; bouem accepit ipse victoriæ præmium: sed ex poculis partem suã Pheraulæ dedit, quoniã uisus esset eius egressionem è regia pulchrè instruxisse. Itaq; ut tum Cyrus constituerat, ita etiã hoc tempore perseuerat regis egressio, nisi quòd hostiæ desunt quando nõ sacrificet. Sed postaquàm hæc finem habuerũt, in urbem redeunt, et cõsederũt hi quidem quibus ædes datæ fuerant, in ædibus: quibus aũt non datæ fuerant, in ordine. At Pheraulas inuitato Saca, à quo equũ acceperat, et munera ei dedit, et alia præbuit affatim. Cumq; cœnati essent, impletis poculis quæ acceperat à Cyro, et propinauit, & ea largitus est Sacæ. At Sacas uidens multũ quidẽ ac pulchrũ stratũ, multum etiã pulchrũq; apparatũ, ac famulos itẽ multos: Dic, inquit, mihi Pheraula, num etiã domi es ex diuitũ ordine? Ad quẽ Pheraulas respõdit: Quorũ diuitũ? Ex illorũ sanè

sum ordine, qui sibi manibus uictũ parant. Nam me pater instituit puerorũ disciplina, cùm ipse parcè operaretur, aleretq;. Sed ubi in adolescentiã excessi, cùm me nequiret ociosum alere, in agrum deduxit, iussitq; ut opus facerem. Hìc igitur ego illum alui contrà, donec uixit: ipse terram uertens ac serens, & agellum sanè admodum paruum, nec malum quidem, sed omnium iustissimum. Quodcũq; enim cepisset semen, pulchrè iusteq; reddebat, & ipsum & fructum sanè multum: quandoque tamen ob generositatem duplo ijs plura reddidit, quæ acceperat. Domi igitur ego uiuebam ita: nunc uerò hæc omnia quæ uides, Cyrus mihi dedit. Et Sacas inquit: O beate quidẽ tu, cùm ob alia, tum propter hoc ipsum, quòd ex paupere diues es factus. Multò enim te arbitror ob hanc etiam rem suauius diuitem esse, quòd cùm pecuniarum fame tenereris, factus es diues. Ad quem Pheraulas respondit: Num enim ita Saca existimas, me nunc eò uiuere iucundius quò plura possideo? An ignoras me & comedere & bibere & dormire nullo modo nunc iucundius, quàm tunc cùm erã pauper? Quòd autem hæc sunt mihi permulta, tantum mihi est lucri, quòd plura me oportet custodire, plura alijs tribuere, & quò plura curo, eò mihi plura esse negocia. Nunc enim famuli multi cibum à me petunt, multi potum, multi amictus, alij egent medicis. Venit etiam aliquis qui ferat pecudes à lupis absumptas, aut boues præcipitium passos, aut morbum pecora dicens inuasisse. Itaq; mihi uideor magis tristari quòd nunc plura possideã, quàm antea quòd pauca haberem. Verũ, inquit Sacas, cùm salua esse multa intueris, multò magis lætaris quàm ego. Ad quem respõdit Pheraulas: Nequaquã Saca ita iucundum est habere pecu-

Multa possidentibus, multa curanda.

nias,

nias, ut molestum eas amittere. Noueris autem me uera dicere. Nemo enim diues cogitur uigilare propter uoluptatem: sed neminem eorum uides qui aliquid amiserint, præ dolore posse dormire. Mediusfidius, inquit Sacas, neque illorum quenquam qui aliquid acceperint, somnolentum uideas præ uoluptate. Vera, inquit, narras: si enim aliquid habere ita suaue esset, ut accipere, diuites multò felicitate præstarēt pauperibus: sed necesse est etiā Saca, qui multa posidet, eum facere multū etiam sumptum & erga deos, & erga amicos, & erga hospites. Qui igitur ualde pecunijs delectatur, certò scito hunc etiam ualde tristari si sumptum faciat. Per Iouem, inquit Sacas, ego non sum ex horum numero: sed hanc rem felicitati dandam puto, eum facere multum sumptum, qui multa posideat. Quid igitur, per deos immortalis, inquit Pheraulas, non ipse quamprimū fias admodum felix, & meipsum felicem facias? Accipe enim hæc omnia, ac posside, ijsq; utere pro uoluntate tua, meq; aliud nihil quàm ut hospitem ale, & tenuius quoque quàm hospitem. Satis enim mihi futurum est, quodcunque etiam ipse habeas, quòd horum sim particeps. Iocaris, inquit Sacas. Et Pheraulas iureiurādo affirmauit seriò loqui se. Et alia quidem tibi Saca imperabo, inquit, à Cyro, ut neq; eius fores te curare oporteat, neq; in expeditionem ire, sed tu diuitijs abundans domi mane: ego hæc faciam, & pro te, & pro meipso: et si quid boni præterea accepero ob Cyri cultum, aut etiam ab aliqua re militari, id ad te ferā, quò item plurib. domineris, solū me soluito hac cura. Nam si mihi ab his fuerit ocium, futurum puto ut & mihi et Cyro magno usui sim. Quibus ita dictis hæc inuicem composuere, faciebantq;. Et Sacas qui-

Multa posidenti, multum etiā sumptus faciendum.

dem se ducebat felicem factum, quòd multis pecunijs dominaretur. Pheraulas item arbitrabatur se beatißimũ esse, quòd procuratorem esset habiturus, qui sibi ociũ præberet ad agendum quodcunq; ei iucundum foret. Erat autem Pheraulas natura amicorum studiosior, & colere nihil ei iucundum ita esse uidebatur neq; utile, ut homines. Etenim arbitrabatur hominem animaliũ omniũ esse optimum & gratißimũ, quòd uideret et eos qui ab aliquo laudarentur, contrà etiã hosce alacriter laudare: enitiq; ut cõtrà rem gratam his facerent, qui sibi gratificarentur: & quos cognoscerent beneuolè habere, in illos eos uicißim esse beneuolos: & quos uiderẽt amare eos, hos odio habere nõ posse, parentesq; magis quàm omnia alia animalia: cõtrà item uelle colere & uiuos et mortuos. Cognoscebat autem alias quasq; animãtis & magis ingratas esse, minusq; beneficij memores, quàm homines. Sic igitur & Pheraulas afficiebatur maxima uoluptate, quòd sibi licitũ foret, ut liberatus cura aliarũ possessionum, apud alios amicos uersari posset: & Sacas plurimũ lætabatur, quòd quia haberet multa, multis quoq; usurus esset. Amabat autem & Sacas Pheraulam, quòd semper afferret aliquid: et Sacam Pheraulas, quòd accipere uellet omnia, semperq; plura curans, nihilo magis ei præberet occupationem. Et hi quidem ita degebant. At Cyrus cũ sacrificasset uictoriæ præmia, epulatus uocauit ex amicis qui perspicuè uiderentur ipsum uelle & amplificare maximè, & honorare beneuolentißimè. Inuitauit etiã unà cum his Artabazum Medum, & Tigranem Armenium, & Hyrcanium præfectum, & Gobryam. Gadatas uerò sceptriferis eius præerat. Et ubi ille paruisset, ibi omnem intus uictum cõstituit.

ſtituit. Cumq; aliqui unà cœnarẽt, Gadatas ne ſedebat quidem, ſed curam habebat. Dum uerò ipſi abeſſent, cœnabat ipſe quoque unà cum Cyro: delectabatur enim unà cum eo eſſe. Pro his autem rebus multis magnisq; beneficijs honorabatur à Cyro, & propter Cyrum apud alios quoque erat in honore. Sed ut uenerant inuitati ad cœnam, nõ temerè & inconſultò ſingulos locabat ad menſam: ſed quem maximè honoraret, ad ſiniſtram ſedere iubebat manum, quòd hæc inſidijs magis ſubiecta ſit quàm dextera: ſecundum uerò ad dextram, tertiũ rurſus ad ſiniſtrã, & quartum ad dextram. Quòd ſi plures eſſent, eodem modo. Declarare enim quo pacto ſingulos honoraret, hoc ei bonũ eſſe uidebatur. Quòd ubi adhuc homines putant eum qui melior ſit, neq; proclamandum, neq; præmia accepturũ, liquidò patet eos hîc minimè inuicẽ ſuperare cõtendere: ſed ubi qui optimus ſit longè præfertur, hîc maxima cum alacritate non obſcurè omnes certant. Atq; Cyrus ita declarabat eos qui apud ſe erant optimi, continuò incipiens à cõſeſſu & aſſiſtentia: haud tamen immortalem quem cõſeſſum iuſſerat, conſtituit, ſed lege cauit, ut bonis operibus ad honoratiſsimum conſeſſum aſcenderetur. Ac ſi quis improbè ſe gereret, ut is ſecederet ad ſedem minus honorificam. Qui autem excelleret in conſeſſu, Cyrum pudebat ſi minus is uideretur bonis etiam plurimis ab ſe affici. Atque hæc quæ ſub Cyro fuerunt, ita etiam hoc tempore ſentimus permanere. Cùm uerò cœnaret, uiſum eſt Gobryæ, quòd ſingula permulta forent, minimè eſſe mirandum apud uirum multis imperitantem. Sed quòd Cyrus, qui res adeò magnas gereret, ſi quid iucundum cepiſſe uideretur, nihil conſumeret ſolus, ſed id operis haberet,

ut qui aderant omnes, rei sibi datæ participes faceret, hoc sanè mirabatur. Persæpe quoq; eum uidebat Gobryas hæc absentibus quibusdam amicis mittere, quibus ipse delectaretur. Quare postæquàm cœnauisset, & omnia Cyrus, quæ permulta erant, misisset à mensa, dixit Gobryas: At ego Cyre, hac te re plurimũ cæteris præstare hominibus ducebam, quòd esses rei militaris scientißimus: nunc autem, deos testor, certò mihi uideri te magis humanitate præstare, quàm re militari. Hercle, inquit Cyrus, & quidem iucundius est humanitatis opera demonstrare, quàm rei militaris. Quî tandem? inquit Gobryas. Quoniam, inquit, in hoc oportet se in homines maleficum ostendere, in illo beneficum. Hinc igitur ubi modicè bibissent, interrogauit Hystaspas Cyrum: Num, inquiens, Cyre succensurus mihi sis, si te interrogauero quod audire ex te uolo? Sed ita per deos, inquit, contrà tibi succenserem, si sentirem tacere te, quæ tibi interrogare uoluntas esset. Dic igitur, inquit, mihi, num ullo unquam tempore cùm uocatus abs te sum, non ueni? Dij meliora, inquit Cyrus. Sed dum obedio, num ociosè obedio? Ne hoc quidem. Si quid etiam iam mihi iußisti tu, non id egi? Haud te, inquit, accuso. Quod autem agerem, unquam deprehendisti me non alacriter, aut iucundè minus id à me agi? Hoc omnium minimè, inquit Cyrus. Quare tamen, inquit, per deos immortalis Cyre, Chrysantas te mouit, ut honoratiore in loco quàm ego poneretur? Dicám ne? inquit Cyrus. Omnino, inquit Hystaspas. Et tu rursus non mihi succensebis si uera audias? Quin uoluptate, inquit, afficiar, si didicero me non pati iniuriam. Chrysantas igitur, inquit, hic primùm quidem non expectabat uocari se, sed prius quàm uocaretur,

tur, aderat rerum mearum gratia. Deinde non id solùm quod iuberetur, sed etiam quod ipse cognoscere et esse mihi facto melius, hoc agebat. Cumq; aliquid dicendum esset ad socios, quod dicere me puderet, consulebat mihi: & quæ sentiret me uelle à socijs cognosci, meq; animaduerteret pudere de meipso loqui, hæc ipse dicens, tanquã suam esse sententiam ostendebat. Itaque his in rebus quid prohibet ipsum mihi esse meipso etiam meliorem? Ac sibi quidem semper ait præsentia omnia satis esse: mihi uerò quid possit ad utilitatem meam accedere, semper eum considerare apparet: multoq; magis exultat ac lætatur meis bonis, quàm ipse ego. Ad quæ ipsa respondit Hystaspas: Per Iunonem Cyre, lætor hæc me percunctatum. Cur maximè? inquit Cyrus. Quoniam ego etiam hoc enitar facere. Sed unum solum ignoro, quonam modo sim ostensurus gaudere me bonis tuis: utrum manuum concussione utendum est, an ridendum, an aliud faciundum? Et Artabazus inquit: Saltandum est Persicè. Quibus in uerbis risus factus est. Procedente autem symposio, Cyrus Gobryã interrogauit: Dic mihi ô Gobrya, utrum nunc libentius tibi uideris filiam tuam locaturus horum alicui, an cùm primùm nobiscum congressus es? Num etiam ego, inquit Gobryas, uera loquar? Ita mehercule, inquit Cyrus, utpote quòd nulli interrogationi mendacio opus est. Certò igitur, inquit, scito me nunc multò libentius. Possis ne etiam, inquit Cyrus, dicere quam ob rem? Possim equidem. Dic igitur. Quoniam tum equidem aspiciebam ipsos æquo animo tolerare labores ac pericula, nunc uerò eosdem uideo res secundas temperanter ferre. Videturq; mihi Cyre, difficilius inuenire uirum qui bona pul-

Res secundas rectè ferre difficilius, quàm aduersas.

chrè ferat, quàm qui mala. Altera enim in contumeliam multos, altera omnes in intemperantiam agunt. Et Cyrus inquit: Audisti ne Hystaspa uerbum Gobryæ? Ita, inquit, mehercule. Quòd si multa loquatur huiusmodi, multũ magis me capiet filiæ suæ procum, quàm si multa mihi pocula ostentet. Profectò, inquit Gobryas, multa mihi sunt literis mandata huiusmodi, quæ tibi nõ inuidebo si filiam meam ceperis uxorem: pocula uerò quoniam mihi non uideris admittere, nescio an Chrysantæ huic das, quoniam & ipse tuam sellam subripuit. Atqui, inquit Cyrus, ô Hystaspa, & uos alij qui adestis, si mihi dixeritis cùm quis uestrûm nubere tentauerit, cognoscetis qualis etiam ego ad iutor uobis futurus sim. Ad quem Gobryas respondit: Sed si quis tradere uult filiam, cui dicere oportet? Mihi, inquit Cyrus, etiam hoc: hanc enim artem egregiè calleo. Quam enim? inquit Chrysantas. Cognoscere scilicet quod matrimonium cuique conueniat. Et Chrysantas respondit: Dic igitur per deos, quam mihi uxorem putas pulcherrimè conuenire? Primùm, inquit Cyrus, paruam: paruus enim es etiam ipse. Nam si magnam ducas uxorem, ubi quandoque uelis eam rectam osculari, prosilire te oportebit quemadmodum catellos. Hoc, inquit Chrysantas, rectè prouides: etenim nullo modo prorsus ad saltum sum aptus. Deinde, inquit, sima tibi uxor conductura sit uehementer. Ad quid item hoc? Quoniam, inquit, tu es aduncо naso: ad simitatem uerò nasi aduncitas, ut non te lateat, optimè accommodatur. Dicis tu, inquit, ut cum bene cœnato, quemadmodum nunc ego sum, incœnata conueniat? Ita mediusfidius, inquit Cyrus. Nam plenorum uenter fit aduncus, incœnatorum autem simus. Ad quem respondit

spondit Chrysantas: Frigido autem regi posis ne dicere per deos, cuiusmodi uxor conductura sit? Et hic quidem tum Cyrus risit, tum alij. Quibus simul ridentibus inquit Hystaspas: Multò equidem maximè ob hanc rem tibi inuidebo in imperio. Ob quam? inquit Cyrus. Quòd potes etiam frigidus risum præbere. Et Cyrus inquit: Postea nolis emere plurimi, ut abs te hæc dicta essent, & ei nunciata, apud quam uis in precio haberi te esse urbanum? Et his dicteriis ita utebantur. Postea uerò Tigrani extulit mundum muliebrem, quem iussit uxori ut daret, quoniam fortiter in re militari se gessisset cum uiro. Artabazo uerò aureum poculum, Hyrcanio autem equum, aliaq; permulta ac pulchra largitus est. Tibi autem, inquit, ô Gobrya, uirum filiæ tuæ dabo. Ergo, inquit Hystaspas, me da bis, quò commentaria quoque accipiam. Num, inquit Cyrus, tibi res est digna rebus puellæ? Ita, inquit, per Iouem multò plurium pecuniarum. Et ubi est, inquit Cyrus, ista tibi res? Hìc, respondit Hystaspas, ubi etiam ipse sedes, qui mihi amicus es. Sufficit mihi, inquit Gobryas. Et continuò dextram cùm extendisset: Da, inquit, Cyre: admitto enim. Et Cyrus Hystaspæ dextram capiens, dedit Gobryæ. Ille autem excepit. Exhinc multa atque pulchra dona dedit Hystaspæ, quò ea puellæ mitteret. Chrysantam uerò ad se tractum osculatus est. Atque Artabazus inquit: Per deum Cyre, non similis auri & mihi poculum dedisti & Chrysantæ dono. Verùm tibi etiam, inquit, dabo. Quæsiuit ille: Quando? Ad trigesimum, inquit, annum. Itaque sic te parato ut expectaturum, & non ut moriturum. Et tum quidem conuiuium hoc pacto desijt. Ii uerò cùm surrexissent, surrexit item Cyrus, &

eos deduxit ad fores usque. Postridie uerò eius diei dimisit socios quosque domum pro uoluntate sua, his exceptis quicunque habitare apud se uellent: quibus & agrum dedit & ædes, quæ omnia hac etiam tempestate posteri eorũ qui remansere, possident. Hi autem sunt maiore ex parte Medi & Hyrcanij. Eos uerò qui abirent, cũ plurimis muneribus donauisset, fecisset q; ne quid expostularent, & principes & milites dimisit. Exhinc distribuit inter milites suos pecunias, quascunq; ex Sardibus ceperat. Atque ijs qui denis millibus præessent, eorumq; ministris electas pecunias dedit pro dignitate cuiusque, alias uerò distribuit. Et pecuniarum parte data præfecto cuiq; denorum millium, his permisit earum tributionem, quemadmodum ipse illis tribuerat. Dederunt autem alias pecunias singuli principes, singulos eos dijudicantes magistratus quibus ipsi præessent: ultimas autem pecunias hi qui senis præerant, pro iudicio suo cuiq; priuato dedêre pro dignitate. Et ita omnes iustam portionem acceperunt. Vbi uerò pecunias accepissent quæ tum datæ sunt, quidam huiusmodi uerba de Cyro loquebatur. Certè multas ipse pecunias habet, qui singillatim nobis tot dedit. Aliqui autẽ dicebant: Quas multas pecunias habet? ingenium Cyri non tale est ut ditari omnino uelit, sed dãdo magis lætatur quàm possidendo. Quæ uerba cùm accepisset, & eas de se opiniones, collegit & amicos & præcipuos omnis, atq; in hunc modum loquutus est: Viri amici, uidi equidem iam homines qui uideri uolunt plura possidere quàm habeant, rati hi quidem liberaliores ita apparere: at hi uidentur mihi secus trahi quàm uolunt. Nam cùm is qui uidetur habere multas pecunias, minus pro dignitate facultatum amicis prodest,

Cyri concio.

prodest, illiberalitatis nomẽ subit, mea quidem sententia. Sunt etiã qui latêre alios uolunt, quantùm ipsi habeant. Improbi igitur etiam hi uidẽtur mihi esse in amicos. Nam quoniam quas ipsi pecunias habeant ignoratur, sæpe indigentes amici socijs minus nunciant, sed decipiuntur. Simplicis autem apertißimiq; uiri mihi uidetur esse, qui manifestata re, ex hac exercetur circa æquum & bonum. Ego igitur ostendere uobis uolo, quæ mihi sunt omnia, quæcunque possunt uideri. Quæcunque autem uideri non possunt, ea enarrabo. Quæ loquutus, alia quidem bona ostendebat, quæ multa pulchraq; possidebat. Quæ autem reposita erant, ut quæ uideri facilè non possent, ea enarrabat. Postremò ita dixit: Hæc, ô uiri amicißimi, omnia oportet uos arbitrari non magis mea esse quàm etiam uestra. Ego enim hæc congero, neque ut ipse impendam, neque ut ipse consumam (nec enim possim id facere) sed quò habeam quod sim ei daturus, qui è uobis pulchri aliquid fecerit: & quò si quis uestrûm existimauerit rei alicuius indigere, si ad me ueniat, accipiat quod ei sit opus. Et hæc sanè dicta sunt ita. Sed ubi iam ei uisum res Babylone pulchrè habere, ita ut etiam abire posset, parauit reditum in Persas, eumq; alijs præcepit. Vbi uerò putauit satis ea habere, quibus egere futurum arbitrabatur, sic tandem digressus est. Exponemus autem etiam hæc, ut multus exercitus cùm esset, pulchro ordine parabatur, ac rursus itineri accingebatur, atque celeriter ponebatur quo in loco oporteret. Vbicunq; enim castrametatur rex, ibi uniuersus regis exercitus sese cum tabernaculis locat & æstate & hyeme. Cyrus autem continuò hoc solenne fecit, ut tabernaculum poneretur ex orientis regione. Deinde con-

ſtituit, primùm quidem quantum abeſſe cum tabernaculis oporteret ſtipatores à regio tabernaculo. Dein dextrum locum aſsignauit ijs qui cibum facerẽt, ſiniſtrum autem obſoniorum artificibus. Equis quoque dextrum locum, iumentis uerò alijs ſiniſtrum. Et reliqua conſtituta ſunt ita, ut quiſq; ſciret ſedem ſuam & dimenſione & loco. Cùm uerò iter rurſus eſt faciundum, componit quiſq; ea uaſa quibus utendum eſſe ſtatutum eſt. Alij item ea ponunt in iumentis. Itaque ueniunt ſimul omnes qui agunt impedimenta ad agendum conſtituta: ſimul etiam omnes reponunt, quiſq; ſuper ſua iumenta. Sic igitur idem tempus ſatis eſt, ut & unum tabernaculum & omnia tollantur. Itidem ſic habet etiam de apparatu, & de faciundis neceſſarijs omnibus tempeſtiuè: eodem modo ſingulis conſtitutum eſt quæ facere oporteat. Ob quam quidem rem idem tempus ſufficit & uni parti, & omnibus ad faciundum. Quemadmodum uerò famuli qui erant ad res neceſſarias conſtituti, locum habebant conuenientem ſinguli, ita etiam armati eius in expeditione & habebant locũ armaturæ accommodatũ, & ſciebant quis hic eſſet, & in indubitato omnes ſe locabant. Perpulchrum ſanè arbitrabatur Cyrus, in ædibus quoque eſſe aptæ locationis ſtudium. Cùm enim cuiquam re ulla eſt opus, liquidum eſt quò ſit iturus ad eam accipiendã. Multò præterea pulchrius exiſtimauit, ſi bene poſitæ eſſent tribus militares. Quò enim magis ſubita ſunt tempora earum rerum quibus utendum eſt ad res bellicas, maiora etiã errata fiunt per eos qui in his cunctantur. Ab illis uerò qui tempeſtiuè adſunt, uidebat utilitates fieri plurimi æſtimãdas in rebus bellicis: itaque curã habebat huius ordinis maximè. Atq; ipſe Cyrus primùm

primùm se in medio castrorum collocabat, utpote qui locus munitissimus foret. Dein uiros maximè fidos, quemadmodum semper consueuit, circum se habebat. Secundùm hos, in orbem & equites habebat, & currum ductores. Etenim his putabat opus esse loco munitissimo: quoniam quibus cum armis præliantur, nihil horum paratum expeditumq; habentes castrametantur, quin multo his tempore opus est ad se armandos, si utiliter sint exituri. In dextera autem ac sinistra & suijpsius & equitum parte, locus erat scutatis cõstitutus. Sagittariorum item locus & antè erat & pòst, tum ipsum, tum etiã equites. Milites uerò grauis armaturæ, & qui magnas haberẽt cratis, circùm omnes habebat ueluti murum, quò si quid oporteret parari milites, hi cõstantissimè aggressi præberent ijs ad armandũ securitatẽ. Accubabãt autẽ ei in ordine quẽadmodum milites grauis armaturæ, sic quoq; scutati ac sagittarij, quò etiã noctu, si quid ei opus esset, sicuti & milites ipsi parati sunt ad feriendum cominus inuadentẽ, ita & sagittarij & iaculatores si qui adorirentur, præstò iacula sagittasq; torquerẽt pro his militibus. Habebant præterea signa omnes principes in tabernaculis. Sed ministri, quemadmodũ etiam in urbibus qui sciunt, prudentes sunt, plurimorum habitationes, præsertim præcipuorum: eodem quoq; modo Cyri ministri, & sciebant in castris ducum loca, & signa cognoscebant quæ singulis essent: quare si quo illorum Cyro opus esset, cum non quærebãt, sed compendiosissimè currebant ad singulos. Et quoniam nationes singulæ meræ essent, multò etiam magis erant manifestæ, & cùm quis bene iussa seruaret, & si quis minus ageret quod iussum esset. Igitur cùm ita illi haberent,

censebat Cyrus si quis etiam inuaderet noctu aut die, inua dentis hostes tanquam in insidias in castra incidere. Atque ordinis militaris non hoc solùm esse ducebat, si quis exten dere phalangas facilè posit, aut restringere, aut ex cornu in phalanga redigere, aut ex dextra uel sinistra, aut à ter go apparentibus hostibus rectè explicare: sed etiam di strahere cùm opus sit, ordinarium præceptum existima bat: & quo pacto ponenda esset quælibet pars quò ma ximè esset utilis, & quomodo accelerãdum ubi præuerte re oporteat: hæc omnia ac similia periti ordinationis uiri esse arbitrabatur, atq; hæc omnia æquè curabat. Præte rea in itineribus, ad id quod accideret semper exercitu di sposito pergebat. In castrametatione uerò ut plurimùm, quemadmodum dictum est, exercitum locabat. At ubi ue nerunt in Mediæ regionem, diuertit Cyrus ad Cyaxarem. Qui ubi se inuicem sunt complexi, Cyrus primùm inquit Cyaxari, Ei et ædes Babylone electas esse, & regiam, quò haberet etiam cùm illuc iret, diuersorium tanquam in do mum. Dein quoque alia ei dona dedit & plurima & pul cherrima. At Cyaxares his quidem acceptis, ad eum filiã misit, quæ ferret & coronam auream, & armillas, & torquem, & stolam Medicam quàm fieri potuit pulcher rimam. Et puella quidem Cyrum coronabat. Cyaxares ue rò dixit: Do etiam tibi Cyre hanc ipsam uxorem, quæ mea est filia. Tuus quoque pater uxorem cepit filiam patris mei, ex qua ipse natus es. Hæc autem est, quam tu sæpe cùm puer apud nos esses, demulcebas: cumq; aliquis eam interrogaret cui nuberet, dicebat se Cyro nupturam. Præ terea do etiã ipsi dotem uniuersam Mediã: nec enim mas filius mihi legitimus est. Cyaxares ita est loquutus. Ad

quem

quem Cyrus respõdit: Verùm Cyaxares & genus laudo, & puellã, & dona: sed hæc tibi uolo consentire unà cum patris mei matrisq; sentẽtia. Quæ quidem Cyrus in hunc modum loquutus est, sed puellæ tamen hæc omnia dono dedit, quæcunq; arbitrabatur Cyaxari quoq; grata fore. Et hæc cùm feciſſet, proficiſcebatur in Perſas. Sed ubi peruenit in Perſarum fines, relicto alio agmine ipſe unà cum amicis ad urbẽ pergebat, uictimas ſecum agens, quæ omnibus Perſis ſatis eſſent & ad ſacrificandũ & ad epulandum. Agebat etiam dona quæ decerent & patrẽ, & matrem, et amicos alios: qualia item forent pro magiſtratuũ & ſeniorum homotimorumq; dignitate. Dabat præterea Perſis omnibus dona & maribus & fœminis, quæcunq; etiam hac tempeſtate dantur à rege quandocunq; in Perſas ierit. Exhinc collegit Cambyſes Perſarũ ſeniores atque magiſtratus, qui rerum maximarum ius habent. Inuitauit etiam Cyrum, ac tali eſt uſus oratione: Viri Perſæ, & tu Cyre fili, ego utriſq; uobis, ut decet, ſum beneuolus. Nam uobis Perſæ rex ſum, tu autem Cyre meus es filius. Itaque meæ eſt iuſtitiæ, quæcunq; uideor mihi noſſe utriſq; uobis conducere, hæc ut in medium referam. Superioribus enim temporibus uos Cyrum amplificaſtis, quippe cui & exercitum dederitis, & exercitus principem conſtituerit. Huius autem dux Cyrus pro deorum benignitate inclytos uos, ô Perſæ, inter omnis homines reddidit, & in uniuerſa Aſia honeſtos. Eorum uerò qui unà cum ipſo militiam obiere, uiros optimatis etiam locupletauit. Multitudini uerò ſtipendium uictumq; parauit, conſtitutoq; Perſarum equitatu reddidit Perſas agrorũ item participes. Siquidem igitur in poſterum ita ſenſeritis, eritis inuicem uo

Cambyſis oratio.

bis autores multarum bonarumq; rerũ. Sin autem tu Cyre elatus secundis rebus præsentibus, aggrediaris in Persas quoque auarè imperium gerere quemadmodum in alios, aut uos ciues huius potentiæ inuidia tentabitis soluere huius imperium, debetis non esse nescij, uos inuicem uobis fore impedimento, quò minus rerum plurimarum bono perfruamini. Quæ quidem mala ne fiant, sed bona potius, mihi uidetur ut per publicum sacrificium, perq; deorum attestationem in hæc pacta conueniatis. Te quidem, ô Cyre, si quis aut regionem Persida bello appetierit, aut Persarum leges rescindere tentauerit, auxilium patriæ laturum omnibus uiribus. Vos autem, ô Persæ, si quis aut imperio Cyrum priuare aggrediatur, aut si subditorum quisquam defecerit, futuros auxilio & uobis ipsis & Cyro ad quicquid hic præcipiat. Atque donec ego in uiuis sum, meum sit in Persis imperium: sed ubi ipse diem obiero, regnum scilicet erit Cyri, si uixerit. Cumq; hic in Persas uenerit, si religiose uobiscum se gesserit, ut hic sacra pro uobis faciat, quæ nunc ipse sacrifico. Sed ubi hic naturæ concesserit, rectè uobis consultum erit mea sententia, si ex genere qui uobis futurus optimus uideatur, hic legitima dijs immortalibus persoluat. Quæ Cambyses cùm dixisset, probata sunt & Cyro & magistratibus Persarum. Atque hæc ut tum pepigerunt, atque deos attestati sunt, ita etiam hac tempestate facere inuicem & Persæ & rex perseuerant. His autem gestis abijt Cyrus: qui ubi uenit in Medos, ex patris matrisq; sententia uxorem capit Cyaxaris filiam, quæ fertur hoc etiam tempore fuisse pulcherrima. Etsi historici quidam tradunt, Cyrum maris sororem duxisse uxorem: sed ea etiam anus fuisset omnino.

Continuò

Continuò autem ubi cepit uxorem, eam secum habens discessit ex Media: qui ubi fuisset Babylone, uisum est ei satrapas iam esse mittendos in gentis subiugatas. Atque eos quidē qui in arcibus præsidijs præerāt, atque millenarios quos præfecerat custodiæ regionis, noluit alij parêre q̄ sibi. Hæc prospiciebat, quoniam cogitaret ut si quis satraparum præ diuitijs atque hominum multitudine contumelia se esset affecturus, tentaturusq; minus parêre, continuò in regione haberet qui aduersarentur. Hæc igitur uolens agere, decreuit conuocare primùm præcipuos, eisq; prædicere, ut scirent euntes quæ erāt facturi: existimabat enim ita facilè eos esse laturos. Vbi autem aliquis esset constitutus princeps, taliaq; sensisset, putabat Cyrus hæc illos laturos molestè: quippe qui arbitrarentur hæc facta esse propter ipsorum infidelitatem. Sic igitur uocatis illis in concionem, huiusmodi uerba loquutus est: Viri amici, sunt nobis in urbibus subiugatis præsidia, præsidiorumq; præfecti, quos tum reliquimus: & his ego abiens iussi, ut aliam ad rem nullam essent curiosi, quàm ad seruandas urbis. Hos igitur à magistratu nolo amouere, quoniam bene imperata seruauere: sed alij satrapæ uidentur mihi mittendi qui imperent habitantibus, quiq; accepto tributo & præsidiarijs militibus dent stipendium, & aliud quodcunq; opus est soluant. Videtur etiam mihi, è uobis hîc agentibus quibuscunque negocia præbeo, cùm eos mitto acturos aliquid in has gentes, & agros tribuēdos illic esse & ædes, quò & tributum huc ad uos dent, & cùm illuc eant, in propria habeant diuersorium. Hæc loquutus est, deditq; amicorum multis in omnibus subiugatis urbibus & ædes & subditos, & nunc etiam sunt illorū

posteris qui hæc tum acceperunt agri, permanentes alij in alio solo: ipsi autem habitãt apud regem. Oportet autem, inquit, ut satrapas euntes in has regiones tales ipsi considere remus, qui meminerint huc etiã mittere quicquid aut pulchri aut boni in quolibet solo sit, quò nos quoq; qui hìc sumus, participes simus bonorum omnium quæ ubiq; sunt. Etenim si quid uspiã periculi erit, nobis erit defendendũ. Hæc loquutus Cyrus, tum quidẽ dicendi finẽ fecit. Deinde ubi quos ex amicis cognouit cupidos eundi in dicta loca, electis ex his qui aptissimi esse uidebantur, eos misit satrapas. In Arabiam quidem Megabyzum, in Cappadociam Artabatam, in Phrygiam magnã Artacamam. In Lydiam uerò & Ioniam Chrysantam, in Cariam Cadusium, ut Cares etiam petierunt: in Phrygiam uerò quæ adiacet Hellesponto & Aeolidi, Pharnuchum. Ciliciæ autem Cypri & Paphlagonum, non misit Persas satrapas, quoniam ultro uisi sunt unà secum bellum gessisse aduersus Babylona, tributa tamen ut hi quoque deferrent, ordinauit. Vt autem tum Cyrus constituit, sic item hoc tempore & sunt regis arcium custodiæ: & millenarij qui custodibus præsunt, à rege constituti sunt, descriptiq; apud regem. Iussit præterea satrapis omnibus quos mittebat, ut proui ribus ea omnia imitarentur, quæ ipsum facere uiderent. Et primùm quidem ut equites constituerent aurigasq;, ex his Persis & socijs qui unà secuti sunt: & quicũq; agrum palatiaq; cepissent, hos cogerent ut ad fores irent temperantiæq; studerent, & sese utendum satrapæ præberent si quare opus esset: atq; ut filios qui nascerentur, instituerent ire ad fores, quemadmodum apud ipsum. Insuper ut satrapes educeret ad uenationem eos qui sunt ad fores: &

ut

ut satrapes ipse, & qui unà cum eo sunt, res bellicas exercerent. Quicũq; autem, dixit, mihi reddiderit pro ratione potentiæ plurimos currus, plurimosq; & optimos equites, hunc ego ut bonum socium, bonumq; concustodem imperij, & Persarum et meis honoribus, prosequar. Ad hæc præferantur apud uos quoque, quemadmodum apud me, uiri optimates cæteris in consessu. Et mensa etiam sit sicuti mea, quæ alat primũ famulos: dein satis sit ornata ad impertiundum etiam amicis, & eum qui pulchrè aliquid fecerit, quotidie munerandum. Insuper hortos comparate, atq; nutrite feras, & neq; ipsi unquam sine labore cibum apponite, neque equis sine exercitatione pabulum injicite: haud enim posim ipse qui unus sum, humana uirtute bona omnium uestrũm seruare semper, sed oportet me qui bonus sim, auxilio esse uobis unà cũ his bonis quæ à me sunt: identidem quoque uos qui ipsi boni sitis, cum his bonis quæ uobiscũ sunt, mihi esse socios. Vellem præterea uos hoc etiam animo uobiscum uolutaretis, me nihil horum ad quæ nunc uos hortor seruis imperare, sed quæ uobis faciũda dico, hæc item ipse omnia enitor agere. Et quemadmodum ego uobis iubeo ut me imitemini, sic item uos qui à uobis magistratus habent, ut uos imitentur eos docetote. Atque hæc ut tum Cyrus constituit, etiam hoc tempore, eodem modo omnes quæ sub rege sunt custodiæ, similiter asseruantur. Omnes autem principũ ianuæ identidem celebrantur, ædesq; omnes & magnæ & paruæ simili ratione habitantur: atq; omnibus uiri optimates præferuntur, in consessu præsertim: omniaq; itinera eodẽ modo constituta sunt, & omnibus summatim cõprehenduntur multæ actiones, cũ pauci sint præfecti. Hæc loquutus

Cyrus ut singulis essent agenda, datisq; cuiq; uiribus, eos emisit: pronunciauitq; omnibus ut se pararent, utpote cùm in proximum annum in expeditionem eundum foret, faciundusq; census & uirorum & armorũ & equorum & curruum. Considerauimus hoc præterea, quod Cyro autore, ut aiunt, hac quoque tempestate perdurat. Vadit enim uir annuatim semper exercitum secum habens, quò si cui satraparum auxilio opus sit, auxiliũ ei afferat: sin aliquis contumelia utatur, ut cum ad sanitatem redigat. Quòd si quis negat aut solutionem tributorũ, aut inhabitãtium custodiam, aut ut ager colatur, aut aliud quicquam eorum quæ sint constituta reliquerit, ut hæc omnia disponat, moderetur q;: sin id minus queat, regi ut nũciet. Quod rex audiens, cõsultat de eo qui inordinatè quid agat: & qui sæpe dicuntur, regis filius descendit, regis frater, regis oculus, & quandoq; minimè apparent, hi sunt regis quæstores. Amouetur enim eorum quisq; unde rex iusserit. Insuper didicimus aliud Cyrum excogitasse ad imperij magnitudinem, ex quo celeriter sentiebat quomodo ea haberent, quæ permultùm etiam distarent. Cùm enim considerasset quantum itineris equus faceret die, equitans quantùm sat esset, fecit equorum stabula tantundem distantia, in quibus equos constituit, & qui equorũ diligentiam haberent: uirumq; quolibet in loco ordinauit, qui aptus esset ad accipiendas literas quæ ferebantur, easq; tradendas: quiq; reciperet equos defatigatos atque homines, recentesq; alios mitteret. Interdum etiam ferunt ne nocte quidem intermitti hoc iter, sed diuturno nuncio nocturnum succedere. Quibus rebus ita gestis, aiunt quidam hoc itineris uelocius perfici, quàm gruum uolatum. Quòd si

hoc

hoc mentiuntur, illud certè manifestũ est, hanc pedestrem profectionem uelocissimam esse humanorum pedestrium itinerum. Est autem bonum, unamquanq; rem quamcelerrimè intellectam, quãcelerrimè etiã curari. Sed ubi annus præterijt, coëgit Cyrus exercitũ suum ad Babylona, cui fuisse fertur equites ad centum uiginti millia, currus falcatos ad duo millia, pedites uerò ad quingẽta uiginti millia. Vbi uerò hæc parasset Cyrus, mouit hunc exercitũ, quo fertur subiugasse gentes eas omnis, quæ ab ingressu Syriæ habitant usq; ad mare rubrum. Postra uerò expeditio facta dicitur in Aegyptum, subiugasseq; Aegyptum. Exhinc imperiũ terminauit Cyro, ad orientem rubrũ mare, ad septentriones pontus Euxinus, ad occidentẽ Cyprus & Aegyptus, ad meridiem Aethiopia. Horũ autem metæ aliæ propter calorem, aliæ propter frigus, aliæ propter aquã, aliæ uerò propter ariditatem, sunt cultu difficiles. At Cyrus in harum medio uitam agens, tempore hyemali degebat Babylone septem menses: hæc enim regio tepida est. Per ueris autem tempus tres menses degebat Susis: in æstatis autem uehementia menses duos agebat Ecbatanis. Sic autem Cyrus dum faceret, ferunt eum in uerno calore & frigore degere semper solitum. Et usqueadeo homines erant in eum affecti, ut omnis gens deterius habere uideretur, nisi ad Cyrum misisset, quod pulchrum eis in regione uel oriretur, uel nutriretur, uel arte excogitaretur. Omnis etiam urbs identidem, omnisq; uir priuatus fieri sanè dives uidebatur, si quid Cyro largiretur. Etenim Cyrus à singulis ea accipiens quibus dantes abundabant, ea retribuebat quorũ eos esse inopes sentiret. Verùm cùm ita æuum processisset Cyrus, iam admodum senex uenit in

Persas septimo postquã regnare cœperat: cuius pater matercq; iandiu, ut par erat, diem obierant. Atq; Cyrus sacrificauit uictimas legitimas, duxitq; chorũ Persis more patrio & omnibus tribuit dona, ut consueuerat. Cumq; dormiret in regia, uisus est ei aduenisse præstantior quidam quàm natura humana, eiq; dixisse: Para te, ô Cyre, iam enim abis ad deos. Quod somniũ intuitus, excitatus est, propeq; intelligere est uisus uitæ exitũ adesse. Itaq; hostijs continuò captis, eas sacrificabat et Ioui patrio, et Soli, & alijs dijs in arcibus, ut Persæ sacrificant, ita orans: Iupiter patrie, ac Sol, dijq; omnes, hæc accipite & ultima sacrificia multarum pulchrarumq; rerum gestarum, & gratiarum dona, quòd significastis mihi & in sacris, & in signis cœlestibus, & in augurijs, & in rumoribus, & quæ agenda erant, & quæ nõ agenda. Multa autem uobis gratia, quòd & ipse noram curam uestram, & nunquam in rebus secundis super hominem sum elatus. Peto autem à uobis, ut detis etiam nunc filijs quidem meis, & uxori, & amicis, & patriæ felicitatem. Mihi autem quale dedistis æuum, talem detis etiam uitæ exitum. Quæ Cyrus cùm feciisset, domumq; reuertisset, uisum est ei quiescere, cubuitq;. Sed ubi hora iam erat, eum adeuntes qui constituti fuerant, iubebant ut lauaretur. Ad quos respondit, libenter se quiescere. Rursus hi constituti cùm tempus esset, cœnam apposuerũt. At Cyrus animo cibum quidem non appetebat, sed uisus est sitire, bibitq;, & suauiter quidem. Sed ut postridie eius diei, ac die item tertio hæc item ei accidissent, filios uocauit: hi enim sequuti eum fuerãt, & erant in Persis. Vocauit præterea amicos magistratusq; Persarũ, quibus omnibus præsentibus loqui cœpit in hunc modũ: Filij

mei

mei charissimi, & uos amici omnes qui hîc adestis, uitæ finem adesse iam mihi ex multis equidem rebus perspicuè cognosco. Vos autem decet cùm obiero, omnia & dicere & facere, perinde atq; felicitatem adeptus sim. Ego enim & cùm puer essem, quæ in pueritia honesta existimantur, eorum mihi uideor fructum consecutus: & ubi excessi in ephebos, adolescentiæ honestate, & perfectus uir factus, quæ in uiris honesta sunt, his sum perfructus. Et cùm unà cum ætate procederẽ, mihi auctas cognoscere uisus sum uires meas. Itaq; senectutem meam nunquã sensi esse meæ factam iuuentæ imbecilliorem. Neque aliquid aut cupisse aut aggressum me noui, quod minus mihi contigerit: & amicos quidem meos uidi per me factos esse felices, hostes uerò à me actos in seruitutem. Atq; meam patriã, quæ antea in Asia nullum habebat imperiũ, nunc præ cæteris relinquo honoratam. Quæq; adeptus sum, eorũ nihil noui quod nõ seruauerim. Et superius quidem tempus ita gessi, ut optaui. Cùm metus autẽ me comitaretur, ne quid in futurum uel uiderem, uel audirem, uel paterer molestum, is me non sinebat prorsus esse magno elatoq; animo, neq; lætari absolutè. Nũc uero si moriar, relinquo uos filij uiuos, quos dij immortales dederunt mihi. Relinquo etiam patriam & amicos feliciter agentis. Quare quî ego minus iurè memoriam beatitudinis in omnẽ ætatẽ consequar? Est autem à me declarandum, cui regnũ sim relicturus, ne id si ambiguum sit, negocia uobis præbeat: equidem uos, ô filij, ambos æquè amo. Verùm & consilio prouidere, & ducem præstare ad ea quæ tẽpus postulare uidebitur, hoc ei mando, qui & prior est natus, & rerum pluriũ consentaneè peritus. Institutus autem est etiam ita ipse & à mea Oratio Cyri.

& uestra patria, senioribus, non solùm fratribus, uerum etiam ciuibus, & incedendo, et sedendo, et dicendo cedere. Atq; uos ego, filij, ita initio instituì, ut et seniores honoraretis, & honoraremini à iunioribus. Quare ita admittite quæ à me dicũtur, ut & uetera & usitata & legitima. At tu quidem, ô Cambyses, regnum habe & dijs dantibus & meipso, quantum in me est. Tibi uerò, ô Tanaozares, satrapæ esse do & Medorum & Armeniorum, & tertium Caduſiorum. Hæc uerò dans tibi, existimo imperium quidem maius atque regni nomen seniori filio reliquisse, at se licitatẽ tibi cum minore molestia. Qua enim humana lætitia cariturus sis, haud equidem uideo: quin omnia tibi sunt affutura, quæ uidentur afficere homines uoluptate. Sed cupere res factu difficilioris, ac multùm esse solicitũ, neq; posse quietem habere, qui stimuletur æmulatione rerum à me gestarum, & insidias tendere, obijciq; insidijs, hæc necessariò magis illum qui regem gerit, quàm te consequantur: quæ quidem ipsa, ut perspicuè nosti, multas ei qui lætari uelit, præbent occupationes. Quare, quod etiã te Cambyses minimè latet, non est aureum hoc sceptrum quod regnũ seruet, sed amici multi sceptrum sunt regibus uerissimum, maximeq; tutum. Verùm ne putes homines nasci natura fidos: omnibus enim ijdem fidi apparerent, quemadmodũ etiam alia quæ natura gignuntur, omnibus apparent eadem: sed fidos oportet sibi unusquisq; faciat, quorum cõparatio nullo modo fit ui, sed beneficentia potius. Itaq; si alios quosdam tentabis regni cõcustodes efficere, nusquam aliũde prius incipe, quàm ab eo qui ex eodem loco natus est. Quare & homines ciues, alienis præferendi sunt: & qui unà sunt aliti, ijs qui contubernales non

Amicorum copia maximè securum regibus sceptrum.

non sunt. Qui autem ex eodem semine sunt orti, & aliti ab eadem matre, & in eadem domo adoleuerunt, & eosdem parentes amant, & eandem matrem eundemq; patrem appellant, quomodo hi minus sunt omnibus propinquitate præferendi? Nolite igitur quæ dij immortales bona dictant in familiaritate fratribus, inania unquam facere, sed ad hæc continuò parate alia amicitiæ opera, & ita semper insuperabilis uobis inuicem futura est charitas. Qui fratri prouidet, seipsum curat. Cui enim alij, cui frater est magnus, adeò bonum sit ut fratri? Quis alius honorabit uirum qui magnis sit uiribus, ita ut frater? Quemnam timebit quisquam iniuria afficere, si frater sit magnus, ut fratrem? Nemo igitur te celerius huic obsequatur, neq; alacrius adsit. Nemini enim magis propria sunt huius neque bona neq; mala, quàm tibi. Cogita hæc præterea: Cui gratificeris unde maiora consequi speres, quàm huic? Cui etiam si auxilium feras, ualentiorem socium belli recipias? Quem præterea turpius est non amare, quàm fratrem? Quem omnium pulchrius est anteponere, quàm fratrem? Solus quidem, ô Cambyses, frater est, qui si priores habet partes apud fratrem, neque inuidia uenit ab alijs. Quin per deos patrios filij mihi charißimi, honorate uos inuicem, si quid etiam tunc mihi gratum facere cura est uobis. Non enim sanè hoc uidemini nosse dilucidè, me nihil amplius esse, cùm ab humana uita decesserò. Nam ne nunc quidem animum meum uidebatis: uerùm ex his quæ ageret, eum esse cernebatis. Animos uerò eorum qui iniuriam passi sunt, nondũ didicistis, quos metus sceleratis parricidis injciunt? quas ultrices afflictiones in nefarios immittunt? Vita autem functis, putetis ne

honores fuisse adhuc duraturos, si eorũ animi nullius rei ius haberẽt? Nullo modo ego filij, ne hoc quidem mihi unquam persuasi, ut animus uiuat donec fuerit in corpore mortali: cùm uerò ab hoc solutus fuerit, moriatur. Video enim eum corpora mortalia quantum temporis in his sit, uiua præstare. Neq; sanè animus, mea sententia, stupidus est atque insipiens, cùm separetur à stupido insipientiq; corpore: sed cũ mens mera ac pura ab eo discreta fuerit, tum etiam consentaneum est ipsam maximè & uigere & sapere. Cùm uerò homo dissoluitur, minimè est obscurum abire singula ad cognatam speciem ac suam, animo tamen excepto, qui solus neque dum adest, neque dum abest, uidetur. Cogitate præterea, nihil esse morti somno similius. At hominis animus tum scilicet maximè diuinus perspicitur, & tum futurorum aliquid prospicit: in somno enim, ut uidetur, maximè liber redditur. Quare si hæc ita habent, ut ipse mihi persuadeo, & animus relinquit corpus, uos, ô filij, uerentes animum meum, facite quæ uos rogo. Quòd si ita non habet, sed manens animus in corpore unà cum corpore interit, deos saltem qui semper sunt, & omnia uident, & omnia possunt, quiq; hunc rerũ omnium ordinem continent certũ & immortalem & sine errore, quiq; præ pulchritudine atq; magnitudine enarrari non potest, hosce uos metuentes, nihil usquam impiũ, nihil nefarium neq; feceritis, neque consultaueritis. Et post deos quidem hominũ etiam genus omne, quod semper propagatur, uobis uerendũ est. Nõ enim uos dij in tenebris operiunt, sed opera uestra necesse est semper in propatulo uiuere apud omnes: quæ si pura & sine iniuria appareant, reddent uos inter omnis homines potentißimos. Sin quid iniusti

Animi diuinitas maximè in somno apparet.

iniusti inter uos inuicem cogitabitis, fidei dignitatẽ apud omnis homines amittetis. Nemo enim amplius credere uobis posſit, neque ſi uos admodum eam præſtare uelitis, intuitus ille quidem eum à uobis iniuria affici, qui neceſſitudine ſit coniunctiſsimus. Si igitur ego uos ſatis doceo quales inuicem eſſe debeatis, bene eſt: ſi id minus, ſaltem ab illis diſcite qui ante nos fuerunt: hæc enim optima eſt doctrina. Multi enim perſeuerarunt in amicitia, parentes quidem cum filijs, & fratres cum fratribus, & horum iam aliqui contraria inuicem geſſerunt. Vtris igitur quæ geſſere conduxiſſe ſenſeritis, hæc ſi eligatis, rectè conſultetis. Et de his quidem iam ſatis fortaſſe. Meum uerò corpus, ô mihi chariſsimi filij, cùm moriar neque in auro condite, neque in argento, neque in alia re prorſus ulla, ſed illud terræ reddite quamprimùm. Quid enim hac re beatius, quàm terræ miſceri, quæ pulchra omnia, bona omnia & gignit & nutrit? Ego uerò & aliàs me humanum præſtiti, & nunc iucundè mihi uideor eius rei particeps fieri, quæ benefica eſt in homines. Enimuero iam, inquit, animus me uidetur deficere qua parte, ut uidetur, incipit omnes deficere. Quare ſi quis ueſtrûm aut dextram meam tangere, aut oculum meum dum adhuc uiuo intueri uelit, me adeat propius. Verùm ubi ego oculos clauſero, peto à uobis filij, nemo amplius corpus meum intueatur, neque uos etiam ipſi. Atque Perſas quidem omnis ac ſocios inuitate ad monumentum meum, qui unà mecum lætentur, quòd iam in tuto futurus ſum, utpote qui nihil amplius mali patiar, neque ſi cum dijs fuero, neque ſi nihil amplius ſim futurus. Quicunque autem uenerint, hos his beneficijs affectos, quæcunque in hominis felicis funere ſo

lita sunt, dimittite. Et hoc ad postremum de me memineritis: Si in amicos benefici fueritis, poteritis etiam plectere inimicos. Ac ualete filij charissimi, matriq; hæc nunciate uerbis meis: & qui hîc adestis, & qui abestis amici, uale-
Mors Cyri. te omnes. Hæc locutus, cùm dedisset omnibus dextram, oculos clausit, & ita diem obijt. Quòd pulcherrimum quidem, ac maximum regnorũ omnium Asiæ Cyri fuerit regnum, ipsum de se testimonium præbet. Terminos enim habuit ad orientem mare rubrum, ad septentriones pontum Euxinum, ad occidentem Cyprum & Aegyptum, ad meridiem Aethiopiam. Id autem imperium cum tanta esset magnitudine, una Cyri sententia gubernabatur: qui etiam ipse subditos suos æquè ac filios & honorabat & colebat, & Cyrum subditi perinde quasi patrem uenerabantur. Vbi Cyrus excessit è uiuis, continuò ipsi filij inter se dissedere, continuoq; urbes ac gentes defecere, sicq; in deterius omnia uersa sunt. Quòd autem uera à me narrantur, incipiam à rebus diuinis hæc docere. Noui enim & regem prius, & qui sub rege essent, etiam his qui ultima scelera perpetrassent, siue iusiurandum iurati essent, inuiolatum præstare, siue dextras dedissent, constantissimè obseruare solitos. Quòd si minus tales fuissent, & huiusmodi de se opinionẽ non præbuissent, ne unus quidem credidisset eis, quemadmodum nunc nemo amplius credit, postq̃ cognita est eorum impietas: sic neque tunc illi credidissent, qui duces unà cum Cyro ascenderũt. At hoc tempore, qui priori de ijs opinioni crediderũt, seipsos interfecerunt, & ad regem ducti, obtruncati sunt. Multi etiam eorum barbarorum qui unà militarunt, alij alia decepti fide data, periere. Multi præterea etiam ijs in rebus nunc

sunt

sunt deteriores. Antea enim si quis aut periculum subisset pro rege, aut urbem gentémue in seruitutem egisset, aut aliud quicquam pulchri boníue ei peregisset, hi erant qui in honore habebantur. At nunc etiam si quis, quemadmodum Leomithres, uxorem ac liberos amicorumq; filios obsides apud Aegyptum liquisset, isq; maximum iusiurandum iuratus foret, essetq; id transgressus, quò uideretur aliquid emolumenti feciſſe regi, hi sunt qui maximos honores premij loco habent. Hæc igitur uidentes Asiatici, omnes ad impietatem & iniustitiam uersi sunt. Quales enim fuerint præfecti, tales etiam qui sub ipsis sunt, ferè fiunt: ob eamq; rem maiore utuntur licentia nunc quàm antea, præsertim circa pecunias, ut sunt iniustiores. Non enim eos solùm qui magnis se delictis fecerunt obnoxios, sed iam hos item qui nihil fecerunt iniustè, comprehensos cogunt nullo iure pecunias soluere. Quo fit, ut nihilo illi minus qui uidentur esse ditissimi, quàm qui multa per iniustitiam deliquerunt, in metu sint, adeò ut neque in manus hi ire uelint potentiorum, neque audeant conuenire cum exercitu regio. Igitur quicunque bellum cum ijs gerat, omnibus licet in regione ipsorum sine pugna uersari, utcunque uelint propter illorum tum impietatem erga deos, tum iniustitiam erga homines. Mentes igitur eorum ita sunt omnino nunc deteriores, quàm antiquitus. Quòd autem ne corpora quidem exercent, ut antea consuerunt, nunc item hoc exponam. Lex erat apud eos neq; spuere, neq; mucum facere. Est autem manifestum hæc eos lege sanxisse, non quia parcerent corporis humori, sed quoniam uellent per labores ac sudorem reddere corpora solidiora. Hoc uerò tempore

non ſpuere quidem, neq; emungi adhuc perdurat, ſed laborí nuſquam ſtudetur. Atqui antea erat Perſis legitimũ comedere ſemel, quò toto die uterentur & circa res gerendas & circa labores: hac uerò tempeſtate ſemel cibum capere adhuc permanet, ſed ueſci incipientes, quẽadmodũ qui ſummo mane prãdent, ad illorũ uſq; tempus comedentes potantesq; degunt, qui extremo ueſperi cubant. Erat autem his legitimum, ne urcei importarentur in ſympoſia: quippe qui putabant, ſi minus nimis potarent, minus corpora mentesq; labefactari. Hac uerò tempeſtate quòd urcei non importentur, adhuc permanet: tantùm autem bibunt, ut pro importandis urceis ipſi exportentur, quoniam nequeant amplius erecti egredi. Atqui ille quoque mos patrius ijs erat, ut dum iter facerent, neque comederent, neque biberent, neque quicquam eorum quæ propter hæc neceſſaria ſunt, facerent, quod patêret: nunc autem ab ijs abſtinere adhuc perdurat, ſed itinera faciunt adeò breuia, ut minimè ſit mirandũ quòd à rebus neceſſarijs abſtineant. Quin ad uenationem quoque toties antea exibant, ut pro exercitatione uenationes ſatis eſſent & ipſis & equis. Sed ubi Artaxerxes rex, & qui ei erant familiares, redditi ſunt uino inferiores, non amplius eodem modo, neque ipſi egrediebantur, neque alios ducebant ad uenationes: quin potius ſi qui laboris ſtudioſi atque induſtrij unà cum ſuis equitibus ſimul uenarentur, liquidò ijs inuidebãt, & ut ſeipſis meliores, oderant. Præterea puerorum inſtitutio ad uenandum adhuc perdurat, ſed diſciplina & meditatio equitandi extincta eſt: quoniã eò non eunt, ubi ſi conſpicui ſint laudentur. Et quoniã pueri cùm illic antea lites audirent pro iure iudicari, uidebãtur diſcere iu-

re iustitiam, & hoc omnino conuersum est, quoniã certò uident eos uictores utri plus dederint. Sed corũ uim quæ è terra oriũtur, pueri antea discebãt, quò utilib. uterentur, & à pernicioſis abſtinerent: nunc uerò uidentur hæc diſcere, quò mala quamplurima perpetrent. Nuſquã igitur plures quàm illic, neq; moriuntur, neq; corrumpuntur ex uenenis. Quinetiã multò nunc delicatiores ſunt, quàm Cyri temporibus. Tum enim adhuc diſciplina Perſica & continentia utebantur, Medorum uerò ſtola atq; lautitia: ſed hoc tempore Perſicã conſtantiam æquo animo uident extingui: at Medorum molliciem diligenter ſeruant. Declarare autem uolo eorum quoq; delicias. Illis enim primùm cubilia non modò non ſatis eſt ſubſternere molliter, uerùm etiam lectorũ pedes in tapetibus locant, ne pauimentũ renitatur, ſed ut tapetes cedant. Inſuper quæ ludo iaciebantur ad menſam, & quæcunq; reperta ſunt antea, eorum nihil ablatũ eſt: ſed & noua ſemper excogitantur, & obſonia identidem: etenim utrarunq; harum rerum noui artifices cõparantur. Inſuper hyeme non ſolùm his non ſatis eſt caput & corpus atq; pedes tegere, ſed extremis manibus chirotecas uilloſas habent, & digitalia. Ac æſtate quidem non his ſatis ſunt, neque arborum, neq; ſaxorum umbræ, ſed in his qui umbras alias homines moliantur eis adſtant. Vtq; pocula quamplurima habeant, hac re gloriantur. Quæ ſi iniuſtè comparata ſint, id nulli ſibi dedecori ducunt: in illis enim & iniuſtitia lucriq; turpitudo longè eſt aucta. Atque antea patrius eis mos erat, ne uiderentur tum proficiſci pedites alĩus cuiuſquam rei gratia, quàm ut equites optimi fierent: nunc autem plura in equis ſtrata habent quàm in cubilibus. Non enim ita equi-

tandi curam habent, ut molliter sedendi. Quæ uerò ad bellum pertinent, quo pacto in his non sunt conuenienter omnino deteriores quàm antea? Quibus superiore tempore patrium existebat, tum eos qui terram colerent, ab hac ipsa equitatores reddi, qui etiam in expeditionem ibant: tum præsidiarios, si militandum esset pro regione, stipendiarios esse: nunc uerò qui ostiarij sunt, & ciborum obsoniorumq; artifices, & pincernæ, & balneatores, & qui ad mensam apponunt, & qui è mensa tollunt, & qui dormitum agunt, & qui à somno excitant, & ornatores, qui & coloribus eos liniunt infricātq;, aliaq; decenter aptāt: hosce omnis qui potestatem habent, equites faciunt, quò sub se stipendium mereant. Multitudo igitur ex his quoque apparet, at nulla eorum ad bellū utilitas. Hoc etiam res declarant ipsæ: nam per eorū regiones hostes facilius uersantur quàm amici. Cyrus enim cùm ferentarios amouisset, thoracibus autem & eos & equos armasset, & pilum unum cuique dedisset in manum, cominus pugnam faciebat: sed hoc tempore neque iactu utuntur amplius, neque congredientes cominus præliantur. Atque pedites habent quidem ipsi crates & mucrones & secures, quemadmodum Cyri temporibus pugnaturi, sed cominus congredi neque hi uolunt. Nec item falcatis curribus ad id utuntur amplius, ad quod eos Cyrus est fabricatus. Cyrus enim cùm aurigas amplificasset honoribus, bonosq; reddidisset, habebat qui in arma impetum facerent. Persæ autem huius temporis cùm ne norint quidem eos qui sunt in curribus, censent similis sibi qui exercitatione carent eos fore, qui exercitati sunt. Et hi quidem adoriūtur. Sed priusquam fuerint inter hostes, alij è curribus ultrò excidunt,

alij

alij exiliunt. Quo fit, ut iugales aurigis carentes, pluribus sæpe malis amicos quàm hostes afficiant. Quoniam nimirum ipsi quoque cognoscunt, qualia sibi proposita sunt belli præmia, remittuntur. Nemoq; amplius sine Græcis ad bellum constituitur, neq; cùm inuicem belligerant, neque cùm Græci agunt contra eos exercitum: sed etiam aduersus hosce didicere cum Græcis bellum gerere. Et ego quidem arbitror, quæ pollicitus sum, ea mihi aliquando esse absoluta. Existimo enim Persas atque Persarum socios, et magis impios esse aduersus deos, & magis nefarios in necessarios, & iniustiores erga alios, & ignauiores ad bellum hoc tempore, quàm antea fuerit demonstratum. Quòd si quis secus atq; ego sentiat, si eorum is opera consideret, ea inueniet testimonio suo uerba mea confirmare.

XENOPHONTIS DE PAEDIA CYRI, LIBRI OCTAVI ET VLTIMI FINIS.

ROMVLVS AMASAEVS LVDOVICO AVYLAE CAROLI V. CAESARIS Imperatoris intimo cubiculario

S. P. D.



AD amorē, Ludouice Auyla, in animis hominum excitandum, etsi nihil est uirtutis pulchritudine ualentius, sæpe tamen usu uenire uidemus, ut ea amoris scintilla, quam uirtutis ipsius splendor accendet, nisi mutuis officijs, & perspicuis beneuolentiæ indicijs foueatur, aut in ipsis amicitiæ primordijs elanguescat, aut ad luminis claritatem segnitius emicet. Quare à quo primū tempore tua me eximia indoles, suauissimi mores, incredibile optimarum artium studium, te ut quantum alium neminem amarem, impulerunt, ac mihi egregiam tuam erga me uoluntatē, tua multa & humanitatis plenissima officia declararunt: nihil mihi sanctius, aut solennius esse debere existimaui, quàm ut orientis (ut ita dicam) mutui amoris nostri igniculos, certa quapiam meæ erga te obseruantiæ significatione inflammarem, atque enixè operam darem, ut me qui à te constanter & perpetuò diligerer, nō indignissimum duceres. Quo in genere, cùm eos qui amant non ignorarem, eos quos amant, ijs potissimum rebus munerare solere, quas ab illis maximè expeti intelligūt, tibi quem literarum cupidissimum cognoram, aliquid de studiorum meorū quasi penu depromere cogitabam. Verùm cùm de multis, quæ inchoata duntaxat atq; informata habeo, unum aliquid cuperē deligere, quod & ad meū erga te studium testificandum esset appositum, & tibi aptum ac iucundum contingeret: optatissimus tuus à Turcico bello cum Cæsare (quem maiestatis causa nomino) Bononiam reditus, facilè omnem eius delectus mei dubitationem sustulit. Cùm enim in primo congressu nostro, tibi ego de sequundissimis Cæsaris euentis essem gratulatus, qui diuina uirtute sua, immanissimum hostem præproperā fugam facere coēgisset, atq; è re nata inter nos mentio facta esset Alexandri, Themistoclis, Miltiadis,

Miltiadis, Agesilai, Luculli, Pompeij, & aliorum quorundam Imperatorum, quorum fuissent maximè illustres de Asiæ gẽtibus victoriæ: quæsisti tu hoc loco, quẽnam fuisset illa Græcorum expeditio, quam Plutarchus M. Antonio cum Parthis bellum gerenti, admirationi fuisse scriptum reliquerit: & nunquid Xenophontis, quem ille autorẽ nominat, de ea libri adhuc extent. Exposui ego tibi celebratæ illius Græcorum monimentis historiæ summatim argumentum: ac cùm te eius subtilius cognoscendæ cupiditate incensum animaduerterem, in Xenophontis ipsius libris VII. quos inter iuueniles meas exercitationes, in latinum sermonẽ conuersos haberẽ, rem omnẽ ordine explicatam, prius quàm hinc discederes, me tibi traditurum pollicitus sum. Ac statim è bibliothecæ meæ latebris, in quibus annos amplius XII. rudes & informes penè contabuerant, eductos, ut in tuo nomine apparerent in lucem, non magis emisi quàm extrusi. Quid enim facerem? An qui in huiusmodi aliqua re tibi gratificari ardentissimè cupissem, hoc à te gratiam ineundi tempus prætermitterem? præsertim cùm tu postea sæpius pro iure tuo me appellaris, & tanquã æris alieni submonueris. Ego uerò, cùm quãdiu esset hic Cæsar commoraturus incertum omnino esset, malui festinata expolitione in obsequendo studium & fidem, quàm emendationis maturitate curam & exactam quandam diligentiam tibi meam probare. Quin cùm ex sermone etiam tuo suspicari potuissem, ita demum fore tibi hoc quicquid muneris est gratissimum, si posses absoluti iam operis uno tempore compluscula exemplaria habere, libros hosce non describendos (quod famæ fuisset meæ fortassè cõsultius) sed librariorum formulis exprimendos curaui. Neq; illud omnino me deterruit, quòd paratos uidebam multos, qui aut hanc uertendi operam contemnerent, aut melius uerti potuisse dicerent: illis enim quod respondeam in promptu est. Primùm, iniquè eos facere qui laborem eum uituperent, per quem maximas & grauissimas disciplinas facilè, qui nõ sit rerum omnium imperitissimus, ab interitu uindicatas intelligere possit. Deinde, non posse

iurè id operis reprehendi,è quo ſummam aliquando de ueteribus acrecẽtioribus hominibus multi ſibi laudem meruerint. Quanquam attentius conſideranti, uideri quodammodo poſsit ea quæ nunc legantur, maiore ex parte ab alĩs, uel quaſi mutuò accepta, uel ex alia lingua in patrium ſermonem conuerſa. Atq; ut nulla uertentem laus conſequatur, mihi bene & præclarè de hominum genere meriti illi uideri ſolent, qui cùm intelligerent operam ſuam alĩs cõmodiorem, quàm ſibi gloriosiorem fore, non grauatè ſuam paucorum laudem, ut quamplurimorum utilitati cõdonatam uellent, ſibi in animum induxerunt. Ad hæc,iurè fortaſſe nonnullis mea hæc æditio ſermonem dederit, ſi in hoc uno omnes uigiliæ meæ uertantur, ac non tam multa à me ſcripta domi deliteſcant,ut quæ conuerſa in lucem prodierint, illorum merito prolusiones ueluti quædam numerentur.Et profectò facilè paſſurus ſum meũ hoc conſilium reprehendi,ſi hi ipſi quibus id non probabitur, oſtenderint aliquando,ſe melius ſua,quàm qui uerterũt aliena, pronunciaſſe. Quòd ſi minimi fortaſſe negocĩ, atque operæ leuiſsimæ græca in latinum transferre exiſtimauerint,in hac cupio palæſtra ut periculũ faciant: intelligent profectò multa eſſe cogitantibus facillima, experientibus ſupraquàm dici poſsit grauia ac laborioſa. Poſtremò hos homines exoratos uelim, ne moleſtè ferãt, me dum & incomparabili, quo tui incẽſus ſum, amori indulgeo, & neglectæ fidei crimẽ redimo,de laude mea non plurimùm laboraſſe.Iam uerò qui melius potuiſſe dicant, hi ut eadem, qua ipſe cùm eos uerti fui ætate, à ſe aliquid melius conuerſum, ac nõ maiore ocio, uel laxiore tempore elimatum oſtendant, uehemẽter cupio. Hic eſt à Cæſaris in hãc urbẽ aduentu dies opinor quinquageſimus:ex his ipſis diebus,cùm primorum aliquot lucem, partim in maximis reipub. negocĩs, partim in ſcholarum publico munere conſumpſerim,noctium, & ſucciſiuis quidem horis totius operis caſtigationem elucubraui:reliqui dies librario dati ſunt. At maturitatem, & potius cunctationẽ deſiderant, hoc eſt,eòdẽ reuolui. Meum, inquam, ſtudiũ & beneuolentiã tibi adoleſcenti nobis

nobilissimo, atq; omnibus fortunæ ac uirtutis ornamentis prædito, quo uno ego in præsentia poterã, & tu maximè cupiebas, modo, declaratam quamprimũ uoluí, non scienter uertendi facultatem longiore sumpto temporis spatio cuique ostentatam. Verùm cùm pluribus quàm in animo habebam, cùm hæc ad te scribere exorsus essem, mei huius uel officij, uel obsequij uituperatoribus, si quorum fortè aculeos meus hic labor exacuerit, respondebo, ad te iam ornatissime Auyla redeo. Munusculi certè huius mei prima erit ab autore commendatio, in quo te spero uel latinè loquente, propter summam rerum prudentiam, Socratis discipulum: propter orationis copiam & iucunditatem, Atticam Musam: iam uerò quòd ea scripsit, quibus non solùm miles interfuit, uerumetiam dux præfuit, & historiæ fidem, & summi imperatoris laudes agniturum. Illud enim hoc loco non dicam, multa te animaduersurum inter legendum, fidei, prudentiæ, tolerantiæ, ac reliquarum uirtutum exempla, quæ facilè uelis & possis imitari. Multa item uitiorũ, à quibus te semper abhorruisse lætere. Vt illud missum faciam, magnam tibi uoluptatem afferre posse locorum & itinerum descriptionem, euentorum uarietatem, illustrium præterea hominum mirabiliter expressos mores, naturam, consilia, acta, casus. Non addam multas etiam castrenses conciones, grauiter & ornatè, ac cum multa & planè Xenophontea iucunditate expositas, tibi facilè declaraturas, uel inter armorum fremitus suum esse eloquentiæ locum. Quæ enim communes sunt totius historiæ laudes, etsi in Xenophonte, atqueadeò in his eius libris, multùm eminent, eas tamẽ potes ex aliorũ etiam scriptorum monimentis cognoscere. Quod uerò præter autoris dignitatem, ad munus meum apud te ornandum ualde fore accommodatum duco, primum erit quædam ac maximè germana similitudo illius Græcorum expeditionis cum hac, quæ nuper Caroli Cæsaris magnitudinẽ & felicitatem immortalitati consecrauit. Vtraque enim magno sanè temporum interuallo, certissimo fuit documento, non copiarum numero, sed militum uirtute: consilio, non ducum

temeritate: disciplina, non impetu, ad uictoriam profici. Deinde uerò, quòd cùm Græcos leges parua manu infinitum propè Asianorum numerũ sæpius fudisse, neq; tantùm hostium perfidiam, periuria atque insidias ualuisse, quin sola illi uirtute freti, per ignota atque infesta loca, feras & immanes gentes euaserint, atque ad suos in patriam incolumes redierint: in minimè dubiã spem adduci poteris, Cæsarem aliquando minore multò negocio, uindicata Christiano imperio Peloponneso, extorto de impij hostis manibus Byzantio, in Asiam uictrices aquilas illaturum. Atque utinam, mi Auyla, & cùm hæc ipse atque cogitatione complectere, & cùm inter illas gentes assiduus & fidus comes Cæsarẽ sequere, mihi, qui incredibilem meum erga te amorem hac æditione indicare uolui, animo uerò ac uoluntate summa, totum me in clientelam & fidem tibi tradidi, uel uiuenti, uel uitæ iam muneribus perfuncto, aliquid suauitatis ac beneuolentiæ tuæ impertiare.

Vale.

Bononia, pridie Kal. Feb.
M.D.XXXIII.

Xenophontis de

CYRI MINORIS EXPEDITIO NE LIBER PRIMVS, ROMVLO Amasæo interprete.

DARIVS ex Paryſatide filios duos ſuſcepit: maiorem quidem natu Artaxerxen, minorẽ uerò Cyrum. Is cùm graui affectus morbo, extremum à ſe diem nõ longè abeſſe ſuſpicaretur, utrunque filium cùm è uita decederet, intereſſe cupiebat. Aderat tũc quidem Artaxerxes. Cyrus è prouincia, cui à patre præfectus fuerat, accerſendus fuit: ei nanq; omnium qui ad Caſtoli campos conueniunt, imperium detulerat. Ac uenit ille quidem quamprimùm cum Tiſſapherne, quem ſibi amicum putabat, & Græcorum grauis armaturæ peditum trecentorum cohorte, quam Xenias Parrhaſius ducebat. Mortuo uerò Dario, cum ei in regnum Artaxerxes ſucceſſiſſet, Tiſſaphernes Cyrum apud fratrem criminatur, quòd ei inſidias compararet: cui cùm ille credidiſſet, Cyrum comprehendit. Eum tamen mater deprecatione ſua, certæ necis periculo liberatum, in prouinciam remittit. Tunc Cyrus & periculi, & fraternæ contumeliæ indignitate grauiter commotus, deliberat quónam modo & à fratre deficiat, & eius etiam ſibi regnum uindicet. Et Paryſatis quidem mater, in hunc magis quàm in ipſum regnantem Artaxerxen, animi inclinatione propendebat. Ipſe uerò Cyrus eorum qui ad ſe à rege quacũq; de cauſa

ueniſſent, ita ſibi animos conciliabat, ut amiciores multò ſibi quàm regi, dimitteret. Præterea curabat, ut barbari quos habebat apud ſe, boni bellatores eſſent, & eos ſibi ſuo beneficio deuinciebat, & Græcorum copias quamoccultiſſimè (quòd ſcilicet regem imparatiſſimum adoriretur) ad ſe accerſebat. Quoties itaque ſingularum ciuitatum præſidia recenſeret, toties præfectis earum negocium dabat, ut è Peloponneſo quamplurimos, quamq; lectiſſimos homines euocarent, ſimulans comperiſſe ſe eas Ioniæ ciuitates à Tiſſapherne clàm ſolicitari: quæ cùm fuiſſent antea à rege Tiſſapherni traditæ, nuper ad Cyrum omnes, præter Miletum, defecerant. Cùm enim Mileſios Tiſſaphernes præſenſiſſet nouas res moliri, ex conſilij eius auctoribus partim occiderat, partim exegerat. Hos cũ Cyrus ad ſe confugientes excepiſſet, exercitu comparato, Miletum ſumma ui terra mariq;, ſuſcepta exulum cauſa, aggreſſus fuerat obſidere: quæ ſanè obſidio, eius quoq; in nouo delectu diſſimulationem facilè ſuſtinebat. Qua etiam de cauſa miſerat Cyrus ad regem legatos, qui eum orarent, ut ei qui frater eſſet, mallet quàm Tiſſapherni eas ciuitates parére: qua quidem in re neque matris ei ſtudium defuit. Atque his artibus regiæ ſuſpicioni facilè occurſum eſt. Cùm enim putaret rex contra Tiſſaphernem à fratre copias comparari, non moleſtiſſimè ferebat eos inter ſe armis diſſidere: præſertim uerò cùm tributi nomine, pro ijs quas diximus ciuitatibus, nihil minus quàm Tiſſaphernes regi Cyrus penderet. Et Cyro alius etiam delectus habebatur in Cherſoneſo, quæ Abydi è regione eſt, ad hunc ſanè modum. Clearchus Lacedæmonius domo eiectus, erat apud Cyrum in ſummo honore: à quo cùm

Darico

Daricorum decem millia accepisset, ex Chersoneso collecta manu, Thracibus qui supra Hellespontum sunt, bellum intulit. Quæ res quòd erat ex Græcorum commodo, ciuitates Hellesponti ultrò ei ad alendum exercitum pecunias conferebant: quare & hæ Cyro copiæ clàm confectæ sunt. Aristippus uerò Thessalus hospes eius, cùm domi aduersariorum factione premeretur, ad Cyrum confugit: à quo cùm pecuniã in bis mille mercenarios milites, & trimestre stipendium popposcisset, quòd ea se manu facilè inimicis superiorem futurum confideret, Cyrus in quater mille, & mensium sex, ei stipendium detulit: hominemq; incitauit, ut negocium conficere maturaret, prius quàm ad se eum consultandi causa accerseret. Atque ita in Thessalia auxilia ex occulto Cyro alebantur. Eodem sanè tempore Proxenum Bœotium, bello in Pisidas sibi infensos simulato, pro uetere amicitia rogauit, ut ad se cum quàm posset maximo militum numero ueniret. Sophænetum etiam Stymphalium, et Socratem Achæum hospites suos, belli eius nomine quod Milesiorum exulum causa contra Tissaphernem susceptisset, cum sua utrunque manu ad se euocauit: neque hi in officio non fuerunt. Cyrus ubi in superiorem Asiam mouere statuit, causam huius belli eam præ se tulit, quòd Pisidas finibus suis uellet eijcere: atque ob eam rem simulat omnia tum Græcorum, tum barbarorum auxilia se cogere. Tum Clearcho denunciat, ut ad se quas habebat copias, adducat. Aristippum admonet, ut pace cum ciuibus facta, ad se manum illam mittat. Xeniæ uerò Arcadi, quem ijs quos in ciuitatibus singulis habebat mercenarijs præfecerat, imperat ut ad se, firmatis tamen præsidio arcibus, cum suis omnibus ueniat.

Eos quoq; qui in Mileti obsidione occupati erant, ac ipsos etiam exules, sibi eius expeditionis socios adsciscit: quibus pollicetur confecto ex sententia quod tunc suscipiebat bello, non conquieturum se prius, quàm eos domum restituisset. Hi uerò minimè inuiti paruerunt: quippe qui Cyro fidem habebant, ac omnes quidem Sardeis armati conuenerunt. Xenias collectis omnibus ex urbibus, ad quatuor millia peditum grauis armaturæ: Proxenus cum mille & quingentis, & expeditis quingentis: Sophænetus grauis armaturæ mille: Socrates Achæus ferè quingentos adduxere. Pasion Megarensis cum septingentis militibus uenit. Hic & Socrates unà in Mileti oppugnatione fuerãt. Atque hi quidem Sardibus præstò fuere. Cùm hæc animaduerteret Tissaphernes, cumq; apparatum maiorem esse arbitraretur, quàm ut aduersum Pisidas cõparari uideretur, cum equitũ quingentorũ comitatu ad regem quàm potuit maximis itinerib. contendit. Vbi rem omnem rex cognouit ex Tissapherne, & ipse omnia ad bellũ necessaria cõparat. Cyrus uerò cum ijs, quas enumerauimus copijs, Sardibus mouit. Inde per Lydiã tertijs castris, parasangas uiginti duas, quod est ad passuũ millia octoginta octo, progressus, ad Mæandrũ amnem peruenit. Cuius cũ esset latitudo duũm plethrorũ, id est, passuũ fermè quadraginta, erat tunc ponte, quem nauigia septem sustinebant, iunctus. Hunc cùm traiecisset, per Phrygiã primis castris tricies bis mille passibus confectis, ad Colossas uenit, celebrem urbem, magnã & opulentam: ubi cùm dies septem cõmoratus esset, superuenit interea Menon Thessalus cum grauis armaturæ peditibus mille, cetratis: item quingẽtis Dolopibus, Acnianensibus, Olynthijs. Inde uerò

tertijs

tertijs castris passuum octoginta millia progressus, Celænas uenit. Vrbs hæc Phrygiæ est, ampla, frequens & locuples. Hîc Cyri regia fuit, in qua horti feris refertißimi, quas in equo insectabatur, quoties seipsum & equos exercere uellet. Medios hortos Mæander perlabitur, eiusq; fontes in ipsa regia sunt. Idem amnis oppidum quoq; præterfluit. Est etiam regis ipsius Celænis regia, in ædito & situ ipso munito loco, sub arce, ad Marsyæ fluminis fontes. Marsyas etiam urbem præterfluens, in Mæandrum intrat: eius est latitudo pedum uigintiquinq;. Hîc Apollinem ferunt à se in tibiarũ certamine uicto Marsyæ cutem detraxisse, eamq; in antro ubi fontes sunt, suspendisse, atq; ex ea re flumini nomen inditum. Hoc in loco Xerxen traditum est, cùm clade accepta ex Græcia retrocederet, regiam hanc & arcẽ munisse. Illic Cyrus triginta dies commoratus est: intra quos Clearchus Lacedæmonius exul, cum peditibus grauis armaturæ mille, & Thracibus cetratis octingentis, Cretensibus sagittarijs ducẽtis, est eum assequutus. Per eosdem etiam dies Sosias adfuit Syracusanus, cum grauis armaturæ peditibus mille, & cum totidem Sophænetus Arcas. In ijs quos antè diximus hortis, Cyrus Græcorum censum habuit. Censa sunt grauis armaturæ pedites XI. millia, cetrati plus minus bis mille. Hinc secundis castris pas. XL. millia processit ad Peltas celebre oppidũ, ubi dies item tres mansit. Ibi Xenias ludos fecit, Lupercalia: uictoribus præmia fuere strigiles aureæ. Eos ludos ipse etiam Cyrus spectauit. Hinc secundis castris millibus passuum XLVIIII. confectis, Ceramuntem uenit. Ea urbs nobilis est, in Mysiæ finibus. Ab hac tertijs castris millibus passuum CXX. ad Caystri campos,

Celenæ Cyri regia.

quæ ciuitas et ipsa frequens: hîc dies quinque substitit. Quo in loco cùm militi trimestre iam, atque eo maius stipendium deberetur, urgebatur quotidie Cyrus à multitudine, quæ ad eius fores conueniebat. At ille flagitantes spe alebat: neque tamen animi solicitudinem dissimulare poterat, quippe qui neutiquam, cùm haberet, pensionē differre solitus esset. Interea Epyanaxa, Syennesis Cilicum regis uxor, ad Cyrum uenit, à qua magnā creditur pecuniam accepisse: quatuor mensium certè mercedem militibus dissoluit: ac eam quidem Cilicum & Aspendiorum satellitum comitatus deduxerat. Vulgò quidem ferebatur, cum Cyro eam congressam. Hinc secundis castris passuum XL. millia progressus, Thymbrium uenit: ciuitas & ea celebris. In ipsa quæ huc ducit uia, fons ostenditur, qui Midæ dicitur: quem Midam Phrygũ regem uino miscuisse proditũ est, cùm ad se* Silenũ pellexit. Hinc secundis castris millium passuum XL. itinere, ad frequentem urbem Tyriæum peruenit: quo in loco dies tres commoratus, cùm interea Cilissa ut exercitum sibi ostenderet uniuersum rogasset, Græcorum ac barbarorum copias in proximo campo hoc modo recensuit. Græcis imperauit, ut suo ritu aciem instruerent, ac suos quisque produceret. Illi in cornua diuisi, quaterni constiterunt. Dextrum Menon tenuit: in læuo suos Clearchus habuit: in media cæteri duces acie stetere. Spectauit Cyrus barbaros primùm: atque hi quidem in cateruas ac centurias descripti processere: Græcos deinde: ipse curru præteruectus, Cilissa uerò plaustro curuli. Erant omnibus æreæ galeæ, puniceæ tunicæ, ocreæ, & scuta ad splendorem detersa. Cyrus omnia conspicatus, currum ante aciem sustinuit, ac Pigretem interpretem

*In Græco est, Satyrum.

pretem misit, qui Græcorum ducibus suo nomine denunciaret, ordinibus imperarẽt, scuta ut proijcerent, ac quasi impressionem facerent, ita promouerent. Atque hi quidem militibus quod facto opus esset, significarunt. Quare ubi classicum cecinit, cuncti proiectis scutis, cum clamore promouerunt. Inde cùm celerius cum clamore progrederentur, factus est sua sponte militum cursus ad tentoria. Ibi cùm barbaris alijs sanè multis incessit metus ac trepidatio, tum Cilissa ex curuli plaustro se in fugam dedit: forensis uerò omnis multitudo mercibus relictis dilapsa est: at Græci se cum risu intra tabernacula recepere. Regina speciem ac ordinem exercitus est uehementer admirata. Ac Cyrus quidem magnam cepit uoluptatem, cùm Græcos animaduertit tantopere à barbaris metui. Progressus hinc tertijs castris millia pass. LXXX. ad Iconium, quæ extrema Phrygiæ urbs est, uenit: in qua triduum commoratus, inde per Lycaoniam quintis castris nonagintaduùm millium passuum iter fecit. Agrum uerò eius regionis uniuersum, ut hostilem, Græcis diripiendum tradidit. Hinc Cilissam ea uia, quæ breuissima uisa est, Menonis Thessali cohorti, ipsiq; Menoni, in Ciliciam deducendam committit. Ipse cum reliquo exercitu quartis castris millibus passuum C. confectis, per Cappadociam Danam, quæ frequens, ampla & opulenta urbs est, peruenit. Hic quoque triduum est commoratus: atque interea Megaphernem Persam hominem, regis purpuratum, & alium quendam, summo inter regios præfectos loco, eo nomine quòd sibi insidias fecissent, interemit. Hinc Ciliciam inuadere conantur. Angusti sunt ad eam aditus, trames uehementer arduus, & uix singulis

plaustris peruius: quem certè agmen nullum, si quis prohibeat, ulla ui superare posit. Ac tunc quidem Syennesis summis in iugis aditus eos custodire ferebatur. Quare in campis Cyrus diem unum constitit: postero uerò die cùm renunciatum esset, Syennesin, ubi animaduertisset intra montes Menonem in ipsa iam Cilicia cum suis constitisse: audisset etiam Tamon, cum Lacedæmoniorum, Cyriq; ipsius triremibus ex Ionia profectum, ad Ciliciam appropinquare, è montibus præsidium deduxisse, sine ullo negocio in montes ascendit: ubi deserta Cilicum castra conspicatus, descendit in latè patentes campos, amœnos & irriguos, ac omnifarijs arboribus & uitibus consitos: sesami uerò, panici, milij, tritici, ordei, feracissimos. Eos arduus ab una maris ad alterã partem, & præruptus mons amplectitur. Hinc cùm millia paß. C. castris tertijs promouisset, Tarsum uenit: magna & opulenta est Ciliciæ ciuitas, & in eadẽ Syennesis Cilicum regis domus: mediam urbẽ præterlabitur Cydnus amnis, cuius est latitudo paß. XL. Ac urbe quidem cum Syennesi ciues omnes deserta, se in montiũ castella receperant: soli remanserant caupones: neq; hi se loco mouerant, qui Solis & Ißi ad mare habitabant. Epyanaxa quidem Syennesis uxor, quinq; ante Cyrum diebus Tarsum peruenerat: in quibus quà in plana è summis montibus descensus erat, manipulos duos de copijs suis Menon amiserat, quos populabũdos erant qui dicerent à Cilicibus cæsos: alij uerò aiebant, in extremo agmine relictos, suos assequi nequisse, quòd scilicet à uia aberrassent, itaq; palantes interemptos. Fuere qui desiderati sunt grauis armaturæ C. Reliqui cùm Tarsum uenissent ira ob amissos cõmilitones incensi, oppidũ ac ipsam regiam

regiam diripuere. Cyrus primùm urbem ingressus, misit qui Syennesin ad se euocarẽt. At ille quòd diceret, eam sibi cautionem semper fuisse, ne ad eos accederet, quibus se infirmiorem esse putaret, non prius cum Cyro congredi uoluit, quàm & uxoris suasu adductus, & fide à Cyro data confirmatus esset. Cùm essent itaque multa inter se colloquuti, Syennesis Cyro magnam pecuniam ad exercitum alendum dedit. Cyrus illi uicissim munera quæ regibus eximia esse consueuerunt, equum cum fræno aureo, aureum item torquem, Persicum uestitum. Ad hæc, in posterum tutos fore ei à suorũ populationibus fines recepit, mancipiaq; redditurũ se, ubicunq; ea essent reperta. Hoc in loco Cyrus dies XX. commoratus est, cùm milites iam suspicantes se contra regem duci, recusarent longius progredi: neq; enim se eo nomine conductos aiebant. Hîc Clearchus suos ui impellere conatus est: at illi & eum, cùm iam agmen duceret, & iumenta lapides coniecerunt: quo factũ, ut penè lapidibus obrueretur. Quare cùm iam planè intelligeret se nihil ui profecturum, suos ad concionem uocauit: ac prius cùm diu stans collachrymatus esset, cum magna militum admiratione ac silentio, ad hunc deinde modum loquutus est: Nihil est milites quod miremini, si animi angor propter præsentem rerum statum. Cyrus mihi quidem hospes est: is mihi exulanti & alios honores habuit, & Daricorum X. millia largitus est: quam ego pecuniam neq; in commoda, neq; in uoluptates proprias effudi, sed eam uniuersam inter uos diuisi. Et primũ cum Thracibus bellum gessi, quos uobiscum unà, suscepta Græciæ causa, armis sum persequutus: ac eos Græcis colonis agrum eripere conantes, è Chersoneso eiecimus. Vbi

Clearchi oratio.

uerò me Cyrus ad se euocauit, uobiscum ad eum ueni, ut cùm qua in re opus esset, ille me adiutore uteretur, pro multis in me meritis gratiam ei referrem. Iam uerò cùm refugere uos hoc iter animaduertam, ac mihi horum alterutrum necesse sit, uel ut uos prodam, Cyri amicitia utar: uel ut eum spe sua frustrer, uobiscum abeam: etsi haud scio, an iustum cuiquam meum hoc factum uideri possit, certum est tamen uos illi anteponere, & uobiscum quencunque casum fors tulerit, æquo animo pati. Neque me quisquam iurè criminabitur, quòd cùm Græcos ad barbaros duxerim, Græcis planè proditis, barbarorũ amicitiam sim sequutus: uerùm cùm uos neq; audire me, neque sequi uolueritis, ego uos sequar, ego uobiscum quicquid ceciderit, feram. Vos ego mihi patriam, uos amicos, uos socios esse arbitror: uobiscum ego ubicunque fuero, egregium me fore, & honoratum confido: à uobis si deseror, ne esse quidem possim, nedum aut amicum iuuare, aut inimicũ ulcisci. Quare eo animo uos esse uelim, ut me, quocunque uos duxeritis, uenturũ putetis. Hæc cùm dixisset, milites, quòd negasset se illis inuitis aduersus regem profecturum, eius orationẽ magnopere approbarunt. Quocirca à Xenia & Pasione amplius bis mille, cum armis & iumentis ad Clearchi tabernacula transierunt. Hìc Cyrus magna solicitudine ac molestia ex re inopinata affectus, Clearchum ad se accersi iubet: ille palàm quidem se iturum negat: clàm uerò certum ex militibus suis nuncium mittit, ac Cyrum bono animo esse iubet, quòd uti expediret, omnia euentura confideret, se modò iterum accerseret. Quo facto, ille iterum se uenturum negauit. Atque è re nata uocatis cùm suis, tum aduentitijs ad concionem, in hunc

in hunc modum uerba fecit: Iam, milites, nihil plus hercule nos à Cyro, quàm illum à nobis expectare æquum est: neque enim nos illi milites, qui scilicet eum non sequimur, neque ipse nobis iam stipendium pendet. Atque eum quidem planè scio se à nobis existimare iniuria affectum esse: quare cùm accersierit, nullo pacto ad eum mihi eundum putaui: pudet enim me (quod caput est) quòd mihi conscius sum, illum prorsus à me deceptum esse. Deinde uerò & illud timeo, ne cùm me cõprehensum tenuerit, meam in se iniuriam iusta uindicet pœna. Vt res igitur se nunc habet, non patitur tempus ut somno nos demus, & ipsos nos ut negligamus: uerùm pro re atq; tempore consilium capiendum, quò aut si hìc manendum putamus, quammininimo cum periculo maneamus: aut si discedendum, quàm tutissimè abeamus, atque interea nobis ut commeatus suppeditent. Neque enim hi si desint, aut militis, aut ducis opera, quicquam proficere possit. Et Cyrus sanè, ut cui amicus est, omni officij genere cuiuis facilè præstat: ita est, cui inimicus extiterit, hostis acerbissimus. Habet præterea eas, cùm terrestres peditum atque equitum, tum maritimas copias, quas omnes æquè cernere ac nosse possumus: neq; enim, ut mihi uidetur, ita longè ab eo consedimus. Quare tempus monet, ut quod quisque factu optimũ ducat, id in medium afferat. Cùm dicendi finem fecisset, surrexerunt ex eo numero militum, partim qui pro animi sui sententia uerba fecerunt, partim uerò qui à Clearcho subornati, demonstrabant quæ esset rerum omnium difficultas futura, uel manerent, uel discederent sine Cyri consensu. Ac unus ex his simulans se festinare quamprimùm in Græciam proficisci, dixit: Si Clearchus dux esse

Clearchi oratio.

recusaret, alios quamprimùm duces deligendos, commeatus curandos (erat autem in barbarorum castris forum) reliqua omnia comparanda: mittendos item qui à Cyro nauigia poscerent, quibus in patriam reueherentur: ea si dare nollet, ducem daret, qui per amicorum fines reduceret. Quòd si nunc etiam se daturum negaret, occupanda esse quamcelerrimè montium iuga, ne scilicet aut Cyrus, aut Cilices, quorum paulò antè, inquit, opimam prædam asportauimus, detrimento nos ullo afficiant. Hæc ille. Tunc Clearchus unũ hoc addidit: Me quidem iubeat nemo hoc imperium capessere: multa enim occurrunt, quam ob rem id mihi nullo pacto censeam faciendum. Ei tamen quemcunque uos imperatorem delegeritis, pro facultate mea parebo, ut me intelligatis non facilè cuiquam hominũ etiam parendi scientia cedere. Alius deinde eius stultitiam reprehendit, qui naues à Cyro petendas censuerit, tanquam uerò aliam ille classem comparare non posset. Nam quid absurdius, inquit, quàm ab eo ducem petere, cuius nos expeditionem, quantùm in nobis est, irritam facimus? Sed fidem Cyri duci habeamus, quis prohibeat quin iubeat Cyrus iuga montium occupari? Ego quidem & naues quas ille nobis dederit, non mediusfidius libenter conscenderim, quòd scilicet iure timeri possit, ne cum ipsis nos triremibus demergendos curet. Cur etiam non timeam, quem mihi dederit ducem sequi? quasi nos ille eò compingere non possit, unde nulla sit exeundi potestas. Ego uerò, inuito si Cyro abeundum sit, quamoccultissimè discedendum putarim. Sed enim hæc mihi planè nugatoria esse uidentur: quin potius cum Clearcho idoneos homines ad Cyrum mittimus, qui percontentur, qua in re opera nostra

uti

uti uelit. Quòd si intellexerimus, à nobis illum nihil plus quàm antea à cæteris conductitijs postulare, censeo sequamur, neque deteriores ijs simus, qui cum illo antè hoc iter ingressi sunt. Sin res maior, maioris q; periculi ac laboris, quàm adhuc fuerit, uideatur: aut ille nos, se ut sequamur adducat, aut si nobis id persuadere nõ potuerit, salua amicitia nos abire sinat. Sic enim aut amici ac libentes sequemur, aut tuti discedemus. Ac quid ille quidem ad hæc responderit, legati renuncient: nos uerò tunc ex ipsa re consilium capiemus. Huius est omnibus probata sententia, ac statim delecti sunt, qui cum Clearcho ad Cyrum profecti, quæ à suis mandata acceperant, exposuerunt. Ad ea ille respondit: Audisse se Abrocomã hostem suum ad Euphratem amnem esse, quò possit dierũ XII. itinere peruenire: eò se igitur iter habere, ubi si hominem assequatur, de eo se supplicium sumpturũ: sin effugerit, eo ipso in loco consilium de reliquo, inquit, capiemus. Hæc legati suis renunciarunt. At illi, tametsi suspicabantur se aduersus regem duci, decreuerunt tamen sequi: stipendium tantum postularunt. quibus Cyrus pristinæ mercedis sesquiplũ daturũ recepit, nempe ut pro Darico, sesquidaricum menstruum acciperent. Quòd eos uerò aduersus regem duceret, ne tum quidem uulgatum est. Post hæc secundis castris M. pass. XL. progressus, ad flumen Pharon uenit, quod quidem in latitudinem pass. LX. patebat. Inde primis castris M. pass. XX. ad Pyramum, huius nihilo minor stadio latitudo: à quo castris secũdis LX. M. pass. confectis, Issum, quæ Ciliciæ extrema ciuitas est, maritima quidem ea & opulenta, peruenit. Ibi triduum cõmoratus est: per quos dies ex Peloponneso naues XXXV. quarum erat nauar

chus Pythagoras Lacedæmonius, præstò fuere. Dux earũ Tamus erat Aegyptius, qui ab Epheso Cyri etiam naues XXV. adducebat, quibus ille Miletũ obsederat: quòd ea scilicet ciuitas Tissapherni se cõiunxerat, aduersus quem Tamus Cyro auxiliũ tulerat. Fuit in illis nauibus à Cyro euocatus Chirisophus Lacedæmonius, cum DCC. grauis armaturæ militibus, quibus ille Cyri auspicijs imperabat. Ac naues quidem proximè ad Cyri prætoriũ appulerũt. Eo in loco Græci CCCC. grauis armaturæ, qui Abrocomæ stipendia faciebãt, ab eo ad Cyrũ transiere, & cum eo aduersus regem profecti sunt. Hinc Cyrus castris primis paſ. XXV. M. confectis, ad Ciliciæ ac Syriæ portas per uenit. Harũ citeriores muros, qui Ciliciæ finis est, Cilicũ præsidiũ à Syennesi cõstitutũ custodiebat: ulteriores, regis ipsius præsidiũ tenere dicebatur. Interfluebat amnis cui Cerso nomẽ, cuius erat XX. paſ. latitudo: medium utrorũq; murorum interuallũ triũ erat stadiũm: ui quidẽ insuperabilis locus: nam anguſtißimus erat trãsitus: muri ipsi ad mare pertinebãt, quibus ardua & prærupta imminebant saxa. In utrisq; muris portæ erãt singulæ. Hæ fecerunt anguſtiæ, ut naues Cyrus accerseret, quò transmißis intra & extra portas armatis, si quos offendisset qui Syriæ portas præsidio tuerentur, ijs ui pulsis, loci difficultatem superaret: neq; uerò dubitabat, quin Abrocomas, qui magnũ exercitũ haberet, esset eos aditus defensurus. At ille ubi primùm Cyrũ accepit Ciliciã iam tenere, deserta Phœnice, ad regẽ cũ triginta millib. hominũ, quos in armis habere dicebatur, se recepit. Ingressus igitur Cyrus, nullo negocio per Syriam primis castris M. paſ. XX. itinere, ad Myriandrum, celebrem & maritimam Phœnicum ciuitatem

tatem cõtendit. Erat hic locus totius oræ emporium, quô tunc onerariæ naues quamplurimæ appulerant. Hic Cyrus dies VI. commoratus est. Hinc Xenias Arcadum dux, & Pasion Megarensis, optima rerum suarum parte in naues impositâ, clàm soluerunt. Id multi ex indignatione factum interpretati sunt: quòd milites qui ab ipsis, simulato in Græciam reditu, ad Clearchum perfugerant, quòd aduersus regem proficisci nollent, Cyrus eos à Clearcho detineri pateretur. Cùm itaque se ex omnium conspectu eripuissent, rumor increbuit, triremibus eos Cyrum persecuturum. Ac alij quidem, ut capti perfidiæ pœnas darent cupiebant: alij ne caperentur timentes, eorum uicem dolebant. Hic Cyrus uocatis ad se ducibus, in hunc modum uerba fecit: Xenias nos & Pasion deseruerũt. Ne tamẽ putent se aut perfugisse, cùm me non fugiat quô abeant: neque effugisse, cùm triremes mihi non desint, quibus eorum nauigium capere possim. Sed enim neutiquã eos persequar: neq; committam ut me criminari quisquam possit, quòd quantisper mecum quis est, eo utor: ubi discedere statuerit, aut captum multem, aut sua eum pecunia spoliem: uerùm impunè abeant: facilè enim patior eos intelligere, maiore me in illos æquitate, quàm illos in me fide, uti. Quin & cùm eorum liberos & coniuges Trallibus obsides habeam, nõ tamen illis per me carebũt: uolo enim eos pristinis in me illorum officijs condonatos. Hæc Cyrus. At è Græcis multi, qui antea expeditionem eam grauius tulerant, uirtute eius perspecta, libentius multò atque alacrius consequuti sunt. Hinc Cyrus quartis castris M. pass. LXXX. ad Chalon amnem progreditur. Huius est latitudo pass. XX. magnis uerò ac mansuetis piscibus

Videtur legisse θέους, cùm legatur θεὸς, hoc est, deos.

refertißimus est, quos Syri* sacrosanctos habent, eosq; uiolare æquè ac columbas, nefas putãt. Vici in quibus castra posuerãt, Paryſatidi in ſumptus fuerãt attributi. Eo ex loco quintis castris M. paſ. CXX. itinere, ad Darada cis fontes uenit: patet is quà latus est, paſ. XX. Erat hîc Beleſis Syriæ prætoris regia, atq; in ea horti maximi ac elegantißimi, atq; omniũ quæ ferunt anni tempora fructuum feracißimi. Hos Cyrus ſucciſis arboribus uaſtauit, ipſamq; regiã exußit. Tertijs deinde castris M. paſ. LX. progreſſus, ad Euphratem amnem peruenit, cuius latitudo ſtadiũm est III. Proxima fluuio est magna & opulenta urbs, Thapſacus nomine, ubi dies quinque Cyrus commoratus est. Atq; eo primum in loco accerſitis ad colloquium ducibus, Babylonem ſe aduerſus regem ipſum contendere confeſſus est: quod ut militibus quiſq; ſuis denunciaret, imperauit, eisq; perſuaderet ut ſequerentur. Illi uocata concione rem expoſuere. Tum milites grauiter commoti ſunt, quòd ſuos duces putarent, cùm id antea multò reſciſſent, ſe de induſtria celaſſe: ſe uerò ſequuturos negabant, niſi idem ſibi ſtipendij daretur, quod ijs Græcis antè datum ſcirent, qui Cyrum ad patrem deduxerunt, cùm præſertim nulla illis fuiſſet propoſita pugna, nẽpe quòd Cyrum pater accerſiſſet. Tum Cyrus ſingulis argenti minas quinq;, cùm peruenisſent ad Babylonem, ſe daturum recepit: ſtipendium uerò quantum iam præfiniſſet, uſque dum in Ioniam eos reſtitutos curaſſet. Atque huic quidem conditioni acquieuerunt reliqui. Menon uerò, dum anceps eſſet adhuc omnium deliberatio, neque conſtaret Cyrum ſequuturi eſſent nec ne, ita ſuos est alloquutus: Si me audiatis, milites, neque periculo, neque labore quàm cæter

teri maiore efficere potestis, ut Cyrus uobis maiorem quàm cæteris honorem habeat. Quid igitur faciendũ censeo? Nempe quoniam Cyrus nunc à Græcis, ut se aduersus regem sequantur, uehementer contendit, nos ultrò Euphratem transmittamus, atque id antequàm cæteri Cyro quicquam in alterutram partem respondeant. Nam si sequi decreuerint, nos illi autores fuisse uidebimur: nobisq; Cyrus, cùm ei tantò maiorem alacritatem præstiterimus, gratiam & habebit, & referet, quod prolixè ut alius quiuis, facere consueuit. Sin illi secus statuerint, uniuersi domum reuertemur. Ac tunc quidem nobis, ut quorum sit fidem atque officium expertus, utetur præ cæteris: ac uos, siue præsidiorum præfecturas, siue cẽturiatus, siue aliud quid ex cõmodo uestro poposcerits, omnia uobis de eius beneficentia polliceri poteritis. Hæc illi facilè approbarunt, ac prius quàm cæteri Cyro respõsum darent, transmiserunt. Id ubi Cyrus cognouit, magnam cepit uoluptatem, statimq; Glun misit qui hæc nunciaret, habere se iam quod in illis summopere laudaret: sibi uerò magnæ curæ fore, ut ab illis laudem mereretur, uel se non amplius Cyrum putarent. Quibus sanè uerbis milites hi ad magnam spem erecti sunt, ac ut Cyro omnia felicissimè euenirent, optabant. Menoni quidem ipsi magnifica dona misisse ferebatur. Post hæc & ipse flumen traiecit, quẽ uniuersum agmen consecutũ est: neq; uerò quisquam est altius quàm ad pectus immersus, cùm Thapsaceni affirmarent, neminem antè tam facilè potuisse eum amnem pedibus trãsmittere. Nauigijs enim alios traijcere solitos, quæ Abrocomas in ipsa fuga exussérat, quò Cyro transeundi facultatem eriperet. Quare id diuinitus factũ interpretabantur,

Menonis consilium astutum.

quasi ipse amnis se Cyro regnaturo submitteret. Inde nonis castris per Syriam M. pass. CC. itinere ad Araxem amnem peruenere. Hic uici erant complures frumento uinoq; refertissimi, in quibus dies III. frumentandi causa commorati sunt. Hinc per Arabiam, Euphrate ad dexteram relicto, quinis castris M. pass. CXL. iter per deserta loca fecere. In hoc quidem spatio campi latè in æquoris modum patebant, absinthij ex omni parte plenissimi: sed in his & alia sylua, uel calami, uel cuiusuis fruticum generis, odore nihil ab aromatis differebat. Arbor omnino nulla, ferarum ac sylue strium auium aliquot genera, onagri, struthiocameli, otides, capreæ, quas equites non-
Onagri. nunquam bestias insectabantur. Onagri quidem cursu equos facilè superabant: cúmque iam ad eos equites proximè accessissent, ad cursum illi incitabantur: restitabant deinde cùm abessent longius, atque ita sæpius iterata fuga equitem fallebant: neque capi ulla ratione potuissent, nisi eos equites diuersis ex partibus urgentes, medios excepissent. Erant eorum carnes sapore nihil ferè à ceruinis differentes, molliores aliquanto. Struthiocamelum nemo omnino capere potuit: tam longè enim & pedum pernicitate, & alarum quasi uelificatione promouebant, ut statim equites desperata præda insequi desinerent. Otidas uerò, si quis eas celeriter inuadat, licet capere: nihilo enim quàm perdices longius prouolant, & fatigantur celerrimè. Sunt autem carne multò suauissima. Hinc profecti, ad eiusdem regionis fluuium perueniunt, Mascam nomine, passuum uiginti latitudine patentem: ad hunc urbs fuit, illa quidem magna, sed deserta, cui Corsote nomen, quam amnis ipse undique circun-

circunfluebat. Hoc in loco exercitus triduũ frumentandi causa cõmoratus est. Mox castris decimistertijs M. passs. CCCLX. per deserta progressus, ad dexterã Euphrate relicto, ad Arabiæ portas peruenit. Eo interuallo quamplurima iumẽta fame perierunt: neq; enim aut pabulum, aut arbor ulla uspiam inuenta. Tota siquidem regio uasta usquequaq; & inanis. Incolæ asinarias molas circa flumen cædunt, excusasq; Babylonem deportant, ijsq; uendi tis coẽmpto frumento famem leuant. Ac tunc quidem frumenti inopia uehementer exercitus laborabat, neque erat unde emi posset, nisi fortè ex Lydiæ foro, ab ijs barbaris qui sub Cyri erãt imperio: ubi singulæ farinæ capides quaternis siclis uænibant: & siclus obolis septem & semis mutatur: capides binos Atticos, chœnicas capiunt: carnibus itaque milites se sustentabant. Et horum sanè castrorũ fuere non parũ longa interualla, dum ad irrigua loca & pabuli feracia festinarent. Hîc angustam & lutulentã uiam, & idcirco plaustris multò iniquissimã offenderũt: substitit itaq; eo in loco Cyrus cum optimis quibusq; & potentissimis suorũ. Glun uerò & Pigreta iussit, cum barbarici exercitus parte plaustra præ se agere: quod cùm illi quasi indignantes lentius facerent, Persarum nobilissimis id negocij dedit. Ibi nõnullũ potuit officij documentũ spectari. Abiectis enim protinus purpureis amiculis, eum quisque in quem incidit locum obtinuit: atq; inde quasi de magna uictoria propositum certamen esset, in aduersum tumulum subiere. Horum multi cum preciosis tunicis & pictis femoralibus, nonnulli etiam cum aureis torquibus & armillis, in mediũ se lutum cõiecere, atque inde opinione celerius, plaustra suis quasi humeris exportarunt. Res au

tem ipsa facilè indicabat, Cyrũ plurimũ in celeritate spei positum habere, quippe qui nusp̃iã, nisi fortè commeatus, aut necessarij cuiuspiam negocij causa moraretur, existimaretq; quantò magis properasset, tantò se imparatiorẽ regem offensurum: quò uerò plus temporis in itinere consumpsisset, eò copijs fore regium exercitũ instructiorem. Neq; omnino attentus cogitanti non erat facilè intellectu, regis imperium finium magnitudine, atque hominum numero plurimũ pollere: propter locorũ autem longinquitatem, ac dispersas opes, celeritate facilè superari posse. Erat trans Euphratẽ magna et opulenta ciuitas, cui Charmande nomẽ: ibi miles quæcunq; opus fuit, mercatus est. & ad eam sanè ad hunc modum traijciebãt: In pelles eas, quibus tabernacula cõtegebantur, fœnum insuebant, sutu risq; arctè iunctis, ne aqua posset ad festucas peruadere, his culeis pro ratibus, & ad transmittendũ, & ad cõportandum utebantur: & erat sanè in ea regione uini ex palmulis, ac panici maxima copia. Hoc in loco orta inter duos milites, alterum Menonis, Clearchi alterum cõtrouersia. Clearchus Menonis militem iudicio suo damnatũ plagis mulctauit. Ille cùm se ad suos recepisset, eos in Clearchum uehementer incendit. Ac eodem die ad eam amnis partem, unde traijcientes soluebant, uenit Clearchus, atq; inde foro perlustrato, equo uehens, ad sua se tentoria cum paucis comitibus per Menonis exercitum se recepit, absente Cyro. Cùm enim in extremo agmine iter faceret, nõdum ad eum locũ peruenerat. Hic unus de Menonis cohorte, ut fortè ligna diuidebat, transeuntem Clearchũ conspicatus, in eum bipennem cõtorsit, quem sanè nõ attigit: sed alius subinde atq; alius, deniq; tota multitudo magno

cum

cum clamore lapides in eum cõiecere: is tamẽ ad suos inco lumis effugit, mox ut arma caperẽt imperauit, ac grauem quidem armaturã, scutis ante genua proiectis, in subsidijs manere iubet. Ipse cum Thracibus & equitibus, quos in sua cohorte habebat suprà XL. profectus, Thracas de im prouiso in Menonis tentoria immisit: ibi omnes conterri ti, quin & Menon ipse subita re perculsus, ad arma accur rit. Multi uerò incerti quid agerẽt, trepidabãt. Tum Pro xenus, qui suum grauis armaturæ ordinem nondum dimi serat (ut in postremis iter fecerat) in medios scuta proijci iubet: Clearchũ obsecrat, ut ista facere desinat. Is enim uero uehementer indignari, quòd cùm paulò antè penè lapidi bus obrutus esset, suã ille iniuriã adeò leniter ferre uidere tur. Iubet itaque eum de medio recedere. Superuenit inte rea Cyrus, qui ubi rem audiuit, armis sumptis, cum paucis, de multis, qui circum ipsum erant, in medium processit, atq; ibi, Clearche, inquit, & Proxene, cæteriq; qui nunc adestis Græci, planè quid agatis nescire uidemini: nam si ullam inter uos pugnam cõmittitis, existimare debetis eo dem hoc ipso die me prius, uosipsos deinde nõ multò pòst ad internicionẽ cæsum iri. Quos enim in partibus nostris barbaros esse uidetis, ij uniuersi re inclinata, pro rege cõ trà nos dimicabunt. Hæc cùm Clearchus audisset, impe tum compressit, & utraq; pars armis positis ad suas se co hortes recepit. Hinc uerò cùm procederent, ex equorum uestigijs cæterisq; signis coniecturam faciebant, fuisse in illis locis globum plus minus equites bis mille. Et hi quidẽ in ea loca cùm excurrissent, quà Cyrus transiturus erat, & pabulum, & quicquid aliud usui futurũ esset, exusse rant: ibi Orontes Cyro insidias cõparat. Erat hic regi ge-

nere proximus, rebus uerò bellicis inter Persas cumprimis clarus, ac bellum quidem antea Cyro intulerat: sed in fidem ab eo iam receptus pollicetur, sibi si Cyrus mille equites tradidisset, eas equitũ turmas quæ igni omnia corrupissent, aut insidijs circumuentas se necaturum, aut ex ijs equitib. quamplurimos uiuos ad Cyrum perducturũ, prohibiturũq; quò minus reliqua incendãt, aut regi, quæ de Cyri copijs explorata haberent, renunciare posint. Hæc cùm Cyrus audisset, existimauit id è re sua magnopere futurum: quare à ducibus singulis iussit eum copiarum partem accipere. Orontes ubi equites præstò sibi fore putauit, ad regem epistolam scribit, se propediẽ cum quàm posset maxima equitum manu affuturũ, imperaret modò ille equitibus suis, ut se tanquam amicũ reciperent. Et pristinam amicitiã in memoriam redegit: epistolam uerò certo ac fideli (ut ipse existimabat) homini, ad regem perferendam tradit. Eam ille ut primùm accepit, Cyrõ ostendit. Quam cùm Cyrus legisset, primùm comprehendi Orontem iubet, deinde accersit in prætorium de Persarum numero VII. dignitate & honore apud se longè principes. Ad hæc Græcorum duces iubet grauem armaturam ad se ducere, eamq; in præsidijs circa prætoriũ locare. Cumq; illi cum III. M. grauis armaturæ peditum præstò fuissent, Cyrus Clearchum in cõsilium adhibuit, quòd sanè & ipsi, & item cæteris Persis, dignitate longè reliquos Græcos anteire uidebatur. Atq; ille quidẽ cùm concilium iam dimissum esset, iudicium de Oronte quo factum esset modo amicis narrauit: neque enim id iussus erat reticere. Aiebat igitur Cyrum hinc dicendi initium fecisse: Vos amici huc accersi iussi, ut de uestra sententia, quod dijs & hominibus

Cyri oratio.

nibus probari posſit, de Oronte ſtatuã. Hunc primũ pater ſub imperio meo eſſe uoluit: poſtea uerò, cùm in regnũ frater meus ſucceßiſſet, eius ſuaſu (ſic enim ipſe mihi confeſſus eſt) aduerſus me, cùm Sardium arcem obtineret, arma cepit: cuius ego bello iniuriã perſecutus, effeci ut de cæteris ab armis ſibi quieſcendũ putaret: deinde data & accepta fide, in fidem eum & amicitiam recepi. Hæc præfatũ, ad Orontẽ cõuerſum dixiſſe: Num te ego ulla iniuria affeci? Cui cùm ille reſpondiſſet, prorſus nulla: Atqui, inquit Cyrus, nulla, ut ipſe fateris, à me iniuria laceßitus, facta ad Myſos defectione, pro uirili tua fines meos infeſtos reddidiſti? Ita factũ eſt ut dicis, inquit Orontes. Tum Cyrus: Nónne ubi quantò eſſes potentia inferior noſti, in Dianæ ueniſti, atq; ibi deprecando me, ut te pœnituiſſe putarem adduxiſti? fidemq; in poſterum dediſti, atq; accepiſti? His cùm Orõtes aſſenſus eſſet, Qua igitur mea, inquit Cyrus, iniuria commotus, nouas mihi inſidias, quas inficiari nullo pacto potes, faciẽdas putaſti? Cumq; ille, prorſus nulla, reſpondiſſet: Fateris igitur, inquit Cyrus, te planè fuiſſe in me iniuriũ. Et quî, inquit ille, negare poſſum? Tum rurſus Cyrus: Poſſisne, ſi tibi nunc ignoſcã, & fratri meo hoſtis, et mihi ipſi fidus amicus eſſe? Atqui ut maximè eſſem, quî tibi, inquit, Cyre uideri poſſem? Tunc Cyrus ad eos qui aderant cõuerſus: Hic quidẽ, inquit, hæc fecit et hæc dicit: ueſtrûm uerò dic tu Clearche primus quid cenſeas. Tum Clearchus: Hunc ego, inquit, hominem primo quoq; tempore de medio tollendum cenſeo, ne nobis ſcilicet ab eo cauendum ſit, atq; ut ocioſiore animo ab hac parte, de præmijs eorum, qui ultro nobis amici ſunt, liceat cogitare. In hanc ſententiam & cæteros cõmemorabat Clearchus iſſe:

quare Cyri iussu uniuersi, atque in his aliquot eius cognati, hominem zona apprehensum, paucis quibus id erat negocij datum, ad supplicium ducendum tradidere. Transcunti, qui antè uenerari consueuerant, nihilominus & tunc ad terram Persico more proni honorem habuerunt. Deductus quidem est in Artapatæ, cui ex omni apparitorum numero maximam Cyrus fidem habebat, tabernaculum. Neq; postea quisquam eum aut uiuentem, aut mortuum uidit, neque quo mortis genere interierit, quisquam affirmare potuit: alij alia suspicati sunt. Eius quidem nunquam sepulchri ullum extitit uestigium. Post hæc progreditur Cyrus per Babyloniam M. pass. XLVIII. Ac cùm tertia castra posuisset in campis, media ferè nocte copias suas, tum Græcorum, tum barbarorum recensuit: regem enim putabat postero die manè cum exercitu pugnandi causa affuturum: ac dextro quidem cornu Clearchum, læuo Menonem Thessalũ præfecit. Ipse cum suis mediam aciem tenuit. His ita constitutis, postero die, prima luce, perfugæ à regijs castris Cyrum de toto regis exercitu docuerunt. Hîc ille ducibus ac centurionibus Græcorum ad se uocatis, cum illis de pugnæ ratione consilium capiebat, atque hac tunc eos oratione confirmauit: Ego uos Græci, nõ quòd mihi barbarorũ auxilia deessent, huc adduxi: uerùm idcirco uestra mihi opera utendum existimaui, quòd uos quemuis barbarorũ numerũ anteire putaui. Vobis igitur uidendum est, quo iure ea qua fruimini libertate, & cuius ego gratia uos beatos esse arbitror, digni etiã in posterum habeamini. Hoc enim uobis persuasum uelim, me libertatem ipsam multò quàm quæ habeo omnia, ac si ea longè essent ampliora, pluris facere. Quò uerò, quod certaminis

Cyri oratio.

taminis genus uobis subeundum sit, intelligatis, ego uos id planißimè docebo. Multitudo quidem magna est, & magno cum clamore impreßionem facit: ea si uos sustinueritis, pudet dicere quales sitis nostros cognituri. Equidem si uiros uos fuisse, & infracto animo perspexero, cum domũ redire uolueritis, ita dimittam, ut multis fortuna uestra inuidenda sit. Sed profectò efficiam, ut uestrũm plurimi mecum, quàm in patria esse malint. Hic Gaulites qui Samo exulabat, uir Cyro fidus, Atqui, inquit, Cyre sunt qui dicãt te nũc multa polliceri, dum incertus est & periculosus rerũ exitus: ubi uerò rem feliciter gesseris, tibi omnia ex animo dilapsura. Alij, neque si memineris, & maximè uelis, eas te opes habiturum, ut singulis quæ promiseris præstare possis. Quæ cùm accepisset Cyrus: Atenim, inquit, paternum nobis uiri fortißimi, imperium est. Ad australes, ad ea usq; loca, in quibus propter æstus nulli homines habitare possunt. Ad septentriones, in quibus propter frigora. Quicquid inter hos fines medium est, totum in eorum potestate est, quos frater de amicorum suorum numero illis regionibus præesse uoluit. Quòd si nos uicerimus, amicos ego meos, pro illis, eorum locorum compotes, uti æquum est, faciam. Quamobrem tantùm abest ut defuturum sit quod dem, ut magis uerear ne quibus dem desit. Insuper uobis Græcis auream etiam coronam dabo. Hæc cùm illi audissent, & ipsi alacriores redditi sunt, & alijs quæ acceperant renunciarunt. Venerunt autem in eius tabernaculum duces aliquot, & ex Græcis nonnulli, ut ex Cyro nominatim cognoscerent, si uicissent quid præmij laturi essent: quos Cyrus omnes optima spe plenos dimisit. Sedenim qui cum eo tunc sunt congressi, omnes au-

tores erant, ne ipse prælium iniret, sed in extrema acie in subsidijs consisteret. Atque hic Clearchus: Putas'ne, inquit, Cyre, tecum fratrem in pugna congressurum? Non medius fidius, si Darij & Parysatidis filius, & meus, inquit, frater est, hæc ego illi sine pugna eripiam. Ac in ea quidem recensione, ex Græcis censa tunc sunt scutatorum X. millia, & CCCC. Peltatorum duo millia, & CCCC. Ex barbaris qui cum Cyro uenerant C. millia hominum. Currus falcati circiter XX. At in hostili agmine esse dicebantur, militum duodecies centena millia, & currus cum falcibus CC. Sed amplius in præsidijs pro regijs castris instructa erant equitum VI. millia, quibus Artageses præerat. Regij uerò exercitus quadrifariam diuisi: ter centenis hominum millibus singuli duces summa potestate imperabant: atque hi fuere, Abrocomas, Tissaphernes, Gobryas, Abraces. Sed tota ex hac multitudine noningenta tantùm millia prælio interfuerunt, & currus cum falcibus C. & L. nam Abrocomas ex Phœnice ueniens diebus V. post pugnam, regem est assequutus: quod cùm ex ijs intelligi potuit qui ante prælium à rege ad Cyrum profugerant, tum ex ijs qui post pugnam ex hostibus capti sunt. Hinc Cyrus unis castris millia pass. XII. cum copijs omnibus Græcorum ac barbarorum instructis processit. Existimabat enim eo ipso die regem prælium commissurum: aberat siquidem hinc non longius quàm quò posset dimidia diei unius parte peruenirì, fossa passus alta quinque, treis lata, quæ campos sursum uersum ad pass. circiter XLVIII. millia, usque ad Mediæ muros diuidebat: qua in parte aluei erant à Tigri amne ducti IIII. ingenti altitudine, ac pass. XX. latitudine, per quos frumentaria naui-

nauigia commodè agi poterant: ac hi quidem aluei in Euphratem influunt. Singulorũ uerò aliquanto breuius est IIII. millibus spatium: põtibus hi per interualla iungũtur. Angustus callis inter fossam & flumẽ medius, ad Euphratem ducebat, nõ amplior is XX. pedum latitudine. Fossam eam rex munimenti causa agendam curarat, accepto primo de Cyri aduentu nuncio. Sedenim Cyrus cum exercitu ijs locorum difficultatibus superatis, iam intra fossam castra habebat. Ac eo quidem die rex non prodijt in pugnam, sed cedentium tum hominum, tum equorum uestigia cernebantur. Ibi Cyrus uatem Silanum Ambracioten ad se uocatum Daricis ter mille donauit, quòd undecimo die antè, proximis X. diebus regem, cùm id ex eo quæreretur, prælium commissurum negasset. Cui Cyrus respondérat, non præliaturum certè illum si intra X. dies non esset congressus: quòd si id euentu ipso uerum esse cognouisset, talenta se illi X. receperat daturum. Quare cùm X. ipsi dies præterijssent, pecuniam dissoluit. Cùm uerò copiæ uniuersæ, rege nihil omnino prohibente, fossam transmisissent, & Cyrus & item alij illum pugnandi consilium abiecisse putarunt. Quare iam ociosius postero die Cyrus iter faciebat: quin & tertio iam die ipse curru uectus est, paucos, habens ante se qui ordinem seruarent. Multitudo quidem confuso agmine procedebat, & arma magna ex parte plaustris & iumentis uehebantur. Sub eam uerò horã, qua horum multitudine compleri consueuit, cùm iam locus propè esset ubi castra ponere constituerat, aduolat sudanti equo Pagyas Perses, ex ijs unus quibus Cyrus maximam fidem habebat. Vt quisque ei fit obuius, & Barbarica & Græca uoce

clamat, adesse regem cum ingenti exercitu, neque aliter instructum quàm si confestim sit signa collaturus. Ibi magna cùm Græcos, tum cæteros inuasit trepidatio, cùm futurum putarent, ut se inordinatos aggrederetur. Hic Cyrus loricam induit: cumq; de curru in equum arreptis missilibus desiluisset, alijs denũciauit ut arma caperent, ac suo quisque loco in acie consisterent: atque illi impigrè constiterunt. Clearchus dextrum cornu proximè ad Euphraten, Menon læuum, mediam aciem reliqui tenuerunt. Proxenus iuxta Clearchum, cæteri deinceps ordine. Græcorum hæc acies fuit. At ex barbaris ad mille equites Paphlagones, prope Clearchum in dextro cornu steterunt: atq; eadem in parte Græci omnes qui cum cæteris erant. In sinistro uerò Ariæus Cyri præfectus cum reliquis barbaris. Cyrus in principijs, & cum eo equites DC. grandibus loricis omnes, & femorum munimentis ac galeis muniti: solus Cyrus nudo capite pugnam expectabat. sed & alios aiunt Persas nudis capitibus prælia inire. Equi sanè omnes frontis ac pectoris munimenta habebant: equites ipsi Græcis gladijs utebantur. Erat iam meridies, neque hostes adhuc conspici poterant. Atenim cùm iam adueſperasceret, pulueris ueluti globus conuolui cœptus, in modum albicantis nebulæ: atque is paulatim per totum campum, mutato iam in atrum colore, se diffudit. Cùm uerò propius accessissent, æris primò splendor micare, deinde spicula, ac ipsi etiam militum ordines cerni potuerunt. Erant in læuo hostilis aciei cornu equites albis loricis tecti, quibus Tissaphernes imperare dicebatur. His proximi erant cetrati: succedebat grauis armatura, scutis cratitijs ad imos usq; pedes protecta: Aegyptios esse hos aiebant.

aiebant. Inde equites & sagittarij, atq; hi omnes per gentes descripti singillatim, quadratis agminibus, ac ex omni parte plenis procedebant. Præibant currus, magnis singuli interuallis, qui falcati appellantur: falces his ex dolabris ad imos currus in obliquũ affixæ prominebant, terram deorsum spectantes, quò facilè in quæcunq; incidissent, diuiderent. Consilium etenim fuit ad Græcorũ aciem sternendam, eos primo congressu immittere. Ac Cyrum quidem opinio sua fefellit, quòd Græcos pro concione antea adhortatus fuerat, ut barbarorũ clamorẽ in prima impressione sustinerent: neq; enim illi cum clamore, sed taciti, ac quoad eius fieri potuit sedatè, ac æquabili gradu in pugnam processerunt. Ibi Cyrus in principia progressus cum Pigrete interprete, tribusq; aut quatuor alijs, Clearcho inclamabat, ut in mediam hostiũ aciem, qua in parte rex erat, agmen suum ageret: quòd si, inquit, illic uicerimus, tota nobis res cõfecta fuerit. Clearchus etsi mediæ aciei hostilem globum cernebat, atq; ex Cyri uerbis intelligebat, mediam aciem in qua erat rex, lõgè ultra Græcorum læuũ cornu extendi, cùm tanto superior numero hostis esset, ut media eius acies longo interuallo cornu læuũ Cyri relinqueret: non potuit tamen adduci, ut dextrum cornu à fluminis ripa introrsum retraheret, cùm maximè metueret ne utrinq; ab hostibus cingeretur. Quare id unum Cyro respondit, sibi curæ fore, ut quamcõmodissimè omnia gererẽtur. Interea barbari pedetentim accedebãt: Græcorum uerò ordines quandiu in eodem loco permanserunt, alijs subinde atq; alijs superuenientibus implebantur. Cyrus obequitans modico ab acie interuallo, & suas eminus copias, & hostiles intuebatur. Hunc à Græcorum Currus falcati.

ordinibus Xenophon Athenienſis cõſpicatus, obuiã procedit, rogat nunquid denũciet: qui paululũ cùm hæſiſſet, renunciari omnibus iubet, in ſacris ritè litatũ. Dumq; hæc diceret, fremitu inter ordines coorto, cauſam quæſiuit. Reſpondit Xenophon, ſecundã iam teſſeram tradi. Hîc ille admiratus quis eam prodidiſſet, quænam eſſet rogauit: Iupiter, inquit, ſeruator, & uictoria. Tunc ille: Omen, inquit, accipio, atq; ita eſto. Hæc cùm dixiſſet, in ſuum ſe locum recepit. Iam uerò tria, aut quatuor ad ſummũ ſtadia acies utraq; diſtabat, cùm Græci ſigno dato priores in aduerſos iere: atq; hic cùm longius promouiſſent principia, poſteriores ordines cùm laxati fluctuarent, curſu præeuntes conſequebantur. Tunc clamorem cuncti bellicum ſuſtulerunt, cunctiq; ſe ad curſum pariter incitarunt. Non deſunt qui dicant, ad equos incitandos clypeos haſtis percuſſos. Nullum adhuc telum iactum fuerat, cùm barbari equites fuga effuſiſſima terga uerterunt: quos Græci acerrimè inſectabantur, cùm tamen ſe clamitantes uiciſſim monerent, ne nimiam in curſu celeritatem ſuſciperent, atque ut potius ordinibus cõſeruatis ſequerentur. Interea in hoſtium acie currus temerè, excuſſis aurigis, partim eorum per hoſtes, partim per Græcos trahebantur. Hos multi cũ præuidiſſent, ſiſtebant: fuit etiam qui repentè tanquam in curriculo perculſus obſtupeſceret, neque tamen grauiter fuerit affectus: quandò neq; Græcorum alius quiſquam, hac in pugna quicquam paſſus eſt, præterquàm quòd in læuo cornu dicebatur neſcio quis ſagitta percuſſus. Cyrus cũ Græcos ex ſua aciei parte uincẽtes cerneret, hoſtemq; acriter inſectantes, magnã certè lætitiam cepit: iamq; ab his, qui circa eum erant, rex fuerat ſalutatus, non tamen cupi-

cupidè est hostem insequutus, sed stipatus conferto equitum DC. globo, quid facturus esset rex, expectabat. Illum etenim sciebat Persici exercitus mediâ aciem tenere, cùm & cæteri, qui barbaris præessent, medium semper inter suos ordines locum obtinerent: quòd ita se tutiori loco esse putarent, si suorum robore utrinq; muniti essent: simulq; id commodi in ea re inesse, quòd dimidio breuiore tempore, quæ à se denunciari suis uoluissent, utrocunq; perferri possent. Verùm media regiæ aciei pars ultra sinistrũ Cyri cornu procurrebat: in hanc ex aduerso nulla facta impressio fuerat. Quare cùm Cyrus regem animaduertisset curuatis ordinibus in eam partem, quæ hoste uacabat, incumbentem, ueritus ne si in longiorem ambitum se explicuisset, Græcorum terga cæderet, in eum cum globo suo inuectus est, ac primo statim impetu regios ordines fundit. VI. hostium millia de cohorte prætoria in fugã uertit, eorumq; ducem Artagesen sua manu occidisse dicitur. Vt illi terga uertére, Cyri manus dum eos urget auidius, iam confidentius ordinem deserit: pauci tamen cum Cyro remanserunt, nempe hi, qui eius contubernales appellabantur. Interea Cyrus regem suo incinctum globo conspicatus, continere se amplius nequit, Video, inquit, hominem: statimq; in eum inuadit, infesta hasta per loricam pectus uerberãs. Quod se uulnus Ctesias medicus curasse refert. Ibi tragula ex hostili acie nescio quis Cyrum altè sub oculo uulnerat. Pugnatur utrinque acriter, dum suum utraque pars regem protegit. Ctesias quidem, qui ceciderint circa regem, memorat: in illis enim fuit partibus. In his cùm Cyrus ipse, tum ex eius cohorte VIII. uiri fortissimi occubuere. Hic Artapates eorum qui cum sceptro Cyri interitus.

Cyro apparebant, fidelißimus, poſtea quã Cyrum humi iacentem uidit, ex equo deſcendiſſe fertur, & ad eius ſe cadauer abieciſſe. Hunc ſunt qui dicãt, regis iuſſu ſupra Cyri corpus iugulatũ: alij, ipſum ſibimet latus acinace cõfodiſſe: erat enim ei aureus acinaces, ut qui & torquem geſtaret, & armillas aureas, ut quiuis ex Perſarũ optimatibus, cùm eſſet ob fidẽ ac beneuolentiã in ſummo apud Cyrũ honore. Hunc Cyrus uitæ exitũ habuit, uir, cõſentienti omniũ qui cum eo uixerãt iudicio, unus poſt maiorem Cyrum, ad regnandum imperandumq; maximè factus. Is primùm cùm puer eſſet, omni puerilium exercitationum genere, & fratri & æqualibus cæterisq; quibus cum educabatur, præſtitit. Nam in Perſis Principum liberi ad ipſas regiæ fores eruditur, ubi multa illis ſummæ cõtinentiæ documenta ſuppeditant, cùm nihil unquam fœdum, uel obſcœnum aſpiciant, aut audiant: cùm uerò alios honoribus, probris alios à rege affici uideãt, ſtatim à pueris cum parendi, tum bene imperandi exemplis imbuuntur. In ea ſe diſciplina Cyrus præ cũctis æqualibus ſuis maximè docilem præbuit: idemq; ſenioribus, multò etiam quàm qui inferiore erãt fortuna, promptius parebat: equos ſtudioſe alebat, atq; his utebatur ſcientißimè. In armorum ſtudijs, iaculis ac ſagittis mittendis, tantùm conſequebatur, ut in eo tyrocinio ac meditatione longo interuallo cæteris anteponeretur. Puber uerò factus, ad uenationem ſtudioſißimè animum adiecit: in qua pericula unus omnium fortißimè adibat, atqueadeo ut urſum aliquãdo in ſe ruentem nihil extimuerit, ſed cum eo congreſſus, ab equo quidem fuerit abſtractus, & uulnera acceperit, quorum etiam cerni cicatrices poterant: feram tamen peremerit, eumq; qui ſibi

Principum liberorũ in Perſis diſciplina.

sibi primus in eo certamine auxilium tulerat, perhonorificis præmijs affecerit. Postea uerò quàm Lydia ei à patre, magna Phrygia, & Cappadocia, & eorum omnium qui in Castoli campos conueniunt, imperiũ decretum est, primùm facilè omnibus declarauit, se nihil fœderum, pactorum, ac promissorum omnium religione antiquius habere. Quare eximiam ei fidem cùm ciuitates, quæ in eius potestate erant, tum alij omnes populi habebant. Neq; hostes etiam ipsi, si quid cum Cyro pepigissent, ne quid præter compositionis ius paterentur, metuebant. Quam ob rem ubi Tissapherni bellũ intulit, ciuitates cunctæ ultro, præter Milesios, ad Cyrũ defecerunt. Nam Milesij, quòd exulum causam nollet negligere, ei se credere ueriti sunt. Id enim præ se ferebat, ac prædicabat, multoq; magis re ipsa confirmabat, se eos ne in aduersis quidem rebus, atq; afflicta fortuna, quos iam antè in fidem recepisset, destituturum. Perspicuum uerò omnibus semper fuit, id esse ei omnium antiquissimũ certamen, ut bene de se meritos beneficijs, inimicos nocendi rationibus superaret. Neque ullum ei frequentius uotum esse consueuisse, multi prodiderunt, quàm ut tandiu uiuere liceret, donec & amicorum beneficia, & inimicorum iniurias uinceret. Quare uni ei ex omnibus ætatis nostræ hominibus, multi mortales pecuniam, urbes, corpora etiam sua tradere cupiebant. Neq; tamen uerè quisquam dixerit, improbis ac sceleratis hominibus impunitatẽ apud eum fuisse, cùm in eos seuerissimè animaduerteret, atque adeo, ut in militaribus uijs multi passim offenderentur, quibus uel manus, uel pedes præcisi, uel effossi essent oculi. Quo fiebat, ut in toto Cyri imperio quietis omnibus ac pacatis, uel Græcis, uel barba-

ris, quicquid ex re commodo q; suo comportarent, tutissima essent itinera. Præ cæteris quidē, militari uirtute præstantibus hominibus, maximū honorem habebat. Primam in Pisidas & Mysios expeditionem suscepit: cui cùm ipse etiam interfuisset, quos alacriter belli se periculis obiecere animaduerterat, ijs earum quas armis subegisset prouinciarum imperia, & alia item præmia ac munera detulit. Quibus ex rebus efficiebatur, ut fortissimi quiq; fortuna etiam excellerent: cōtrà uerò timidi & ignaui, nihilo honestiores haberentur, quàm si illis seruitutem seruirent. Quam ob rem nunquam deerāt, qui ultrò se periculis offerrent, modò id Cyrum resciturum putarent. In primis uerò si qui aliquod iustitiæ documentum dedissent, eos sibi Cyrus multò magis locupletandos putabat, quàm quos lucri cupiditate teneri animaduertisset. Hinc meritò & adiumenta rerum gerendarum ei omnia undecunq; suppetebant, & firmissimo ac fidelissimo exercitu usus est. Duces enim & centuriones non pecuniæ cupiditate, sed uerissimæ disciplinæ amore, quam menstruis stipendijs multò utiliorem ducebant, ultrò ad eum nauigarunt. Sed neque ille ijs unquam, qui alacriter imperata fecissent, se ingratum præbuit. Quare uni omnium optimi ac præstantissimi cuiusuis operis adiutores præstò erant. Quòd si quem uideret, aut bono modo rem familiarē augentem, atq; ea in re diligētem & callidū: aut regionem, cui præesset, dum bene eam constitueret, fructuosiorē multò reddentem, nihil ei omnino adimebat, quin eius industriam sua etiam liberalitate prosequebatur. Ex quo & libenter omnes labores suscipiebant, & partis bonis fidenter fruebantur: quo fiebat, ut nemo quantùm posideret, Cyrum celaret.

celaret. Neq; enim cuiquam apertè quærenti inuidebat, sed clàm coactam pecuniam uindicabat. Ac eorũ quidem commodis quos in amicitiam suam recepissẽt, quosq; sibi beneuolos, & ad opem ferendam (quodcunq; suscepissẽt negocium) promptos esse intelligeret, omnium consensu studiosissime seruiebat: quandoquidẽ cuius rei causa aliorum ipse amicitiam magnopere sibi necessariam esse duce bat, quò scilicet rerum gerendarũ socios & adiutores haberet: eadem etiam in re amicis, ubi eorum tempora postu larent, opitulando gratiã referendam putabat. Dona autem, quæ unus omnium plurima accipere cõsueuerat, omnia inter amicos pro cuiusq; uitæ ac temporũ conditione diuidebat. Quin & quæ sibi ornamenta uel ad belli usum, uel ad elegantiam uestitus mittebantur, elargiebatur. Quo in genere hoc eius dictũ celebratur: Non posse suũ unius corpus ijs omnibus ornari: amicos uerò egregiè ornatos, præclarum se homini ornatum putare. Atenim quòd amicos beneficijs uinceret, cùm tantò illis esset potentior, nihil fortasse mirũ uideatur: quòd uerò cura, & in bene de illis merendo alacritate, eosdem longo interuallo superaret, id enimuero mihi laude & admiratione summa dignũ uideri solet. Quoties enim uini quod esset optimũ & præstantissimum nactus, semiplenos cantharos ad suos mittebat? quòd se nescire diceret, quãdo eo melius nãcisci posset. Hoc igitur dicebat is, cui negocium datum esset: Tibi Cyrus mittit, teq; ut id hodie cum ijs bibas quos maximè diligis, rogat. Quoties semesos anseres? Quoties panes dimidiatos, & huius generis alia mittebat? Quæ qui ferebant, Hæc tibi, aiebãt, Cyrus impertitur, quòd ipsi iucundissima fuere. Quoties in magna pabuli penuria, quòd

Cyri de amicis bene merendi studium.

ſibi facilius comparatu eſſet pabulum, propter pabulatorum multitudinem ac diligentiam, ad amicos mittebat, atq; id equis, ut ſuis, quibus ueherentur, apponerent hortabatur, ne illi dominos eſurientes ueherent? Quoties in uia, multis ſpectantibus dedita opera ad ſe amicos uocabat, cumq; illis ſecretò loquebatur, ut quibus honorẽ haberet teſtificaretur? Quare ex omnibus quos ego audierim, uel Græcis, uel barbaris, neminem ſtatuo plures unquam amicos habuiſſe. Cui rei & illud documento eſt, quòd à Cyro, qui ſub alieno erat imperio, nemo unquam ad regem defecit, uno Oronte excepto: quem tamen rex dum ſibi fidelem putat, Cyro penè, quàm ſibi amiciorem inuenit. Ab ipſo uerò rege ad Cyrũ, bello ſuſcepto, quàm plurimi perfugêre, atq; hi maximè regi familiares, quòd uirtuti ſuæ maiorem à Cyro, quàm ab ipſo rege honorem habitum iri putarent. Magnum autem & id, quod ei in exitu uitæ accidit, argumentum eſt, eum & fuiſſe bonum, & rectè iudicare potuiſſe qui fideles eſſent, & beneuoli atq; firmi, quòd eo moriente amici omnes, & contuberna les pro eo pugnantes ceciderunt, præter Ariæum. Is enim cùm in læuo cornu equitatui præeſſet, ubi Cyrum cecidiſſe comperit, integris copijs ſuis aufugit. Cyro tunc & caput, & dextera manus abſciſſa eſt. At rex cum exercitu hoſtem inſequens, in Cyri caſtra incidit. Ariæus non prius cum ſuis fugere deſtitit, quàm ad ea unde paulò antè diſceſſum fuerat, caſtra peruenit: quæ ſexdecim ferè millia paſſuum ab eo loco, quo prælium commiſſum eſt, abfuerunt. Rex interim cum ſuis caſtra diripit, ac Cyri ipſius pallacam Phocaicam, eximia ſpecie, ac prudentia etiam, uti fama ferebatur, mulierem abducit. Nanq; altera natu

mino

minor Mileſia, à regia cohorte capta, nuda effugit, ſeq; ad eas Græcorũ turmas recepit, quæ fortè inter impedimenta cum armis ſteterant. Et illi quidem contrà ſtantes, multos eorum occiderunt qui caſtra diripiebant: nonnulli etiam eorum occubuerunt, neq; tamen fugerunt, ſed & illam tutati ſunt, & cæteros homines, resq; omnes quæ ea in parte fuerunt, ſeruarunt. Erat inter regem & Græcos XXX. ferè ſtadiorũ interuallum. Et Græci quidem cùm uictos à ſe omnes putarẽt, urgebant: Barbari contrà quaſi ex omni parte uiciſſent, ſe totos ad prædam conuerterant. Vbi uerò & Græci regem cum ſua manu ad impedimenta perueniſſe cognouerunt, & rex à Tiſſapherne certior factus eſt, uiciſſe ſua ex parte Græcos, ac fuſos perſequi, rex copias ſuas colligit & componit. Clearchus & Proxenus, qui loco proximi erant, deliberant, nunquid uniuerſis caſtris opem ferant, an copiarum tantùm partem mittant. At rex interea ita ſuos inſtruebat, ut à tergo impreſſionem facturus uideretur: quare Græci collecti, in quam ille partem minaretur, ea aut ui perrumpere, aut hoſtis irruptionem ſuſtinere parati erant. Sed ille, quà paulò antè progreſſus fuerat, extra læuum Cyri cornu, inde retractis ijs qui in pugna ad Græcos perfugerant, & intra ſuum agmen Tiſſapherne recepto, retroceſſit. Tiſſaphernes in primo congreſſu non ſanè fugerat, ſed cùm ſecundum flumen peltatos Græcorum inuaſiſſet, neminem planè interfecit: quin Græci cùm ſe in duas partes diuiſiſſent, eius cohortem cùm gladijs, tum miſſilibus urgere cœperunt. Imperabat peltatis Epiſthenes Megalopolitanus, uir cum primis prudens & fortis: eo factum eſt, ut Tiſſapherues inferior diſceſſerit. In Græcorum uerò caſtra

cùm incidisset, ibi regem offendit, quo cum instructo agmine profectus est. Ac ad læuum cornu Græcorum cùm propius accessissent, ueriti sunt Græci ne se inuaderent, ac utrinque explicatis ordinibus circumuentos cæderent: optimum igitur factu uidebatur, si illud ipsum cornu ita porrigerent, ut flumen à tergo haberent. Dum id consilij ineũt, rex in eos haud alia forma aciem dirigit, quàm qua antè congressus fuerat. Illi simulac barbaros ita instructos appropinquare senserunt, per pæanem patrio ritu signo dato, eos multò alacrius etiã quàm antè adorti sunt. Barbari nusquam impetum sustinentes, effusius multò quàm paulò antè fugam fecerũt. At hi cùm usq; ad uicum quendam insequuti essent, paululum substitere: ob eam nempe causam, quòd regis equestres copiæ, sine ullo peditatu collem qui supra eum uicum erat, tam latè insederant, ut totus ab equitibus teneretur: quare cunctati sunt primùm, quid ageretur incerti. Et se regale signum uidere dicebant, auream aquilam, in pelta ad summam hastam alligata. Verùm cùm subire aduersum cliuum Græci cœpissent, diffugientes barbari quà quisq; poterat, dissipatis ordinibus eum collem deseruere. Quem etsi præsidio nudatum, dilapsis iam omnibus equitibus Clearchus conspicatus est, tantisper tamen milites suos continuit, dum Lycius Syracusanus, & alius quidam, quos speculatum miserat, quæ in colle comperissent, renunciarent. Ac Lycius rediens, hostes nunciat quammaximè citatis equis fugere. Verùm cùm iam propè esset ut occideret sol, armis depositis quiescendum putarunt: ac tunc primùm admirari cœperunt, quòd neque Cyrus, quem periisse ignorabant, neque ex eius comitatu quisquam iam adesset. Illum tamen uel hostes,

stes insequi, uel relictum à tergo statim adfuturum opinabantur. Inter se uerò consultabant, ad eum'ne locum impedimenta adducerent, an uerò in pristina se castra reciperent: placuit postremò in castra redire. Ad tabernacula igitur sua, sub ipsum cœnæ tempus peruenerunt. Et hic diei illius exitus fuit. Offenderunt autem cùm cæteras multarum rerum copias direptas, tum quicquid potulentum, aut esculentum fuerat: atque inter hæc plaustra farina uinoq; onerata CCCC. quæ Cyrus reseruabat inter Græcos diuidenda, si fortè exercitus penuria laboraret. Quæ sanè omnia regiæ copiæ diripuerant, eamq; ob rem ex Græcis quamplurimi incœnati pernoctarũt, cùm omnes etiam impransi essent. Rex enim se ostenderat, antequàm cibi capiendi potestas esset. Atque hanc quidem noctem ad hunc modum egere.

XENOPHONTIS DE CYRI MINORIS EXPEDITIONE LIBER SECUNDUS, Romulo Amasæo interprete.

QVemadmodum ad se Cyrus Græcorum copias euocarit, suscepta aduersus Artaxarxem fratrem expeditione: quemadmodum deinde prælium sit cõmissum, ac in eo Cyrus ceciderit: & Græci postremò uicisse se omni ex parte, ac Cyrum uiuere existimantes, in castra reuersi pernoctarint, superiore libro expositũ est. Postero uerò die prima luce cùm duces in unum cõuenissent, uehementer admirari cœperunt, quòd neque nuncium ad se, quid facto opus esset, mitteret, neque ipse

uſpiam in conſpectum prodiret. Quare ijs, quæ reliquæ erãt, impedimentis collectis, uniuerſi armis ſumptis promouere ſtatuerunt, uſquedum ſe cum Cyro cõiungerent. Iam propè erat ut iter ingrederentur, cùm ſub ipſum ſolis ortũ Procles Teuthraniæ præfectus à Lacone Demarato genus ducens, & Tami filius Glus uenientes, Cyrum mortuum eſſe nunciarũt: Ariæum uerò cum reliquis barbaris ad ea caſtra fugiſſe, unde pridie mouerant: illum dicere, totum ſe eum diem, nec amplius, Græcos opperiri uelle: poſtridie ſi non ueniſſent, in Ioniam ſe, unde profectus eſſet, reuerſurũ. Hæc cum audiſſent duces, & item Græci omnes, moleſtiſſimè tulerunt. Clearchus uerò ad illos conuerſus: Vtinam, inquit, Cyrus uiueret: ſed quandò ille mortem oppetijt, Ariæo renunciate, nos quidẽ regem uiciſſe: ut enim uidetis, nemo iam nobis repugnat: quòd niſi uos interueniſſetis, aduerſus ipſum regem cõtendiſſemus. Verùm Ariæo pollicemur, ſi ad nos uenerit, ipſum nos in regio ſolio collocaturos: eſt enim penes eos qui prælio uicerint, imperiũ. Cum hoc reſponſo nuncios remittit, cumq; ijs Chiriſophum Laconem, & Menonẽ Theſſalum, hunc ſanè poſtulantem: erat enim Ariæo & amicus, & hoſpes. Atq; hi ſtatim profecti ſunt. Clearchus uerò quid illi afferrent, expectabat. Interea exercitus ſe in maxima cibariorum penuria iumentis ſuſtentabat, boues, aſinos cædens: ac pro lignis utebantur ſagittis & miſſilibus, quæ nõ longè à caſtris, quo in loco pugna commiſſa fuerat, humi iacebant, quæq; ijs qui à rege perfugerant, Græci adimebant. Non deerant præterea parmæ, et cratitia ſcuta Aegyptiaca, peltæ paſſim plurimæ, & plauſtra inania, ſine iumẽtis, è quibus facto igni, elixis eo die carnibus, famem leuarunt.

leuarunt. Sub eam uerò diei horam, qua forum hominum multitudine refertißimum esse consueuit, à rege & Tissaphernę legati uenerũt: reliqui barbari, unus Græcus, Phalynus nomine, qui tunc fortè apud Tissaphernem honestißimum locum tenebat, quòd & rerum gerendarum, & armorũ singularem sibi peritiam uindicabat. Hi cùm ad Græcorum duces accessissent, Regem inquiunt iubere, (quòd scilicet à se uictoria esset, cùm Cyrum occidisset) ut sibi arma tradant, & ad regis limina profecti, experiantur si quid fortè commodi nancisci possint. Hæc illi. Quæ etsi Græci indignißimè ferebant, Clearchus tamen id unum respondit, non esse eorum qui uicissent arma tradere: uerùm uos, inquit, duces illud his respõdebitis, quod honestißimum atque optimum uobis in mentem uenerit: ego ad uos statim reuertar. Accersierat enim eum ex ministris unus, ut exempta exta inspiceret: ut tunc fortè sacris operam dabat. Ibi Cleanor Arcas, omnium natu maximus, primus respõdit, quòd ad se pertineret, malle mori quàm arma tradere. Thebanus deinde Proxenus: Enimuero, inquit, ego admiror Phalyne, quid sibi cum hac postulatione rex uelit: utrúmne tanquam uictor à uictis arma, an ut ab amicis amicus dona petit? Nam si ut uictor, quid ea opus est petere? cur non inuitis ereptum uenit? Sin mauult ea dono accipere, quid obsecro militibus, ubi arma elargiti fuerint, reliquum fiet? Ad hæc Phalynus: Rex, inquit, se planè uicisse interpretatur: nam Cyro interempto, qui cum est ei amplius de imperio certamen? Ac uos in potestate sua esse putat, quos in media regione sua, intra difficilima traiectu flumina intercluſos teneat. Eam uerò contra uos hominum multitudinem posit ad-

ducere, quam si uobis ipse interficiendam tradat, neutiquam tamen posſitis. Tum Xenophon Athenienſis: Atqui ô Phalyne, inquit, nobis, ut uides, nihil boni præter arma & uirtutem reliquum est. Ac arma quidem quandiu obtinemus, nobis arbitramur uirtutem usui esse posse: illa simulac tradiderimus, ipsorum etiam corporum nos ius omne amiſſuros. Noli igitur, obsecro te, putare, nos ea quæ sola posſidemus bona, cuiquam tradituros: quin his ipsis de reliquis bonis pugnabimus. His auditis, Phalynus subridens: Tu quidem, inquit, adoleſcens philoſophus, ni fallor, es: & sunt sanè quæ dicis non illepida, uerùm non satis sanus es, si ueſtram uirtutem regijs copijs superiorem fore putas. Alios quidem rumor fuit subtimidè loquutos, cum dicerent se, ut Cyro fideles fuiſſent, ita & regi ipsi egregiam operam nauare posse, modò ille se in amicitiam recipiat: nam & in alijs quibuſuis expeditionibus, & in Aegypto debellanda, ſtrenuè ipsum adiuturos. Interea Clearchus rediens, nunquid iam legatis reſponſum ſit, rogat. Tum Phalynus: Ex his, inquit, Clearche alius alia dicit. Tu uerò iam quid cenſeas, nobis explica. Ad hæc Clearchus: Te, inquit, Phalyne libenter uidi, atque hi etiam, opinor, omnes: nam & ipse tu Græcus es, & nos item omnes quos hic uides. Quare in hoc rerum ſtatu te cõſulimus, quid in rem noſtram esse putes. Agè igitur per deos, eo nos conſilio iuua, quòd tibi honeſtiſſimum, atque optimum uideatur, quodq; tibi apud poſteros laudi futurum ſit: cùm illi ſcilicet aut legent, aut audient, Phalynum à rege miſſum, ut Græcos iuberet arma tradere, etſi regis in officio erat, id tamen illis cõſilij dediſſe: quicquid enim id fuerit, tibi perſuadeas in Græcia prædicatum iri. Hoc

ſermone

sermone Clearchus se illum inducturum sperabat, ut diceret, neque se putare ex Græcorum re esse arma tradere: Græcos uerò ipsos cùm legati regij sententiã nossent, meliorem existimabat in posterum spem concepturos. Verùm multò secus Phalynus, atque ille opinatus fuerat, respõdit. Ego, inquit, si uel tantula spes reliqua est, fore uos saluos si bellum regi inferatis, neutiquam uobis suadeam arma tradere: sin salutis spes prorsus nulla reliqua esse posit, uos hortor, ut quo positis modo salui esse malitis. Tum Clearchus: Tu quidem, inquit, ita censes: à nobis uerò hæc regi renunciato: Arbitrari nos, si nos sibi amicos esse malit, multò ei fore utiliores amicos, arma si retinuerimus, quàm si ea cuiquam tradiderimus: sin bellum fuerit gerendum, non esse difficile existimare, quantò magis conducat arma retinere, quàm alijs tradere. At Phalynus: Nos, inquit, ita ut iubes renunciabimus. Sed & alia à rege ad uos mandata habemus: manentibus hoc ipso in loco, fœdus: progredientibus uerò, aut regredientibus, se uobis bellum proponere. Respondebitis igitur & hoc mihi, utrum manentes uos à rege pacem, an uerò discedentes bellum malitis, ut habeam quid regi renunciem. Hîc Clearchus: Illi, inquit, renunciabis, hac de re idem nobis quod regi uideri. Quid hoc est? inquit Phalynus. Si manserimus, respondet Clearchus, pacem: sin progressi aut regressi fuerimus, bellum nobis futurum. Dic, inquit ille, apertius, pacémne an bellum renuncio? Iterum Clearchus: Pax, inquam, manentibus, progressis aut regressis bellum. Neq; quid facturus esset, ulla ex parte significauit. Ac Phalynus quidẽ cum collegis profectus est. Procles uerò & Chirisophus ab Ariæo redierunt: apud illum Menon mansit.

Hi retulerunt, Ariæum dicere in Persis multos esse dignitate se longè superiores, qui nequaquam laturi essent se regnare: si ad se uenire uellent, ea ipsa nocte uenirent, prima luce se omnino discessurum. Tum Clearchus: Sic, inquit, ut dicitis, si uenerimus: sin aliter, quod maximè uobis uisum fuerit expedire, illud facitote. Quid uerò facturus esset, neq; his aperuit. His ita actis, sole iam occidente, ducibus & centurionibus ad se aduocatis, in hunc modum uerba fecit: Mihi, uiri fortißimi, deos per exta consulenti, an aduersus regem eundum sit, non est bellè litatum: atque id opinor consentaneum fuit. Re enim explorata, inter nos & regem Tigrim fluuium esse comperio: atque is non aliter quàm nauibus traijci potest, quæ nobis nusquã suppetunt. Hîc uerò commorandi nulla est nobis facultas: desunt enim cõmeatus. Atenim ad Cyri amicos si nos conferamus, exta optimè promittũt. Sic igitur facto opus est: pro sua quisq; copia cibum capiat: deinde cùm eodem modo quo quiescendi tempus significatur, cornu signum datum fuerit, ad primum protinus signum uasa colligantur: ad secundum, iumenta onerentur: ad tertium, ducem omnes sequantur: atque ita ut impedimenta secundum flumen sint, armati citerius iter faciant. His auditis, duces ac centuriones sibi quod ille statuisset faciundum putarunt: atque ex hoc quidem tempore, tacito omnium consensu, ille uniuersis imperauit, quòd nempe solus imperatorijs artibus, quarum cæteri expertes essent, excellere uideretur. Fuit iter quod ab Epheso Ioniæ confecerunt, castrorum quingentenûm nonagenûm ternûm: stadiûm sedecies M. & L. id est, millium passuum uicies centenûm, & ampluus centũ, decẽ & octo. Ab eo uerò loco ubi pugnatum

tum est, ad Babylonem usq; stadia esse ferebantur ter M. & LX. passuum millia CCCCVIII. Hinc cum iam primæ se intenderent tenebræ, Myltocythes Thrax cùm equitibus quibus ipse imperabat, circiter XL. ad regem transfugit. Clearchus reliquos dicto audientes habuit, cum quibus media fermè nocte ad prima castra, ad Ariæũ, eiusq; copias peruenit. Ibi duces & centuriones instructam aciem relinquentes, ad Ariæum conuenere. Vbi inter Græcos & Ariæum, eiusq; optimates fœdus percussum est, neutram partem alteram prodituram, firmam & fidam inter ipsos societatem futuram. Barbari priores iusiurandum conceperunt, se bona fide agmen ducturos. Fœdus ictum est, mactatis super scuto, tauro, apro, lupo, ariete: in quorum sanguine enses Græci, hastas barbari intinxerunt. His ritè sancitis, Clearchus, Agè, inquit, Ariæe, quandò idem est nobis de reditu consiliũ capiendum, quid obsecro de tota itineris ratione censes? utrúmne eadem qua uenimus uia utamur? an tibi potior ulla in mentem uenire potest? Hìc ille: Si eadem, inquit, reuertamur, fame nos confici necesse est, ubi neq; commeatus ulli nobis, ut proximè, his denis septenis castris suppetant: neque ex agro liceat cõparare, cùm nuper quacunq; iter fecimus, omnia consumpserimus. Quare uia utendum statuo, etsi longiore, in qua tamen cõmeatuum penuria multò minus laboremus. Ac primis quidem diebus magnis est nobis itineribus contendendũ, quò scilicet à regijs castris quamlongißimè recedamus. Nam si bidui aut tridui iter ab rege abfuerimus, non erit quòd uereamur ne nos assequi poßit. Cum paruis enim copijs nõ audebit, cũ magna manu nõ poterit celeriter insequi. Ad hæc fortasse cõmeatuum penuria la

Fœderis iciendi mos priscus.

borabit. Hæc, inquit, mea sententia est. Erat hoc cõsilium ad fugam & receſſum appoſitum, ad reliquæ inutile. Verùm fortuna melior dux fuit. Vt enim illuxit, iter facere cœperunt, à dextera ſolem habentes, cùm ſe exiſtimarent ſole iam occidente ad uicos Babyloniæ peruẽturos. Quæ ſanè cõiectura nihil eos fefellit. Sub ipſum uerò crepuſculum, hoſtilem ſibi equitatum uidere uiſi ſunt: ob id Græci, qui ordinem, ut in longiore uia fit, negligentius ſeruarant, ſtatim in locũ ſuum recurrerunt. Et Ariæus ipſe, cùm propter uulnus quod in pugna acceperat, plauſtro curruli ueheretur, deſilijt, ac loricam induit. Idem eius milites fecerunt. Dum hi arma caperent, qui ſpeculatum miſſi fuerant, renunciarunt nullos eſſe in cõſpectu equites, iumenta duntaxat paſcere: ex quo facilè omnes intellexerunt, regia caſtra non longè abeſſe: quod item fumus è proximis uicis planum fecit. Ibi Clearchus neq; aduerſus hoſtes progredi tutum duxit, cùm feſſum de uia, & planè debilitatũ inedia militem eſſe intelligeret: neque tamen (id cauens ne fugere uideretur) de uia ſibi declinandum putauit: ſed rectà agmen agens, occidente iam ſole, cum ijs qui in fronte agminis erant caſtra locauit. Tabernacula ex ea copia, quam rex cæteris direptis reliquã fecerat, ſumpta è uilla rum tugurijs materia, erecta ſunt: ac priores quidem continuo ac certo ordine, poſtremi ut intempeſta & obſcura nocte adfuere, quo quiſque potuit loco decubuerunt. Ac dum ſe mutuò, ut fit, uocarent, ſublatum clamorem hoſtes audierunt: è quibus qui proximi erant, fugientes tabernacula deſeruere. Quod poſtero die facilè intellectum eſt: neque enim aut iumentum, aut caſtra, aut fumus ullus in conſpectu fuit. Quocirca ipſum regem conſtabat exercitus no-

tus nostri accessu perterrefactũ: cuius rei certa postridie argumenta extiterunt. Verùm & Græcis timor & trepidatio incessit, talisq; in castris fremitus fuit, qualis cùm subitus terror inciderit, existere consueuit. Quod ubi Clearchus animaduertit, Tolmiden Eleum præconem eius temporis præstantissimum, quem secum fortè habebat, accersit, ei mandat ut silentio imperato hæc pronũciet: Qui indicarit à quo sit asinus in media arma actus, ei duces præmium argenti talentum decernunt. Ex edicto milites planè intellexerũt inanem fuisse metum, & duces incolumes esse. Sub primam uerò lucem Græcis imperat Clearchus, ut sumptis armis eo ordine aciem instruãt, quo in pugna steterant. Quòd uerò scripsi antè, regem pertimuisse, ex eo intelligi etiam potuit, quòd cùm pridie sibi arma tradi postulasset, postero die sole oriente de pace legatos misit. Hi itaque cùm ad primas custodias accessissent, ubi duces essent quæsierunt. Quod ubi ducibus est à custodibus renunciatũ, Clearchus qui tum fortè ordines cõsiderabat, custodibus mandat, ut oratores iubeant expectare, quantisper ijs audiendis uacui aliquid temporis dare possit. Postea uerò quàm copias omnes bellissimè instruxit, atque ita ut ex omni parte densæ phalangis species pulcherrima cerni posset, neque esset quisquam inermis in conspectu, tum legatos accersi iubet, ac ipse processit paululum, globo militum stipatus, armorum ornatu ac forma præstantissimorum: quod & reliqui duces eius monitu fecere. Vbi ad legatos uentum est, tum rogat Clearchus, quidnam uelint. Illi se ut de pacis cõditionibus agerent, uenisse dixerunt: idoneosq; se esse, qui & à rege Græcis, & regi rursus à Græcis, quicquid utraq; pars mandarit, renun-

cient. Renunciate igitur, inquit Clearchus, pugna prius opus esse: prandium enim nusquam in promptu est: neque fuerit quisquam inuentus qui de conditionibus apud Græcos uerba facere audeat, prius quàm prandium ijs præbeat. Vbi hæc illi audierunt, statim profecti quamcelerrimè redierunt. Quæ res indicio fuit, uel regem, uel eum cui hæc à rege cura demandata esset, non longè abesse. Ac illi quidem renunciarunt, æqua regi uideri quæ attulissent: quamobrem se adduxisse secum eos homines, quibus ducibus ad eum locum essent peruenturi, unde sibi commeatum compararent, modò ut pax fieret. Tum quæsiuit Clearchus, cum omnibus ne pax futura esset, an cum ijs tãtùm qui ultro citróq; commeassent? Cum omnibus, illi responderunt, usquedum quæ à uobis proposita fuerint, ad regem referantur. Hæc illi. Tum Clearchus cùm eos paululum concedere iussisset, de tota re suos consuluit. Quibus statim ac sine disceptatione ulla uisum est compositionem transigendam, ad commeatus comparandos proficiscendum. Sedenim Clearchus, Etsi, inquit, eadem mihi uidentur, nõ tamen cuestigio respõsum à me auferent. Nam de industria cunctabor, quò & legati uereantur, ne nobis compositio non probetur, & idem nostri milites metuant. Vbi uerò respondendi maturitas uisa est, se fœdus percussurum dixit: sed ad cõmeatus deduci se prius iussit. Tunc illi iter ingressi sunt. Clearchus, etsi paulò pòst fœderis erat conditiones accepturus, quadrato tamen agmine consequebatur, ac ipse quidem in subsidijs erat. Cùm uerò in fossas & alueos quosdam aquæ plenissimos incidissent, quos neutiquam sine pontibus traijcere poterant, ex palmis aut passim humi iacentibus, aut quas ipsi excidissent,

pontes

potens facere aggressi sunt. Ibi Clearchus curæ ac diligentiæ suæ in imperando specimen dedit, cùm læua manu hastam, dextera uirgam tenens, quencunq; segnius opus facientem, ex ijs quibus id negocij dederat, animaduertisset, iuberet multatum de medio recedere, alium in eius locum deligeret. Quin ipsemet in cœnum cùm descendisset, eius operis suas sibi partes depoposcit. Quòd cũ cæteri uidissent, dedecori sibi fore putarunt, si non fuissent illius alacritatem imitati. Quare cùm eos tantùm haberet apud se, qui triginta annos nati essent, seniores tamen cùm illum nullum laboris genus detrectantem uiderent, & ipsi sua munia obierunt. Et Clearchus quidem eo plus celeritatis in negocio conficiendo adhibebat, quòd cùm eas lacunas nequaquam perennes esse suspicaretur, iam uerò aquis completas uideret, eo anni tempore quo agros irrigari nihil necesse erat, id ueritus est, ne rex aquam eam inducendam curasset, quò Græcos itineris difficultate perterrefaceret. Peruenerant iam ad eos uicos, è quibus ducum suorum iussu, commeatus capiendi erant. Frumentũ plurimum, uiniq; ex palmulis magnam copiam nacti sunt. Quin & acetum ex ijsdem palmulis decoctis conditum. Ac palmarum quidem fructus ipsi, multò præstantiores ijs qui in Græciam comportantur, seruis apponebantur. Delectißimi uerò quique, & pulchritudine ac magnitudine admirabiles, colore non multum ab electro differentes, dominis reseruabantur. Hos erant qui siccarent, ac in usum bellariorum reponerent. Mensis quidem ex his suauißimæ epulæ, sed quæ capitis dolorem afferrent. Quin & cerebro, id est, excecta ex uiridibus ramis medulla, milites uescebantur, quæ item ipsa capiti molesta erat.

Sed multi præcipuam quandam in eo cibi genere ſuauitatem admirabantur. Hac extracta, arbor tota exareſcebat. Hoc in loco Græci triduum cõmorati ſunt. Interea uenit à rege Tiſſaphernes, & cum eo regis uxoris frater, tres item Perſæ, cum magno ſeruorum numero. Quibus cùm Græcorum duces obuiam ueniſſent, prior Tiſſaphernes per interpretem ita loquutus eſt: Ego, uiri Græci, proximo Græciæ loco habito. Quare cùm uos in ſummas ac plurimas rerum difficultates incidiſſe uiderem, præclarè me ueſtris rebus cõſulere poſſe putaui, ſi fortè à rege poſſem impetrare, ut à me uos in Græciam incolumes reduci ſineret. Pro quo cùm & à uobiſipſis, & ab uniuerſa Græcia, egregiam me gratiam initurum mihi perſuaderem, à rege id pro iure meo petij: cùm illi etiam dicerem, me planè ita meritum eſſe, ut libenter mihi in hoc genere gratificari deberet, cùm & de Cyri motu primus cum certiorem fecerim: primus item, atque adeo cum ipſo nuncio copias ei in auxilium adduxerim. Solus deinde ex omnibus qui contra Græcos in acie ſteterunt, non fugerim, ſed per medios hoſtes euaſerim. Deinde cum ipſo rege in ueſtris caſtris congreſſus, quô ſcilicet rex poſt Cyri cædem penetrarat, Barbaros eos qui Cyrũ ſecuti fuerant, unà cum ijs qui nunc mecũ ſunt regi fideliſſimis hominibus in fugam uerterim. Quæ cùm expoſuiſſem, ſe deliberaturum rex promiſit. Verùm interea me ad uos uenire iußit, ac quærere, quamnam ob cauſam contra ipſum arma ceperitis. Hîc ego uobis ut lenius reſpondeatis ſuadeo, quò poßim quæ cupio ueſtra cauſa facilius obtinere. Hæc ubi Græci audierũt, paululum cõcedentes, inter ſe quid reſpondendum eſſet conſultarunt. Tum Clearchus pro omnibus in

Tiſſaphernis oratio.

hunc

hunc modum locutus est: Nos neque in unum conuenimus ut bellum regi inferremus, neq; cõtra ipsum prudentes ac scientes uenimus: sed, ut ipse nosti, Cyrus omnibus artibus usus est, quò & uos imparatos opprimeret, et nos huc perduceret. Vbi cùm eum maximis rerum difficultatibus circumuentũ uideremus, fuit quod deorum nos, & hominũ pudor adduxit, ne eum in aduersis desereremus, cui in sequundis præstò semper fuissemus. Iam Cyro interfecto, neq; nobis de imperio cum rege ullum est certamen, neq; in eius fines hostiliter inuadimus, nec ipsum occidere uelimus, liceat modò in patriam sine cuiusquam iniuria redire. Quòd si quis nos lacessierit, hunc, dis freti, ut ulciscamur, operã dabimus. Sin fuerit de nobis quisquam bene meritus, nihil certè, ne uicti beneficio uideamur, referendæ gratiæ studio futurum nobis antiquius est. Hæc Clearchus. Tissaphernes uerò: Hæc, inquit, regi renunciabo, rursusq; uobis quicquid ille respõderit. Dum uerò ad illum excurro, de compositione illud maneat, quod antè inter nos cõuenit, ac interim commeatus uobis dabimus. Ac tunc abiens, cùm postero die non rediret, Græcis nonnihil suspicandum præbuit. Tertio uerò die cùm uenisset, se à rege impetrasse dixit, ut liceret Græcos in patriã incolumes reducere: quamuis non defuissent qui aduersati essent, cùm è regis dignitate esse negarent, qui contra ipsum armati uenissent, impunè ab eo discedere. Postremò, ut rem, inquit, paucis absoluam, uobis, ut nunc se res habet, licet nobiscum pacisci. Fidem nos dabimus primũ, tuta uobis fore itinera, per omnes regni partes, ut nihil plus quàm ab amicis uobis timendum sit: deinde uos optima fide in Græciam reducendos suscipiemus. Commea- Clearchi oratio.

tuum copiam faciemus: id si minus præstiterimus, tum ex agro quæcunque opus fuerint, uos sumere patiemur. Vos contrà iusiurandum concipietis, quacunque transieritis, nulli neque incommodum, neque detrimentum ullum importaturos, ac si per sociorum fines iter faceretis: esculenta tantùm & potulenta sumpturos, ubi è foro ea uobis curare non potueritis. Vbi uerò mercandi facultas fuerit, omnia uos empturos. Hæc utrinque iureiurãdo sancita sunt: dexteræ datæ uicissim. Autores fuere: illinc Tissaphernes, & regis uxoris frater, hinc Græcorum duces & centuriones. His ita trãsactis, Tissaphernes, ad regem, inquit, excurro: illinc rebus omnibus, quæ ad iter pertinent, comparatis, confestim adero, uosq; in Græciam deducam, & ipse me in meam prouinciam recipiam. Post hæc Græci eo ipso in loco, & Ariæus coniunctis castris, XX. dies Tissaphernem expectantes cõmorati sunt. Interea uenerunt ex Persis ad Ariæum, cæterosq; qui cum eo erant, cùm ipsius fratres, tum cæteri necessarij, qui eos bono animo esse iusserunt: fidem etiam à rege dederunt, quòd Cyrum armis iuuissent, nulli ipsis fraudi futurum, ac præteritas omnes offensiones illum ijs condonaturũ. Hæc Ariæum eiusq; milites ita cõmouisse uidebantur, ut iam Græcorum societatẽ multò negligentius colerent. Quod cùm uulgus Græcorũ animaduertisset, non bellè secum agi putarunt: quare cùm Clearchum & cæteros duces conuenissent, Quid, inquiunt, hic amplius cõmoramur? An uerò ignoramus regem nihil impensius, quàm nos perditos cupere? atq; ob id maximè, ut reliquos Græcos hoc exemplo perterreficiat, ne in posterum contra ipsum arma capiant. Ac nunc quidẽ dedita opera hìc nos detinet, quan-

tisper

tisper scilicet eius copiæ, quæ nunc dissipatæ sunt, in unũ coëant. An dubitatis quin ubi coierint, sit in nos impetum facturus? Quid si fortè nunc aut fodiendũ, aut muniendũ aliquid curat, quo nos intercludat? Neq; enim quàùm in se fuerit, passurum consentaneum est, in Græciam renunciari, nos cùm tam pauci essemus, regem in ordinem redegisse, atq; ab ipsius, ut aiunt, ianua domũ, eius potentiam illudentes, redijsse. Ad hæc Clearchus: Eadẽ mihi, inquit, suspicari in mentem uenire solet: sed illud iam cogito, si nunc discedimus, ne rebellasse contra fœdus uideamur. Deinde uerò commeatus nobis dabit nemo: neq; erit quò frumentatum eamus: ducem præterea itineris neminem habebimus. Ad hæc Ariæus: Si hæc fecerimus, à nobis plane deficiet: atque ita non modò nullum nobis amicum reliquum fecerimus, sed qui antè amici, hi hostes fient. Fluuius quidem nunquis traijciendus nobis sit alius, nescio. Euphratem certè, facilè intelligere possumus, si obsistant hostes, nullo pacto transmitti posse. Quòd si pugnandum fuerit, ecquis nobis est equitatus? at is hostibus plurimus & lectissimus. Quo fiet, ut si uicerimus, illos tamen assequi nequeamus: sin uicti fuerimus, nostrũm cuadet nemo. Ego sanè regis consilium miror, si, cùm tam multis modis pro suis opibus ac facultatibus, nos facillimè perdere possit, nobiscum fœdus feriat, fidem det, deos periurio lædat, fideiq; suæ autoritatem apud Græcos & Barbaros comminuat. Multa in hanc sententiam cùm egisset, Tissapher nes uenit, copiasq; suas secum, uti domum rediturus, adduxit. Cum eo unà Orontes, cum suis item copijs uenit: ac is secum regis filiam sibi in matrimonium ducebat. Hinc duce Tissapherne, & eodem commeatus uænum expo-

nente, profecti sunt. Vnà etiam Ariæus cum ea Barbarorum manu, quæ Cyri fuerat. Atque hi quidem, & Orontes, communibus castris utebantur. Græci uerò cùm Barbaros suspectos haberent, seorsim iter faciebant, duces suos sequentes: quocunque locorum peruenissent, castra ponebant, interuallo haud multò minore inter se pass. IIII. M. Ac utrinque, æquè ac aduersus hostes custodiæ adhibebantur: quæ res suspicionem haud leuem in omnium animos immisit. Sæpe etiam qui aut lignatum, aut pabulatum, aut quid aliud quæsitum mittebantur, ab alterutris plagis mulctati redibant, ex quo inimicitiæ existebant. Hinc uerò progressi, tertijs castris ad Mediæ muros accesserunt: per cuius etiam interius pomœrium iter fecere. Erant hi coctilibus laterculis & bitumine extructi, pedes XX. lati, C. alti, in spacium excurrentes, uti ferebantur, M. pass. LXXX. A Babylone uerò non longè hi aberant. Proximis binis castris M. pass. XXXII. confectis, alueos duos traiecerunt, quorum unus ponte, alter nauigijs septem iungebatur. Hi à Pigrete amne ducti fuerant, atque ab his fossæ per totum agrum diducebantur: quarum primæ quæque maiores, minores mediæ, postremæ nihilo latiores ijs riuulis, quos Græci in panici segetem inducere solent. Hinc ad Pigretem amnem perueniere, à quo quindecim circiter stadia urbs abest Sitace nomine, magna illa, & hominum multitudine abundans. Græci in proximo agro non longè à pulcherrimis maximisq; ac omnifarijs arboribus consitis hortis castrametati sunt: Barbari ipsi trans Pigretem, quaq; in parte conspici non poterant. Iam uerò cùm à cœna fortè Proxenus & Xenophon pro castris ambularent, accedens nescio quis

quis ab ijs qui pro ſtatione erant, quæſiuit, Clearchum aut Proxenum ubinam reperire poſſit: de Menone nullam mentionem fecit, cùm tamen ab Ariæo is miſſus eſſet Menonis hoſpite. Vbi uerò Proxenus ſe illi indicauit: Me, inquit ille, Ariæus & Artabazus fideles olim Cyro, uobis beneuoli homines miſerunt, ut monerem, caueatis ne nocte uos Barbari adoriantur: in proximis enim hortis magnæ copiæ ſubſederunt. Ad hæc, uos ijdem iubent præſidio pontem Pigretis occupare: ſtatuiſſe enim Tiſſaphernem illum diſſoluere, ſi poſſit, quò retrocedendi adempta facultate, intra fluuiũ & alueum intercludamini. Hæc illi cùm audiſſent, ipſum nuncium ad Clearchũ adducunt, ac ei rem omnem explicant: qua ille audita, uehementer commotus ac perterritus eſt. Hic ex ijs qui tunc aderant, adoleſcens quidam, re attentius conſiderata, pugnantia eſſe dixit, adoriri ſimul, et pontem ſoluere: neceſſe enim, inquit, eſt, ſi nos adorti fuerint, aut uincere, aut uinci. Quòd ſi uicerint, quid tunc eſt quòd pontem ſoluant? cùm neque ſi multi nobis pontes ſuppetant, fuga ſaluti conſulere poſſimus. Sin eos nos uicerimus, certè ſoluto ponte quô effugiant nõ habebunt. Adde quòd ex ulteriore parte, nemo ex tãta multitudine ponte amoto, his auxilio uenire poterit. Cùm ad hæc attendiſſet Clearchus, de nuncio quæſiuit, quàm latè patêret ea regio, quæ Pigrete & alueo terminaretur. Cui cùm reſpondiſſet ille, magnã utiq; eſſe, & in qua uici cõplures, multæq; eſſent ac magnæ urbes, planè ab omnibus intellectum eſt, allegatum eſſe illum hominem à Barbaris, illud metuentibus, ne Græci cùm pontem tranſiſſent, inſulam illam occuparẽt, in qua ſe hinc aluei, illinc fluminis duplici quaſi munimento tueri, & com-

meatus ex agro, qui in medio maximus & optimus patêret, copiam habere possent, cùm præsertim qui eum colerent, defuturi nõ essent: ex eo uerò loco regẽ multis posse incommodis affici. His rebus perspectis, Græci quieuerunt, pontem tantùm misso præsidio tenuerunt. Verùm neq; eos quisquã ulla ex parte adortus est, neq; ullus omnino ex hostibus ad pontẽ accessit, uti postea ex illis ipsis, qui in præsidio fuerant, cognitum est. Cùm illuxisset, pontem nauigijs XXXVII. sultum, omni adhibita cautione transierunt: etenim renunciatum fuerat, in ipso transitu Tissaphernem impetum facturum: quod falsum omnino compertum est. Conspexerunt quidem transeuntes Glun, & Allonem: speculatũ hi uenerãt, nunquid Græci transirent, ac re cognita pedẽ retulerũt. A Pigrete uerò quartis castris M. paß. LXXX. confectis, ad Physcũ amnem peruenere. Huius latitudo paß. erat XX. Ponte is iungebatur. Nec longè aberat ampla ciuitas, Opis nomine: prope quam Græcis obuius factus est Cyri & Artaxerxis nothus frater, qui secũ à Susis & Ecbatanis, magna regi auxilia adducebat. Is cum exercitu substitit, et prætereuntes Græcos spectauit. Agmen in binos Clearchus ducebat, ac modò hac, modò illa in parte imperabat: & quantisper quidem frons agminis interstiteret, agmen totum intendi necesse erat. Quod sanè efficiebat, ut & ipsis Græcis multò maximus mílitũ numerus uideretur, & Perses intuens uehementer obstupesceret. Hinc per Mediæ solitudines, senis castris M. paß. CXX. profecti, in Paryssatidis, Cyri, & Artaxerxis matris uicos uenerunt: eos Græcis, Cyro iam mortuo illudens, populabundos Tissaphernes præbuit, captiuum tamen neminem abduxerunt. Erat in his

uicis

uicis, frumenti, pecoris, aliarumq; rerũ luculenta copia. Hinc profecti per solitudines, castra quina habuerunt intra M. pass. LXXX. ad læuam Pigretem habentes. Ad prima castra trans flumen, urbs incolebatur frequens & opulenta, Cœnæ: ex qua barbari coriaccis ratibus panẽ, caseum, uinum in castra conuehebant. Hinc ad Zabatum amnem uenere, cuius latitudo pass. patebat LXXX. atque hìc dies tris cõmorati sunt: in quibus ut nullæ se ostenderint insidiæ, suspiciones utrinq; non defuerunt. Quas cùm tollere uellet Clearchus, antequàm ex ijs bellum aliquod conflaretur, sibi cum Tissapherne congrediendum putauit: quare per nuncium eum monuit, sibi ex usu esse cum eo congredi: ille non grauatè sui adeundi potestatem fecit. Vbi conuenerunt, Clearchus ita loquutus est: Noui equidem Tissapherne, fœdus inter nos ictum, datasq; dexteras, neutram partem alteram læsuram. Et tamen, ut uideo, uobis æquè à nobis, atque ab hostibus cauetis. Id enimuero cùm nos animaduertamus, uestrum exemplum sequimur. Sedenim quum diligentius attendo, neque uestrûm quenquam esse comperio, qui nobis periculum ullum intentet: neque, quod ego planè affirmare possum, quisquam de nostris est, qui in uos quicquam hostile cogitet: eam ob rem te mihi conueniendum putaui, ut has, si fieri posset, utrinque suspiciones exemptas ex animis curaremus. Noui enim ex huiusmodi plerunque suspicionibus & criminationibus effici solere, ut dum homines ne patiantur quid grauius metuunt, longè atrocissimas iniurias ijs plerunque facere occupent, qui nihil ipsi unquam tale quicquam commissuri fuerant. Veni igitur ad te, quòd nulla re magis quàm familiari congressu, hu-

Suspicio quid efficiat.

iusmodi errores tolli posse existimaui: ac tibi quidem facilè, opinor, ostendam, nihil esse quamobrem fidem nobis non habeas. Primùm enim omnium ipsa nos omnino iurisiurandi religio continere debet, ne nobis uicissim insen si simus: atque eum quidem, qui se uiolatæ religionis conscientia obligarit, neutiquam ego inter beatos numerarim. Deorum enim immortalium bellum, neque qua quis celeritate, nec in quas effugiat latebras, uideo: nec postremò in quod se propugnaculum recipiat, quô neglecti numinis ira non peruadat, cùm sint omnia dis obnoxia, neq; sit quicquam usquam quod in deorum potestate non sit. Ac de dis, fide, ac iureiurando, quo nobis fœdus sancitum est, ita statuo. Quod uerò ad homines attinet, te ego nobis in præsentia maximi boni autorem puto. Per te enim omnis nobis est aditu facilis uia: per te quemuis amnem traijcimus: per te nobis commeatuũ copia in promptu est. Sine te omnis nobis quasi in tenebris ignota est uia, quòd scilicet omnium locorũ prorsus ignari sumus: sine te nullus est, quem transmittere possimus, amnis: sine te formidolosa quæuis turba, multò formidolosior solitudo, cũ nulla nobis itineris satis expedita ratio iniri possit. Quòd si te furore atque amentia impulsi occidamus, quid aliud obsecro, nisi homine bene de nobis merito interempto, maximi regis ad ultionem iurè incitati, sit nobis bellum sustinendum? Iam uerò quas mihijpsi spes irritas redditurus sim, tibi si quam iniuriam facere conatus fuero, nunc explicabo. Ego Cyri antè amicitiam expetiui, quòd unũ omnium suæ ætatis, ad bene merendum de quibus uellet, maximè idoneum existimaui. Nunc ad pristinam potentiam tuam, illius opes atque imperium adiectum esse uideo: ac

regis

regis copias quæ Cyro infensæ erant, tibi præsidio esse. Hæc cùm ita sint, quis tantopere insaniat, quin te sibi amicum expetat? Verùm & qua adducar spe, te mihi amicum fore, aperire non dubitabo. Satis constat Mysos infestos uobis esse, quos hisce quæ me sequuntur copijs, nihil diffido uestræ potestati posse subijci. Quin & Pisidas, & alias gentes, quæ (ut audio) uestræ felicitati negocium facessunt, facilè à uobis existimo, suppetias nobis ferentibus, coërceri posse. Quid? Aegyptios quibus nunc maximè uos iratos scio, quibusnam alijs auxilijs freti facilius ulciscemini? Prætereo quòd & finitimis benemerentibus prodesse, & in eos qui te lacessierint, pro iure tuo, nobis adiuuantibus, tãto facilius animaduertere poteris. Ac nos quidem non hercule magis stipendij causa tuis temporib. inseruiamus, quàm quòd pro tuis in nos meritis, gratiã tibi (uti æquũ est) libentissimè referemus. Mihi profectò hæc attentius consideranti, permirum uideri solet, te nobis fidem nõ habere: atq; illum medius fidius quisnam sit, libenter uelim cognoscere, qui tantũ in dicẽdo ualere possit, ut cuiquã persuadeat nos tibi insidias cõparare. Hæc Clearchus. Ad quæ sic respõdit Tissaphernes: Enimuero Clarche plurimũ delectatus sum prudenti oratione tua, ac facilè adducor, te, si quid in me moliaris, tibijpsi male cõsultu rum. Sed quò ipse etiam intelligas, nõ iure uos, aut à rege aut à me posse deficere, me uicissim audi. Si uos perdere uellemus, deesséne, obsecro te, nobis aut equitum multitudo, aut leuis grauisue armaturæ peditum copiæ, quibus uos minimo negocio, ac sine ullo nostro periculo affligeremus? Atenim iniquiora fortasse nobis loca esse uideantur, unde uos adoriamur. Atqui longũ uobis iter cùm per

campos nobis pacatos, tum per difficilimos montes faciendum est: quos cum arbitratu nostro occupare possimus, an nõ facilè uos intercludamus? Quot uerò flumina sunt, ad quæ uestram traiectionem obseruantes, cum qua nobis expediat copiarum uestrarum parte, pugnare possimus? Adde quòd sunt ex illis non pauca, quæ nisi uobis duces simus, traijcere nullo pacto possitis. Sed fac his rebus omnibus inferiores simus, ignis certè frumento ac pabulo superior est, quo cùm omnia exussissemus, famẽ uobis quasi in acie opponeremus, cui uos ne si longè quidẽ omnibus fortitudine præstetis, repugnare possetis. Est uero consentaneum, cùm tam multis uos modis, ac sine periculo nostro oppugnare atq; euertere possimus, unum illum deligere maluisse, qui & deorum maiestatem læderet, & apud homines summa turpitudinis infamia carere non posset? Est omnino non improborum modò, sed eorum etiam qui & aduersis rebus premantur, & maximis difficultatibus, ac necessitate summa circumuenti sint, id committere, in quo & iusiurandum deorum immortalium, & hominũ fidem uiolent. Nõ adeò uecordes aut stulti sumus Clearche: quid enim opus est, cùm tam multis uos modis opprimere possimus? Non propterea huc uenimus. Vnum, mihi credito, bene merendi studium me ad hanc cum Græcis societatem adduxit: abundè uerò præclarum mihi fore putaui, si quo exercitu mercede sibi conciliato, Cyrus in superiorem Asiam ascendisset, cum eodem ego meo beneficio fretus, in inferiorem descenderem. Cui uerò mihi usui esse possitis, & ipse paulò antè exposuisti: & ego, quod caput est, per me noui, uni scilicet regi rectam tiaram capite gestare licere, alijs corde fortasse facilè liciturum, uobis in officio per-

tio permanentibus. Hæc ille. Quæ cùm Clearchus approbasset, Nónne igitur, inquit, qui inter nos tam firma iunctos amicitia, dissidium quærunt, dignissimi sunt qui grauissima quaq; pœna afficiantur? Tum Tissaphernes: Si uestri, inquit, duces ac centuriones cuncti in conspectum uenerint, indicabo tibi eos qui ad me detulerunt, te mihi copijsq; meis insidias facere. Ego planè, respondit Clearchus, omnes ad te adducam, & simul tibi aperiam qui de te minus commodè apud me loquuti sunt. Ab his sermonibus Tissaphernes Clearchum amplexus, manere tũc eum apud se iubet, ac cœnæ etiam adhibuit. Postero uerò die cùm in castra Clearchus redisset, facilè erat cognoscere, omnia eum sibi de Tissaphernis amicitia polliceri. Hìc ubi suum cum Tissapherne colloquiũ exposuit, opus esse ait, uenire ad Tissaphernem quos ille iusserit: quiq; conuicti fuerint, quòd Græcos insimularint, eos proditionis ac male uoli in Græcos animi pœnas dare. Suspicabatur is quidẽ eius insimulationis autorem fuisse Menonem: meminerat enim illum unà cum Ariæo ad Tissaphernem se cõtulisse: meminerat ab illo in se tumultũ olim cõcitatum. Iam uerò sciebat sibi ab illo insidias comparari: cupiebat enim ille à Clearchi studijs exercitu uniuerso abducto, ad Tissaphernis se amicitiam conferre. Sed & Clearchus summa ope milites in officio retinere nitebatur, ac propterea omnes qui sibi aduersarentur, de medio tollere cupiebat. Sed tũc non defuerunt ex militibus qui dicerent, nihil opus esse centuriones & duces omnes ab exercitu discedere, neque esse omnino fidem Tissapherni habendam. At Clearchus pertinacissimè contendit, quousq; obtinuit ut duces VI. centuriones XX. se ad Tissaphernem redeuntem se-

querentur, quos, milites circiter CC. non secus ac si in forum iretur, consequuti sunt. Vbi uerò ad Tissaphernis prætorium uentum est, duces ipsi intromissi sunt, Proxenus Bœotius, Menon Thessalus, Hagias Arcas, Clearchus Lacon, & Socrates Achæus: centuriones ad fores remanserunt. Neque ita multò pòst ad idem signum, & qui intus erant, comprehensi sunt, & qui foris, ad unum cæsi. Tum Barbari equites per campos discurrentes, in quemcunq; de Græcis incidissent, sine discrimine, seruúsne an liber esset, passim omnes trucidabãt. Græci ex castris eorum discursationem prospicientes, quid rei esset mirabantur, prorsus quid ageretur, incerti, antequàm Nicarchus Arcas accepto in uentre uulnere, ex quo intestina manibus sustinebat, fuga se in castra recipiens, rem omnem aperuit. Ibi Græci inopinata re perculsi, statim ad arma concurrerunt: neq; cuiquam dubium erat, quin illi eodem impetu ad castra uenturi essent. Non uenerunt tamen uniuersi, sed Ariæus tantùm, Artaozus et Mithridates, quibus maximam Cyrus fidem habuerat. Græcorum uerò interpres, se uidere inter eos Tissaphernis fratrẽ, quem probè cognosceret, affirmauit. Sequuti sunt hos ex Persis loricati plus minus CCC. Vbi propius accessere, procedere iusserunt ex ducibus aut centurionibus aliquem, ut ei quæ à rege mandata haberent, exponerent. Processerunt igitur è Græcis, qui in præsidijs erant, duces quidem, Cleanor Orchomenius, & Sophænetus Stymphalius, & cum his Xenophon Athenienſis, ut aliquid de Proxeno sciscitaretur. Nam Chirisophus tunc fortè aberat: erat enim in uicum quendam frumentandi causa cum cohorte sua profectus. Hi postea quàm eo loco constiterunt, unde

Callido Tissaphernis astu Græcorũ duces oppressi.

quæ

quæ illi dicerent exaudire possent, his eos uerbis Ariæus alloquutus est: Clearchus, Græci, cùm se manifesto periurio obligaret, scelus morte luit: Proxeno et Menoni, quòd rem detulerunt, gratia & honos maximus habetur. A uobis rex arma sibi dedi postulat, quòd sua sint, quæ antè Cyri serui sui fuerunt. Ad hæc pro Græcis omnibus Cleanor Orchomenius ita respondit: O hominum sceleratissime Ariæe, & item alij qui Cyri olim amicitiam sequuti estis, an non pudet uos, & hominum, & deorum? Siccine cùm iureiurando uos obstrinxeritis, eosdē uobis qui nobis essent, & amicos, & hostes futuros, iam cum Tissapherne, uno omnium maximè impio ac uaferrimo homine, nos prodidistis? eosq; homines, qui propter iurisiurandi ac fœderis religionem, uobis sacrosancti esse debuerant, sustulistis? iam uerò & nos eadem proditione circūuentos, cum hostibus oppressum uenistis? Tum Ariæus: Atqui Clearchus, inquit, prior manifestis insidijs Tissaphernem & Orontem, nosq; qui cum ipsis eramus, opprimere conatus est. Hìc Xenophon: Si Clearchus, inquit, præter fœdus aliquid molitus est, iam pœnas dedit: nihil enim æquius quàm periuros merita affici pœna. At Proxenum & Menonem, si quidem hi de uobis bene meriti sunt, & ijdem nobis præsunt, ad nos huc quamprimum remittite: hi enim proculdubio cùm utrisque amici sint, uestris æquè ac nostris rebus optimè consulent. Ad hæc Barbari, diu inter se collocuti, postremò nullo dato responso, abierunt. Duces quidem ipsi, uti antè dictum est, comprehensi, regis iussu ad quem deducti sunt, securi percussi diem extremum clauserunt. Ex ijs Clearchus, uir consensu omnium eorū qui illum familiarius nossent, ad militaria munia na-

Clearchi fortißimi Græcorũ ducis uita & interitus.

tus, ac idem belligerãdi, ſupraquàm dici poßit, cupidus. Is enim quandiu bellum Lacedæmonijs cum Athenienſtibus fuit, operam patriæ nauauit: pace facta, ciuibus ſuis perſuaſit bellũ contra Thracas, eo nomine quòd illi Græcis infeſti eſſent, ſuſcipiendum: cumq; ut bellum id ſibi decerneretur, ab Ephoris impetraſſet, claſſe Thracibus ijs, qui ſupra Cherſoneſum & Perinthum habitant, bellũ intulit. Poſtea uerò quàm Ephori mutata ſentẽtia, iam profectum ab Iſthmo reuocare conati ſunt, ille quidem non paruit, ſed ad Helleſpontum nauibus contendit: eam ob rem à magiſtratibus Spartanis, quòd parêre noluiſſet, capitis accerſitus eſt. Ac tunc exul ad Cyrum profectus, quibus eum rationibus ſibi conciliaſſet, alio loco ſcripſimus: à quo Daricis uicies mille acceptis, nequaquam ſe ocio aut deſidiæ dedit, ſed comparato ea pecunia exercitu, Thraces bello cœpit urgere: quos cùm prælio uiciſſet, latißimè agros eorum populatus eſt: ac in eo ſanè bello uerſatus, uſquequo Cyrus cùm delectum haberet, eum ad ſe euocauit, tunc illi belli ſocius futurus in Aſiam traiecit. Atque hæc propenſi ad bellum animi documenta fuerunt, quòd cùm honeſtæ ac ſecuræ paci conſulere poſſet, bellum optaret: cùm uerò ocium amplecti liceret, bellandi cauſa labores ſuſcipere mallet. Cùm denique magnam pecuniam poſſet impunè poßidere, præſtabilius duceret eam bellicis impenſis comminuere. Itaque ut in amores alij, ac alia uoluptatum genera, ſic in bellicos apparatus hic libentißimè pecuniam erogabat. Hæc, inquam, eius in re bellica ſtudium declararunt. Quòd autem bellicarum laudum unus maximè compos eſſet, ex eo intelligi poterat, quòd pericula omnia intrepidè adibat, modò interdiu, modò nocte in

hoſtem

hostem mouens. Idem in grauibus ac difficilibus rebus, prudentiæ muneribus fungebatur: atq; id ubiuis locorum omnes confessi sunt. Ad hæc, imperandi artes egregiè tenere uidebatur, pro suo tamen ingenio ac moribus. Vt enim diligentius nemo operam dabat, ut commeatus ac reliqua commoda militibus suppeterent: sic metuendum se potius, quàm diligendum præbebat, quippe qui & uultu acerbitatem quandam præ se ferret, & uoce esset asperiore, ac in puniendo ea uteretur seueritate, ut ab ira nõnunquam, cuius eum rei aliquãdo pœnitebat, se uinci sineret. Neq; tamen non certam rationem sequebatur, cùm dissoluto exercitu nequius nihil esse putaret. Quin dicere solitum aiũt, imperatorem hoste ipso formidolosiorem militi esse oportere: neq; enim aliter aut uigilias obiturum, aut amicis temperanter usurum, aut absq; tergiuersatione in hostem iturum. Quare periculosis in rebus eum libentissimè omnes auscultabãt, unum sibi illum imperatorem exoptabant, ac eius oris tristitiam, hilaritatem, in imperando acerbitatem, robur in hostes interpretabantur, sibiq; eam salutarem potius quàm molestam ducebãt. At ubi pericula euaserãt, poterantq; impunè ad alios duces transire, multi eum deserebant, quippe qui morũ suauitatem, quæ longissimè ab eo aberat, sectarentur, duritiã & difficultatem refugerent: itaq; non aliter in illum milites affecti erant, quàm pueri in magistros. Quocirca nunquã illum aut studijs, aut beneuolentia deuincti milites sequebantur: eos tantũ dicto audientes habebat, qui aut ex ciuitatis delectu ei attributi essent, aut qui cùm eius opera indigerẽt, ipsa necessitate adducti, in officio permanerent. Postea uerò q̃ eius ductu hostem uincere cœpere, quotidie

Clearchi dictum.

utilioribus militibus usus est. Nam & ipsa consuetudo in hostem audaces effecerat, & pœnæ metus urgebat, ut ordinis conseruandi antiquissimā rationem haberent. Talis ille imperator fuit. Alijs autem imperantib. unus omnium minimè libenter parêre dicebatur. Excessit è uita annum agens plus minus quinquagesimum. Proxenus autē Bœotius statim à puero cùm indole esset optima, rerum gerendarum studio cōflagrauit: ad quas ut se quamoptimè compararet, Gorgiæ Leontino operam dedit: cuius consuetudine cùm tantùm se profecisse intelligeret, ut & rectè imperare, & primorum amicitias ita colere posset, ut ab ijs beneficijs non uinceretur, Cyro se susceptæ expeditionis sociū adiunxit, cùm ex ea magnū nomen magnasq; opes, & ingentem pecuniam adipisci posse speraret. Quæ tamen ita cupiebat, ut satis omnib. constaret, nihil tanti esse, quod ille per iniuriam sibi partum uellet, cùm hæc ita demum expetenda duceret, si cum iustitia & honestate coniuncta essent. Ac ille quidem optimo cuiq; commodissimè imperabat. Non erat is tamē, qui militē pudore aut metu contineret, quin suos magis uerebatur, quàm ipsi illum. Neque dubium erat, quin multò magis metueret suorum inuidiam, quàm hi ne sibi ille fidem nō haberet. Satis enim imperandi munus & esse, & uideri perfectum putabat, si bene merentes collaudasset, improbis nullas laudes impertiretur. Quibus ille rationibus effecerat, ut probissimus atq; honestissimus quisq; esset in eum animo propensissimo: qui ad iniuriam essent procliuiores, sæpe illi insidias facerent, cùm præsertim sibi leuissimè caueret. Agebat cùm de medio sublatus est, annū ferè XXX. At Menon Thessalus magnam & diuitiarum, & imperij cupiditatem

Proxenus.

Menon.

ditatē semper præ se tulerat. Is enim imperare cupiebat, ut unde caperet, haberet, & honores lucri causa expetebat. Potentiorū uerò amicitias magni æstimabat, ut si iniuria quenquam afficisset, pœnas dare non cogeretur: & ad ea quæ semel concupisset, se compendiaria admodum uia peruenturum putabat, si peieraſſet, si mentitus esset, si fefellisset. Animi simplicitatem ac lentitatem, quasi lentitudinem quandam & ignauiam esse existimabat. Neminem ex animo diligebat, neq; se cuiquam amicum unquam simulauit, quin insidias ei fecerit. Ex hostibus neminem unquam ludibrio habuit: ac contrà, quibus cum consuetudinem habebat, cum ijs de rebus omnibus deridens atq; illudens agebat. Hostium bonis non insidiabatur: quòd difficilè esse putabat, quæ diligenter seruarētur eripere. Amicorum res ita appetebat, ut solus nosse uideretur, facilimè quæ non custodiantur, adimi posse. Ad hæc, quos periuros, quos iniurioſos esse intelligeret, eos tantū, quasi bene aduersus se armatos metuebat: bonorū pietate ac fide pro libidine sua abutebatur. Neq; sua quisquam religione ueri & æqui obseruantia tantopere delectatur, quantā Me non uoluptatē capiebat, dum aut aliquem fraudaret, aut mendacia fingeret, aut amicos derideret. Homines minimè facinoroſos, rudes existimabat & indoctos. Apud quos principem in amicitia locum obtinere contenderet, nihil suis rationibus magis conducere putabat, quàm si gratiosissimos quosq; criminando suspectos reddidisset. Iam milites scelerum societate in officio retinere studebat: atque ut hi se colerent, ac honore dignum putarent, facilimè se consequi posse arbitrabatur, si ostendisset, posse se et uelle quamplurimum nocere. Ac ijs quidem qui à se defece-

rant, tanquam eximium beneficium exprobrabat, quòd illos quandiu apud se fuissent, non perdidisset. Verùm quæ obscuriora sunt, ficta uideri possunt: quæ autem notissima omnibus, iam dicentur. Ab Aristippo, cùm nondum excessisset ex ephebis, mercenariorum præfecturam impetrauit. Idem cum Ariæo Barbaro homine, quòd is formosorum puerorum consuetudine magnopere delectaretur, specie corporis, ac ætatis flore commendatus, familiarissimè uixit. Ipse nondum puber, iam puberem Tarypam in delicijs habuit. Interemptis ucrò ijs, quos antè dixi, prætoribus, eo nomine quòd Cyrum contra regem iuuissent, cùm eiusdem criminis esset damnatus, non statim tamen, neque eodem mortis genere sublatus est. Non enim ei, ut cæteris, est caput à ceruicibus abscissum (quod supplicij genus honestissimum habebatur) sed, quod eius scelere dignum fuit, regis iussu, multis corporis cruciatibus laceratus, uix anno exacto exanimatus est. Hagias quoque Arcas, & Socrates Achæus occisi sunt. In his nemo unquam, neque bellicam uirtutem, neque amicitiæ fidem requisiuit. Vixerat uterq; annos fermè XL. natus.

XENOPHONTIS DE CYRI MINORIS EXPEDITIONE LIBER TERTIUS, Romulo Amasæo interprete.

QVAE gesserint Græci toto eo itinere, quod cum Cyro in uleriorem Asiam fecerunt usq; ad prælium: quæq; post Cyri interitum acta sint, dum Græci cum Tissapherne icto fœdere retrocederẽt, superio-

superioribus libris expositа sunt. Postra uerò quàm & duces ipsi oppressi, & qui eos sequuti fuerant centuriones ac milites cæsi sunt, magna ex rerum difficultate Græcis trepidatio incessit: quippe qui se etiamnum ad regis fores esse, ac circunquaq; hostilibus se nationibus atque urbibus incinctos cogitarent. Neminẽ uerò iam fore, qui sibi annonam præberet, cùm à Græcia amplius stadiũm decem millia (id erat ferè terdecies centena & XX. M. paſs.) abessent: neq; dux uiæ quisquam præstò esset: at flumina in medio plurima, altiora multò quàm ut uado transiri possent. Videbant præterea se ab ijs proditos Barbaris, qui Cyro eius expeditionis socij fuerãt. Ad hæc, equitem ne unum quidem habebant: ex quo futurum erat, ut neq; uictores fugientes assequi, neq; uicti insequentes effugere possent. Hæc dum animo agitarent, magna cura & mœrore afficiebantur. Ac pauci omnino cùm iam adueſperaſceret, cibum ceperant, pauci ignem accenderãt, neque multi ea nocte ad suos ordines cum armis conuenerunt, sed eo quem quisq; fortuitò occuparat loco, quiescentes, præ mœrore, ac patriæ, parentum, uxorum, liberũm, quos nunquam se amplius uisuros putabãt, desiderio, insomnem noctem egerunt. Atq; hic tunc fuit Græcorũ militum status. Erat in eo exercitu Xenophon quidam Athenienſis, qui non modò neque dux, neque centurio erat, aut alium ullum ordinẽ ducebat, sed neq; ulla stipendia faciebat: quippe qui priuata tantùm amicitia ductus, pro ueteris hoſpitij iure, Proxenum sequutus esset, ab eo è patria euocatus, quòd scilicet hunc ille Cyro commendandũ suſceperat, quem se meritò pluris, quàm ipſam patriam, facere dictitabat. Quare Xenophon cùm ea de re à

Xenophon rebus Græcorum deploratis, uirũ se ostendit.

Proxeno epistolam accepisset, ubi eam legit, de profectione sua ad Socratem Athenienſem retulit. At is cùm uereretur, ne esset illi alicui fraudi apud ciues suos, Cyri amicitiam expetisse, propterea quòd Cyrus Lacedæmonios, bellum cum Athenienſibus gerentes, alacriter iuuisse uidebatur, iubet illum Delphos proficiſci, ibiq; de ea profectione Apollinem conſulere. At Xenophon ab Apolline quæſiuit, cui nam deo uotis nuncupatis, et ſacris peractis, quod haberet iter ex animi ſententia conficere, req; inde feliciter geſta, ſaluus domum redire poſſet. Tunc deos quibus res diuina facienda esset, deus ædidit. Cùm uerò ad Socratem reuerſus Xenophon, oraculum retulisset, ab eo reprehenſus est, quòd non antè quæſiſſet, utrum ſatius esset proficiſci, an manere: ea enim de re deum conſuli oportuisse: non autem itinere iam ſuſcepto, quomodo id optimè euenturum esset. Sed quandò, inquit ille, ita quæſiſti, iam quæ deus iußit fieri oportet. Tum Xenophon ſacris, quibus dijs oraculo iuſſus fuerat, ritè patratis, nauem conſcendit: ac Sardeis cùm appuliſſet, ibi Proxenum & Cyrum conuenit, iter iam in ulteriorem Aſiam capeſſentes. Cyro quidem est Xenophon à Proxeno cõmendatus. Cumq; eum manere ſecum Proxenus cuperet, est etiam à Cyro liberaliter inuitatus, qui ſe illum promiſit quamprimùm expeditio ea confecta eſſet, in patriam remiſſurum. Et tunc ſanè copiæ illæ in Piſidas comparari dicebantur: quare ea ſimulatione inductus Xenophon, caſtra ſequutus est: non ille quidem à Proxeno deceptus, cùm nemo ex Græcis omnino, præter unum Clearchum, bellum id contra regem ſuſcipi ſenſiſſet. Neque enim prius res omnibus perſpicua fuit, quàm in Ciliciam uentum est: ac tunc quidem

quidem milites partim metu, propter uiæ difficultatem, partim uerò mutuo pudore impediti, in fide permanserunt. In hoc numero Xenophon fuit. Hoc uerò tempore cùm ijsdem & ipse esset, quibus cæteri, difficultatibus circumuentus, uehementer angebatur, neque somnum capere poterat. Leuissimè tamen dormitanti, huiusmodi somnium oblatum est. Paternam domum uisus est uidere cum tonitru de cœlo tactam, omni ex parte subito lumine coruscare: qua specie perculsus, cùm somno solutus esset, eodem somnio & læta sibi & aduersa significata esse interpretatus est. Nam quòd in medijs laboribus ac periculis lumen sibi à Ioue magnum affulsisse uisum esset, ad salutis spem pertinere uidebatur. Terrorem uerò afferebat, quòd cùm à Ioue rege id somnium extitisset, ac circunquaque omnia uisa essent flammis ardere, ne non posset ex loci iniquitate euadere, ac rerum omnium difficultatibus intercluderetur, metuebat. Sed uti fuerit somnium illud accipiendum, ex rerum, quæ consecutæ sunt, euentis, facilè iudicari potest. hæc enim postea acciderũt. Vbi primùm à somno excitatus est, cœpit secum ita cogitare: Quid hîc ego iaceo? nox quidem exacta magna ex parte est. Quid tam credi potest, quàm hostes cum prima luce adfuturos? Quòd si in regis potestatem redigimur, quid impediet, quin quæ indignissima homini contingere possint, uideamus? ac deinde grauissima quæque passi, & ab hostibus contumeliosissimè tractati, mortem oppetamus? Quî uerò resistamus, neque opem comparat, neq; curat quisquam: sed iacemus omnes, proinde quasi ociosis esse liceat. Ac ego quidem ipse, ex qua potissimum ciuitate, tam præclari facinoris exercitus aliquis exoriatur,

Xenophontis somnium.

expectem? Aut quam tandem ætatem idoneã mihi ad res magnas gerendas fore putem? Senex equidem nunquam fiam, si me hostibus hodie tradidero. His impulsus cogitationibus surgit, ac statim Proxeni centuriones conuocat. Qui cùm unum in locum conueniſſent: Ego, inquit, centuriones, non modò non dormire, quod mihi uobiscum commune esse arbitror, sed ne quiescere quidem possum, dum quo loco res nostræ sint, considero. Hostes nõ antè apertè nobis arma intulerunt, quàm sibi ex sententia parata omnia & constituta esse putarunt: Nostrûm uerò nemo est qui rationem ineat, quonam modo cum illis quamæquissima conditione certemus. Atqui si fracti animo atq; abiecti, in regis potestatem uenerimus, quàm nobis æquum illum futurũ putamus, qui germani fratris mortui abscissum caput, & dexterã palo suffixerit? Iam quid nos pati par sit, quorum nemo causam suscipit, quiq; ui & armis regem seruũ facturi, ac cum fortunis omnibus, uita etiam ipsa euersuri uenerimus? An non eo contra nos animo illum uenturũ putatis, ut cum indignissimis nos modis cruciarit, exemplum cæteris ædat, quid eos expectare oporteat, qui contra ipsum arma capiant? At nobis quiduis faciendum, ne in illius potestatem ueniamus. Equidẽ quantisper fœdus nobis cum Barbaris integrum & inuiolatum fuit, cum rege benè ac præclarè agi putabã, cùm tam multas eum regiones, tam immensam commeatuum copiam, tam ingentem seruorum multitudinem, tot pecorum greges, tantam auri, uestisq; uim, in potestate sua habere uiderem. Contrà uerò nostram hanc conditionem magnopere miserabar, quòd ex tam multis bonis, nihil cuiquam nisi quòd precio mercatus esset, possidere liceret, cùm & ipsum

ipsum precium quampaucissimis suppeditaret: alio uerò quouis modo, quæ opus essent nobis quærere, fœderis religione prohiberemur. Quæ cùm in mentem uenirent, fœderis ipsius cõditiones, omni bello nobis multò graviores esse statuebam. Nunc uerò cùm fœdus illi irritũ fecerint, nõ mehercule, cùm illorum insolentia solutissima sit, quominus nos rationibus nostris, ut ex usu cõmodoq; nostro sit, consulamus, ulla uerecũdia, aut religione astricti esse debemus. Iam in medio, quæ paulò antè cõmemoraui bona, quasi quædã præmia posita sunt: ea sibi utri nostrũm uirtute præstiterint, uindicabunt. Certaminis autores & præsides dij, qui, uti consentaneum est, à nobis erunt, cùm illi fidem eorum fefellerint: nos ne quid contra iusiurandum faceremus, maximis plurimisq; commodis, quorum compotes esse poteramus, constantissimè abstinuerimus. Quare, ut mea fert opinio, in hoc certamen nobis multò quàm illis fidentius licet descendere. Sunt prætereà nobis & frigoris, & æstus, & laborum omnium corpora multò tolerantiora, & animi etiã robore (dij modò propitij sint) illos anteibimus. Neque illi cæde ac uulneribus non facilius quàm nos conficiposſunt: quod & antè experti sumus, & in posterum experiemur, si deorum ope, uti paulò antè, uictoriam adepti fuerimus. Verùm hæc eadem fortasse & alijs in mentem uenient. Sed per deos, ne expectemus usquequo alij ueniant, & ad pulcherrimi facinoris laudem nos excitent: quin ipsi alijs duces & impulsores simus ad uirtutis gloriam capessendam. Vos nunc, uos inquam centuriones, uiri fortissimi, omnium dignissimos, ijs quos geritis honoribus, & ad imperandum maximè idoneos ostendite. Ego mediusfidius, neq; uos alacriter ad

hoc opus aggredientes, non libentißimè ſequar: neque ſi mihi hoc imperandi munus detuleritis, ætatis excuſatione utar: quin me uigere puto ad propulſanda mala. Hæc ille. Quibus centuriones commoti, ſub eius imperio eſſe nihil recuſabant. Ex his tamen Apollonides quidam, Bœoticam ille quidem linguam præ ſe ferens, nugari eos dicere cœpit, qui ſalutem aliunde, quàm ex regis miſericordia, ſe conſequi poſſe putarent. Ac difficultates omnes rei gerendæ commemorare aggreſſus fuerat, cùm Xe-
ἀρωνέα. nophon eum interpellans: Vir præclariſſimè, inquit, ſolus mihi omnia ignorare uideris: ac cùm rebus omnibus non minus quàm hi, & ipſe interfueris, perinde quaſi neque uideris, neque audieris quicquam, prorſus non meminiſſe, regem poſt Cyri cædem rei euentu elatum, primùm ad nos miſiſſe, qui eius nomine iuberent arma tradere. Deinde cùm id nos facturos negaſſemus, ac cum iiſdem armis propius ad eius tabernacula caſtra locaſſemus, eundem nihil, quod uelle uideremur, non feciſſe. An non & legatos de pace miſit, & commeatuum nobis copiam fecit? Vbi uerò ad compoſitionem adducti ſumus, ac ad eum duces & centuriones armis poſitis uenerunt, quod nunc etiam faciendum cenſere uideris, non illi (credo) plagis, uulneribus, contumelijs affecti, mori etiam (quod unum ut in ſummis miſerijs maximè expetunt) prohibentur? Quæ cùm euenißſe ſcias, nihilo tamen minus nugari eos audes dicere, qui armis reſiſtendum putant: ac illum, ut ſaluos nos eſſe patiatur, rogandum cenſes. Ego, Græci, hominem hunc è noſtro conſilio eijciendum puto, atque ordine amotum, ad uaſa portanda amandandum. Quantùm enim in ipſo eſt, & patriam

triam ſuam, & Græciam uniuerſam dedecorat, cùm græcus homo tam ſit à Græcis degener. Ad hæc Agaſias Stymphalius: At huic quidem, inquit, neque cum Bœotijs, neque cum Græcis omnino quicquam eſt: etenim eius ego utranque aurem Lydorum more perforatam uidi: atque ita ſanè eſſe compertum eſt. Eum igitur cùm eueſtigio exterminaſſent, cæteri per cohortes certos dimiſerunt, qui uel duces ipſos, quibus ſuperſtites adhuc eſſent, & centuriones: uel quibus periſſent, eos qui pro ducibus, proq; centurionibus eſſent, conuocarent. Qui cùm in unum conueniſſent, ante ſuos quiſque ordines conſederunt: ac fuerunt duces & centuriones in ea concione circiter C. Et erat cùm hæc agerentur, media fermè nox. Eo in conuentu Hieronymus Eleus, omnium Proxeni centurionum natu maximus, primus ita loquutus eſt: Nobis quidem rerum noſtrarum ſtatum conſiderantibus, duces ac centuriones, optimum factu uiſum eſt, ſi & ipſi conueniremus, & uos conuocaremus, quò, ſi qua poſſet rei bene gerendæ ratio iniri, communiter conſilium caperemus. Dic, inquit, tu Xenophon, quæ nobiſcum paulò antè egiſti. Hìc ille: Eſt, inquit, omnibus notum, regem ac Tiſſaphernem, & antè, quos de noſtris potuerint, comprehendiſſe, & nunc operam dare ut nos per inſidias de medio tollant. Nobis uerò quiduis faciendum cenſeo, ne in Barbarorum poteſtatem ueniamus, ac ut illos nos potius (ſi fieri poſſit) opprimamus. Illud quidem uos ſcire oportet, noſipſos quotcunque ſumus, qui huc conuenimus, præclaram uirtutis declarandæ occaſionem habere: milites enim hi nos omnes intuentur: quos ſi fractos ac debilitatos uiderint, & ipſi ad ignauiam propenſi ferentur.

Græcorum concio.

Sin contrà, & ipſos uos paratos, & erectos in hoſtem eſſe, & ad alios incitandos acres animaduerterint, mihi credite, uos ſequentur, ac ita ſe comparabunt, ut ueſtri quàm ſimilimi eſſe uideantur. Et profectò uos æquum eſt (niſi fallor) hos bellicis artibus longè anteire. Vos enim duces, uos tribuni militares, uos centuriones eſtis: uos pacatis temporibus, pecunia, & honoribus abundatis. Vos itaq; & nunc in bello eniti decet, omnibus ut laudibus multitudinem ſuperetis. Vos prouidere, uos primi, ſi res poſtulet, labores ſuſcipere debetis. Ac primùm omnium uehementer arbitror ad exercitum confirmandum pertinere, ut primo quoque tempore duces ac centuriones, in demortuorum locum ſubrogentur. Nihil enim omnino, ſi deſint qui imperent, ulla in re, ut breuiter dicam, benè ac præclarè geri poteſt: ſed in re bellica minimè, in qua & ordinis conſtantia rebus ſalutem, perniciem affert perturbatio. Vbi uerò duces conſtitueritis, quot opus eſt, reliquóſque milites recenſueritis, ac ad munia quenque ſua adhortati fueritis, nihil, opinor, à uobis opportunius fieri poßit. Nunc enim & uos facilè uidere poteſtis, quàm ſegniter, quamq; diffidenter, & ad ordines ſuos ueniant, & uigilias obeant. Quòd ſi ad officium non redierint, non uideo cui nobis uſui eſſe poßint, quoties quid uel die, uel noctu geri oportuerit. Quòd ſi conuerſo in melius animo, non tantùm quid paſſuri, ſed quid facturi ſint, cogitarint, multò mehercule alacriores euadent. Id enim planè omnibus perſpicuum eſt, non numero, aut corporum robore uictoriam comparari, ſed utri in hoſtem, dis utique iuuantibus, animo firmiore impreßionem fecerint, eos eſſe quorum ille impetum ſuſtinere non poßit. Illud etiam mihi in men-

in mentem uenire solet: qui quouis modo, ut uiuere liceat, ab hostibus impetrant, eos plerunque turpiter ac miserè mori. Contrà uerò, quicunq; moriendi omnibus communem ac necessariam legem esse, animo reputantes, neque certamine, neque periculo ullo proposito, honestam mortem deprecantur, eos ego ad senectutem peruenire uideo, & quoad uiuant, beatioris multò uitæ muneribus fungi. Qua nos opinione præditos (id enim temporum à nobis conditio exigit) & ipsos uirtutis laudem capessere, & ad eam cæteros expedit adhortari. Hunc in modum loquutus Xenophon, dicendi finẽ fecit. Tum Chirisophus: Ego te Xenophon, inquit, antehac ex eo tantùm noram, quòd Athenienſem esse intellexeram: iam uerò, quòd talem in dictis ac factis uirtutem præ te fers, magnopere te laudo, ac maximè uelim publici boni causa, quamplurimos tui simi les reperiri. Ad eos deinde qui aderant conuersus: Adhuc, inquit, cunctamur uiri? quin hinc digressi, duces, quibus opus est, deligite: ac quos delegeritis, in media castra eôdem producite, quô & milites accersamus: præstò autem nobis sit Tolmides caduceator. Atque hæc cùm dixisset, ne quid ipse moræ interponeret, quo minus quamcelerrimè, quæ opus esset, exequeretur, statim surrexit. Suffecti in demortuorum locum, pro Clearcho Timasion Dardanensis, pro Socrate Xanticles Achæus, pro Agia Cleanor Arcas, pro Menone Philesius Achæus, Proxeno succeßit Xenophon Athenienſis. Ac hi quidẽ duces cùm renunciati essent, diluculo in medium omnes prodierunt, ac præsidijs circum castra dispositis, militibusq; ad concionem uocatis, primus Chirisophus Lacedæmonius in hunc modum uerba fecit: Iniquißima nos milites in præ-

Moriendi omnibus lex necessaria.

Chirisophi oratio.

sentia temporum conditio oppreßit, tot ducibus, tot centu rionibus, tot militibus orbatos: ad hæc ab Ariæo, qui antè societate nobiscum coniunctus fuerat, eiusq; copijs destitutos ac proditos. Nihil tamen nos aduersis rebus frangi, ac debilitari oportet: quin priſtinæ uirtutis memores, eniti debemus, ut uel ex uictoria ſalutem cõſequamur, uel ſi aliter ceciderit, ſumma cum gloria occumbamus. Viuentes certè ne unquam in hoſtium poteſtatem ueniamus: à quibus quæ paſſuri eſſemus, dij in ipſorum caput uertant.

Cleanoris oratio.

Poſt hunc Cleanor Orchomenius ſurrexit, atque ita loquutus eſt: Videtis profectò milites, regis periuria, & impietatem: uidetis Tiſſaphernis perfidiam: qui, cùm ſe Græciæ uicinum eſſe diceret, & idcirco nihil ſe malle, quàm ſibi nos ſalutem acceptã referre, ipſe iuſiurandum concepit, ipſe dexteram dedit, ipſe denique in fraudem inductos, cùm prætores cæteros, tum uerò Clearchum ipſum conuiuam ſuum, nihil Iouem hoſpitalem ueritus, per ſummum ſcelus perdidit. Nam quid de Ariæo dicam, quem nos ad regnum euehere uoluimus? Is datam acceptamq; fidem, irritam fecit, ac deos immortales, & Cyri manes, apud quem in ſummo fuit honore, contempſit. Idem ad hoſtes eius nomini infenſiſſimos defecit, ac nos illius amicos ac ſocios, nunc maximis calamitatibus afficere conatur: ſed hos dij immortales ulciſcantur. Nos uerò hæc conſiderantes, & cauere oportet ne dolis amplius illudamur: & cùm res poſtularit, quamfortiſſimè pugnare: tum quic quid dijs placitum fuerit, fortiter ac magno animo ferre. Vbi finẽ ille dicendi fecit, ſurrexit Xenophon quàm potuit ſplendidiſſimè ad pugnã ornatus: nam ſi uictoriã conſequerentur, uictori honeſtiſſimum ornatum conuenire: ſin mori

sin mori necesse esset, elegantissimũ esse putabat, pro sua quenq; dignitate ornatum occidere. Sic autẽ exorsus est: Barbarorum periuria, atq; omnem perfidiam, & Cleanor antè uobis exposuit, & uosipsi satis, opinor, nostis. Nunc si rursus nobis eorum amicitia utendum statuimus, magnam certè animi demissionem profiteamur necesse est, cùm, qui se eorum fidei tradiderunt, duces quid passi sint, non ignoremus. Sin eorum iniurias armis uindicare, & in posterum dijs approbantibus aperto eos bello persequi in animo habemus, multa nobis pulcherrimam salutis spem pollicentur. Interea dum hæc ille diceret, de concione sternuit nescio quis: quo omine accepto, cuncti milites deum abiecti ad terrã uenerati sunt. Tum Xenophon: Quoniam uiri fortissimi, dum uerba de salute facimus, nobis à Ioue salutari omen extitit, eidem deo uotum nuncupandum pro communi salute censeo: quod tum sacris ritè susceptis persoluemus, cum primùm pacatam terram attigerimus. Atqui & dijs cæteris uota facienda sunt, quibus eodem tempore sacrificium pro copijs nostris faciamus. Quare cui idem uidetur, manum tollat: ac manũ quidem cuncti sustulerũt, uotoq; nuncupato pæanem cuncti cum plausu citarunt. His quæ ad deorum cultum pertinebant, ita institutis, ad id unde digressus fuerat Xenophon, redijt. Multa, inquit, ut paulò antè cœperã dicere, pulcherrimam salutis spem nobis pollicentur. Primùm enim deorum fidem ratam habuimus: at hostes & iurisiurandi, & fœderis religionem omnem uiolarunt. Hæc cùm ita sint, & hostibus deos infensos, & nobis propitios futuros consentaneum est. Atque illi ipsi dij, & secunda elatos fortuna quamcelerrimè, cùm uelint, euertere, & abiectos cùm

Xenophontis oratio.

Omen.

maximè rebus aduersis conflictantur, excitare facilè possunt. Deinde uerò maiorum nostrorum pericula uobis in memoriam redigam, ut intelligatis quales uos, quáue in rebus aduersis uirtute esse oporteat, præsertim cùm deorum ope adiuta uirtus, ab iniquissimis plerunq; & difficilimis temporib. homines uindicare consueuerit. Cùm Persæ cum ingentibus copijs, ut Athenas delerent, in fines nostros inuasissent, animi magnitudine hosti sibi resistendum Athenienses putarunt, ac eos quidem uicerunt. Quo tempore cùm Dianæ uotum fecissent, tot illi se capras immolaturos, quot hostes occidissent, ac totidē victimas ex toto agro comparare nō potuissent, quotannis D. mactare decreuerunt, quas ætate etiā nostra quotannis mactant. Postea uerò cùm Xerxes infinitis propè copijs comparatis, in Græciam traiecisset, maiores nostri horum hostium maiores terra mariq; uicerunt. Cuius quidē victoriæ & trophæa multa monumēto sunt, & maximè earum ciuitatū, in quibus nati & educati estis, libertas: in quibus deos tantùm, ex hominib. uerò neminē, domini loco habetis. Et ab his uos estis maioribus, à quibus tamen neutiquā uos dixerim degenerasse. Neq; enim ita multi dies præterierunt, ex quo uos acie cum illorum posteris congressi, dijs iuuantibus, eorum copias tantò uestris maiores fudistis: ac illud quidem pro Cyri regno suscepto certamine, uirtutis uestræ documentū dedistis. Nunc uerò cùm uestra ipsorum salus agatur, multò uos meliores, & in hostem alacriores esse par est. Nam si antè, cùm quales illi in prælio essent, planè ignoraretis, patria animi elatione freti, nihil dubitastis cum tam magno eorum numero collatis signis congredi: quid nunc, cùm periculum feceritis, eos, quamuis

tam

tam multis partibus uos numero superarent, uestrum tamen impetum sustinere nequisse? quid, inquam, absurdius quàm si eos nunc pertimescatis? Neque uerò nunc res uestras iniquiore loco putare debetis, quòd à uobis hi defecerint, qui uiuente Cyro uobiscum unà prælium inierunt. Illi enim multò sunt ijs quos uicimus ignauiores: quare nihil mirandum, si à nobis desciscètes, ad illos cõfugerunt. Quin illud optandum, ut qui ad fugam spectent, in hostili potius acie, quàm in nostra uersentur. Quòd si quem illud diffidentiorem reddit, quòd equitatum nos nullum, hostes uerò maximum habeant: is consideret uelim, decem equitũ M. nihil esse plus, quàm hominum X. M. Neq; enim in prælio quisquam equi morsu, uel calcibus unquam confectus est. Viri sunt, mihi credite, uiri, quorum opera in pugna geruntur omnia: ac nos quidem uehiculo multò utimur, quàm equites, tutiore. Illi enim equis subnisi, & nos unà timent, & simul ab illis ne excutiantur. At nos pedibus uadentes, & ferimus cominus uehementius, & certius ijdem attingimus quod uolumus. Vna equites re præstant, quòd in fuga certius est illis subsidiũ. Verùm ad pugnã fortasse uestrûm quisque paratißimus est. Sed illud scilicet solicitudinis multum affert, quòd neque Tissapherne duce amplius utemini, neque annonam uobis rex præstaturus est. Hîc illud considerate, Tissaphernem ducem habere satiús ne sit, à quo nobis insidias factas nihil possumus dubitare: an uerò eos quos ipsi duces delegerimus? qui si quid deliquerint, intelligent non nobis magis, quàm uitæ capitiq; suo malè consulere. Nam quòd ad cibaria, ac quæ usui sunt reliqua pertinet, mallé ne debeamus ex foro pre cariò sumere, parua admodum mensura, ac minimè tole-

Equitatus elevatio.

rabili precio: an uerò arbitratu noſtro, qua menſura, ac quanti ipſimet ſtatuerimus, ſi uictoriam ſcilicet adipiſcamur? Atenim in his non eſt fortaſſe difficilè, utrum uobis magis cõducat dijudicare. Sed flumina uos terrent, in quibus traijciendis ne uada uos fallant ueremini: in quo ipſo quàm ſtultè Barbari fecerint, perſpicere poteſtis: * omnia enim flumina, quæ procul à fontib. ſuis pleniora ſunt, eadem circa fontes non hercule ſunt altiora, quàm ut genu traijcientium alluant. Sed eſto, obſtent nobis flumina, neque duces nanciſcamur, non tamen idcirco animum deſpondere debemus. Videmus Myſos, illos quidem nihilo armis meliores quàm nos ſimus, in regis finibus eo inuito, multas easq; magnas & opulentas urbes incolere. Eodemq; modo Piſidas, Lycaonas etiam ſcimus, occupatis camporum munimentis impunè, ex eiuſdem regis agro ſibi uictum quærere. Et haud ſcio an ſimus multò rationibus noſtris melius conſulturi, ſi reditu in patriam diſſimulato, ad manendum parati uideamur: nihil enim dubito, quin ſi Myſi diſcedere uelint, rex facilè adduci poſſit, ut multis ducibus, multis item obſidibus datis, tutam profectionem præſtet: ac ſi id poſtulent, quadrigas etiã ad iter conficiendum præbeat. Quibus in rebus & nobis illum obſequuturum ſcio, ac ſupraquàm facilè dici poſſit, libenter, ſi nos ad permanendum paratos uideat. Sed enim illud nonnihil timeo, ne ipſa ocij conſuetudine, & cùm rerum omnium copia, tum forma & corporis magnitudine, qua Medorum & Perſarũ uxores ac uirgines præſtant, cum illis familiariores eſſe cœperimus, deliniti, ueluti qui ad Lotophagos diuerterint, de reditu in patriam nihil laboremus. Atqui æquũ & iuſtum eſſe duco, ut ad ſuos quiſq; redeat:

Perſicarũ mulierũ pulchritudo.

redeat: ac ibi Græcis ostendamus, ipsorũ culpa fieri quòd inopes sint, quibus liceat miseram & egentem multitudinem, qua ciuitates refertæ sunt, huc deducere, ubi tenuissimum quenque quamfacilimè ac celerrimè locupletem fieri uisuri essent. Sed hæc omnia uiri fortissimi bona, in eorum qui uicerint potestate sunt. Illud nunc consilium ineundum, ut uel quamtutissimè discedamus, uel si pugnandum sit, quamæquissima conditione pugnemus. Ac primum plaustra omnia cremanda censeo, ne sarcinaria uehicula nobis quodammodo imperent, impediantq; quò minus quocunque exercitui expediat, accedere possimus. Deinde ipsa etiam tentoria: ea enim retardant nos plurimùm: nihil uerò neq; ad pugnam, neq; ad cõmeatus comparandos iuuant. Ad hæc, superuacanea uasa omnia reijcienda, neq; aliud quicquam retinendum, quàm quod aut ad belli, aut ad cibi potusq; usum pertineat: atq; id ob eam maximè causam, ut in armis expediti quãplurimi sint, ac quampaucissimi nobis sint lixæ & huiusmodi operæ alendæ: neq; enim ignoramus, uictores eorũ etiam potiri, quæ in alterius mancipio sunt. Quare ubi uicerimus, ipsi nobis hostes pro lixis erunt. Vnum illud mihi ad dicendũ restat, quod maximi momenti esse arbitror. Videtis hostes non antè bello nos lacessere ausos esse, quàm duces nostros comprehenderint: quippe qui omni ex bello superiores nos discessuros putarunt, quantisper & essent qui nobis imperarent, & nos imperantibus pareremus. At si ducibus uos orbassent, sublata imperãdi autoritate, atq; omni ordinis tuẽdi disciplina, nos proculdubio perituros existimarunt. Quamobrẽ & duces qui nuper renũciati sunt, multò oportet attentiores esse, et milites in suis ordinibus

conseruandis diligentiores, ac multò quàm adhuc, magis dicto audientes. Quòd si quis ab officio discesserit, statuite uestris sententijs, ut de eo cuiuis uestrûm, cùm res ipsa tulerit, unà cum præfecto liceat pœnas sumere. Hoc enim maximè modo se sua opinione deceptos hostes intelligent, cũ hodierno die decies mille Clearchos pro uno extitisse uidebunt, per quos nemini ignauo esse liceat. Sed iam tempus est ut dicta ad rem conferamus: hostes enim iam fortasse aderunt. Quare si quæ relata sunt uobis probantur, ea quamprimũ sciscite, quò decreta uestra operibus ipsis primo quoque tempore cõprobetis. Quòd si quis melius quid uidet, ne dubitet quiuis, ut etiam priuatus ille sit & gregarius, cæteros docere: de cõmuni enim salute est omnibus consilium capiendum. Tum Chirisophus: Si quid, inquit, aliud opus est, quod Xenophon prætermiserit, tum fieri id licebit, cùm in mentem uenerit. Quæ uerò ab eo iam dicta sunt, optimũ factu esse censeo, ut ea sine ulla cunctatione faciatis: cui igitur ea probantur, is sublata manu significet. Tum cuncti manum sustulerunt. Surrexit iterum Xenophon, atq; ita loquutus est: Audite uiri quæ cauenda mihi uidentur. Eundum nobis iam est, ubi commeatus in promptu sint. Audio autem uicos pulcherrimos, nihilo hinc longius quàm stadia XX. abesse. Nihil uerò mirandum mihi uidebitur, si quemadmodum ignaui canes prætereuntes insectãtur, ac mordent assequuti, persequentes uerò fugiunt, sic hostes abeuntes nos insequantur. Tutissimè nos iter facturos arbitror quadrato agmine, ita quidem ut eius quamlibet partem armati teneant. In medium, turba omnis, ac impedimenta recipiantur. Quòd si nunc etiã statuerimus, quem fronti, quem tergo, quos

quos item utrique laterum præesse oporteat, nihil erit ne cesse tunc demum cùm nos hostes adorti fuerint, imperia diuidere, quin statim instructa acie uti licebit. Ac nunc, uel eius qui rectius sentiat sententiam sequamur, uel Chirisophus principia ducat, quippe qui Lacedæmonius est. In lateribus è nobis duces duo natu maximi imperent. Tergum nos iuuenes regemus, egoipse & Timasion. atq; ita quidem in præsentia. De reliquo uerò cùm experti semel fuerimus hanc ordinis rationẽ, uel eandem tuebimur, uel meliorem inibimus: quam si quis uel nunc uidet, in medium censeo prodeat. Cùm nemo inuentus esset qui contra ea diceret, Cui hæc probantur, Xenophon inquit, manum tollat. Cùm id tum omnes fecissent, Iam uidendum, inquit, est, ut quæ sciuimus, abeuntes re ipsa rata faciamus. Ac primùm quidem qui suos uidere cupit, uirum se strenuũ præbeat: neq; enim aliter quisquam sperare possit se uoti compotem fore. Qui uiuẽdi cupiditate tenetur, is uincere contendat: est enim uictori hostium cædes, uicto mors proposita. Qui postremò pecuniam concupiscit, in uictoriæ studium incumbat: quòd si uicerit, & sua tueri, & quæ in hostium sunt potestate, sibi uendicare facilè potest. Quæ cùm dixisset ille, surrexerũt cuncti, ac iter iam ingressuri, primùm plaustra & tabernacula omnia incendere. Deinde uerò quæ uasa cuiq; superuacanea fuerunt, ea indigentibus concesserunt, in ignem reliqua coniecere. Tum ad prandium conuersi. Ac dum cibum caperent, superuenit Mithridates cum equitibus ad XXX. uocatisq; ad colloquium ducibus, in hunc modum loquutus est: Ego, uiri Græci, Cyro, ut scitis, fidem, usquedum ille uixit, meam præstiti: ac nunc optimo erga uos animo sum: & Mithridates ad Græcos,

quoniam in his locis non possum non magnopere de salute mea solicitus esse, uos ego si intelligam salutare aliquod consilium inire, me uobis adiungam socium, & quamprimum cum toto comitatu meo ad uos redibo. Mecum igitur quod in animo habetis, libenter ut cum amico, ac uestri cupidissimo homine, atque adeo cum eo qui uobiscum unà proficisci uelit, communicate. Ad hæc duces cùm inter se consultassent, ita respondendum putarunt, ac pro omnibus quidem Chirisophus: Nos, inquit, si liceat, per has regiones quampacatissimè domum contendere in animo habemus: sin quis aduersari uoluerit, cum eo omni ope nostra bellare. Tum Mithridates docere conabatur, nullam inuito rege salutis existere spem posse. Ex quo satis intelligi potuit, nihil esse quòd ei fides haberetur, præsertim cùm uenisset cum eo unà de Tissaphernis familiaribus unus, quasi eius orationis arbiter. Quare ducibus uisum est, nihil statui melius posse, quàm si quantisper in hostili terra essent, tacitum, ac minimè indictum bellum gererent. Corrumpebant enim adeundo milites: & quidem ex centurionibus unum corruperunt Nicarchum Arcadem, qui deinde noctu defecit cum hominibus circiter uiginti. Post hæc corporibus curatis, Zaten amnem traiecerunt, instructo quidem agmine, impedimentisq; omnibus, ac inermi turba in medium recepta. Non longè processerant, cùm Mithridates cum globo equitum CC. iaculatorum ac funditorũ maximè agilium atq; expeditorum circiter CCCC. obuiam uenit, ac propius quidem quasi amicus uenisset, accessit. Equites uerò ac pedites sagittis, plumbeis glandibus funditores, Græcos lacessere cœperunt: ex quibus qui in extremo erant agmine, impunè feriebantur,

tur, cùm hosti ipsi nihil nocere possent. Cretenses enim sagittarij, & minus longè quàm Persæ mittebant, & cùm ipsi leuissimè armati essent, grauis armaturæ ordinibus stipabantur: at iaculatores missilibus ne funditores quidem assequi poterãt. Hîc Xenophon cum peltatis & graui armatura, quæ erat in extremo agmine, cui ipse imperabat, hostem insequi statuit. Sedenim neminem omnino cõsequebantur, quippe qui equitatum nullum haberent: pedites uerò intra tam breue spaciũ medij campi, fugientem peditem adipisci non poterant: neq; omnino expediebat à reliquo agmine tam longè discedere. At Barbari equites in ipsa fuga à tergo sagittas mittentes nostros uulnerabãt: quos, quantũ hostem urgẽtes processissent, tantũdem dimicando retrocedere oportebat: quare toto eo die nihil amplius quàm stadia XXV. promouerunt, ac sub ipsum crepusculum in proximos uicos peruenere. Ibi pristina homines solicitudo inuasit. Chirisophus quidem, & ex toto ducum numero natu grandiores Xenophontem incusabant, quòd ab acie nimis longè, suo cum maximo periculo, ac nullo hostium detrimento, persequendi causa excurrisset. Hæc Xenophon cùm audiret, iurè eos queri fatebatur, neq; inficiabatur quicquam. Sedenim, inquit, necessitas ipsa me ut insequerer impulit, quòd uidebam grauiter nos dum cõsisteremus lædi, cùm interea nihil ipsi hosti nocere possemus. At postquã insequuti sumus, ita sanè accidit ut dicitis: hostibus nihil plus quàm antè nocuimus, & ipsi uix, & magno cum periculo pedẽ retulimus. Sed gratia scilicet dijs est habẽda, quòd parua omnino cũ manu periclitati sumus, atq; ex leui admodum iactura quid nobis in posterũ opus sit, planissimè cognouimus. Etenim

hostes & sagittas, & è fundis glandes longius multò mittunt, quàm ut cum illis aut Cretenses sagittarij, aut ferentarij nostri conferri possint. Cumq; illos insequimur, nobis non conducit longius à reliquo agmine progredi: modico uerò spacio, nõ possit utiq; pedes, quamuis uelox, peditem assequi, intra teli iactum. Quòd si hostis impetum retardatum uolumus, ne quid nobis in posterum detrimenti inferri possit, funditoribus nobis atq; equitibus opus esse censeo. Atque in castris quidem nostris Rhodios esse audio, quorũ multi funda scienter utantur, ac duplo longius quàm Persici funditores mittant. Nam cùm illi grauiores intorqueant lapides, non possunt utique longum spacium assequi: at Rhodij plumbeis glandibus uti didicerunt. Eos igitur qui fundas habent si conquisierimus, ac pro illis argentum dederimus, ac alijs item certa mercede faciundas locauerimus, ac ijs qui in funditorũ ordinem recepti fuerint, ab alijs muneribus uacationẽ dederimus, inueniemus fortasse qui certam rebus nostris opem afferant. Ad hæc, uideo in castris aliquot equos esse, quorum partim penes me sunt, partim uerò à Clearcho relicti: nõnulli item sunt bello capti, quibus ad impedimenta uehenda utimur. Horum itaq; si maximè idoneos ad usum atq; apparatũ equestrem delegerimus, aliosq; pro his clitellarios substituerimus, cum his opinor fugientes hostes aliquanto certè facilius ulciscemur. Probata est omnibus hæc sentẽtia. Eadem itaq; nocte funditores ad CC. conscripti sunt. Postero uerò die equi, equitesq; circiter L. delecti, quibus loricæ datæ, & equester ornatus. Magister equitum creatus Lycius Athenienſis, Polystrati filius. Eum diem Græci in quo substiterant loco manserunt. Postridie prima luce castra mouerunt:

uerunt: erat enim eo die torrens transmittendus, ad quem ne se hostes inuaderent, metuebant. Cùm autem traiecissent, ostendit se Mithridates cum equitibus mille, sagittarijs ac funditoribus ad quater mille, quos à Tissapherne acceperat, pollicitus ea se manu Græcos omnes ei in potestatem traditurum: erat enim superioris diei euentu elatus, quòd cùm paucos duxisset, neminem ipse desiderasset: Græcos uerò se arbitraretur grauiter multasse. Cùm igitur iam Græci octo circiter stadia longè à torrente progressi essent, Mithridates suis cum copijs traiecit. Hîc pel tatis denunciatum est, multisq; item è graui armatura atque equitatu, hostem ut alacriter adorirentur: paulò enim pòst maiores copias subsidio uenturas. Iam propè Mithridates accesserat, fundisq; ac missilibus Græci lacessebantur, cùm ad primum tubæ cantum hi quibus imperatum fuerat, in hostes cum cursu impetum fecerunt, & equites in primis se in aduersos effudere: quorum cùm illi impetũ non sustinuissent, fugientes, nostri insequuti sunt, atque ad ipsum torrentem multi de Barbarorum peditibus, multi item in medio alueo ex equitibus perierunt: uiui ad decem & octo capti sunt: cæsos milites nostri, cùm id tamen duces non imperassent, fœdè lacerarunt, ut hostes rei spectaculo terrerentur. atque illi quidem re ita gesta discesserunt. At Græci, quod eius diei reliquum fuit, tutò progressi, ad Pigretem amnem peruenerunt: quo in loco urbs fuit magna, sed deserta, Larissa nomine: quam prisci temporibus Medi tenuerunt. Muri eius latitudine fuerunt pedum XXV. altitudine C. ambitu octo millium passuum, ac toti coctilibus laterculis extructi. Lapidea tantùm crepido XX. pedum à fundamentis eminebat.

Hanc urbem Persarum rex, cùm Medos Persæ imperio spoliarent, diu obsessam, non antè capere potuit, quàm solem densa nubes obscurasset, & oppidani animis cõcidissent. Ante ipsam urbem pyramis lapidea surgebat, lata paß. XX. alta XL. Huc ex proximis regionibus Barbari multi profugerant. Hinc profecti primis castris M. paß. XXIIII. confectis, ad muros peruenere, magnos quidem, sed neglectos, qui ante urbem stabant, cui Mespila nomen fuit. & hanc Medi olim habitarũt. Eius murus crepidine nitebatur lapidea, excisis in muricũ modum lapidibus, latitudine pedum L. ac totidẽ altitudine: reliqua muri superficies lateritia erat, pedum lata L. alta C. ambitus erat M. paß. XXIIII. Huc Mediã regis uxorẽ confugisse ferebãt, quo tẽpore Medi imperiũ amisere. Eam olim urbem Persarũ rex cùm neq; obsidionis diuturnitate, neq; ui expugnare potuisset, obstupefactos postremò crebris tonitrib. à Ioue oppidanos dicitur oppreßisse. Hinc profecti cùm M. paß. XVI. proceßissent, ad castra prima Tissaphernes in cõspectum uenit cum equitatu suo, atq; Orontæ regis generi copijs, cum ijs item Barbaris qui Cyrũ sequuti fuerant, atq; ijs etiam quos secũ regis frater in eius auxilium adduxerat, quosq; rex Tissapherni ipsi attribuerat: quæ copiæ uniuersæ planè magni agminis speciem habuerũt. Atq; is cùm propius acceßisset, alias quidem cohortes in subsidijs locauit, alias uerò de transuerso immissurus uidebatur: neq; tamen impreßionẽ facere, aut suos pugnæ periculo cõmittere ausus est. Funditoribus tantũ & ferentarijs, nostros ut lacesserent, imperauit. Verùm ubi Rhodij per ordines diuisi, è fundis lapides, ac Scythici sagittarij sagittas mittere cœperunt, multi paßim ex Barbaris uulnera-

nerabantur, à quibus aberrare nostri, ne si uoluissent quidem, facilè poterãt. Quare Tissaphernes extra telorũ iactum cõcessit, ac reliqui item ordines retrocesserunt. Reliquũ igitur eius diei nostri progrediebãtur, à tergo illi ex interuallo sequebãtur, neq; pristinã tamen iaculationem repetere ausi sunt: longius enim quàm Persæ, Rhodij funditores mittebãt, ac lõgius etiã quàm possent è sagittarijs plurimi. Erant præterea Persici arcus maiores nostris, quare usui fuerunt quæ nostri legebant missilia, & ea sanè discebãt è superiore loco longissimè iaculari. In proximis uerò uicis, & neruos, & plumbũ ad fundarũ usum repererunt. Atq; ita eo die cùm Græci ad uicos peruenissent, castraq; fecissent, Barbari ex leui illa iaculatione inferiores discessere. Postero die eodem in loco frumentãdi causa commorati sunt: erat enim illis in uicis magna frumenti copia. Postridie iter cõtinuarunt, et Tissaphernes eminus lacessens insequebatur. Ibi animaduersum est, hostib. insequentibus nequaquã utile esse quadratũ agmen laterib. æqualibus, propterea, quòd si se aliquando agminis cornua contraxissent (quod fieri necesse est, ubi uel uiarũ angustiæ, uel montiũ anfractus, uel postremò pontiũ transitus cogerent) grauis armatura aut arctius constipata ægrè procederet, aut turbatis ordinib. laxata, nihil posset in pugnãdo proficere. Rursus uerò cùm cornua discederẽt, in diuersa irent qui antè cohæserãt: atq; inter cornua area uacua relicta, quod quibus accideret, abissent, urgẽtibus hostib. animis deficerẽt: quo plerunq; fiebat, ut cũ uel pons, uel alia quæuis uiæ difficultas superãda esset, certatim unusquisq; principia occuparet, atque ita ab hostibus agmen facilius oppugnari posset. Quod ubi animaduersum est, duces

ordines sex, singulos uirorum C. instituêre, cisq; suos centuriones præfecere: centurias uerò singulas in semicenturias, ac manipulos descripsere: quibus item subcenturiones & decuriones præesse uoluerunt. Cumq; agmen progrederetur, centuriones, ubi cornua contraherentur, ne urgerent, subsistebant, ac deinde seorsum subsequebantur. Quoties uerò laxari cornua necesse fuisset, ijdē quadrati agminis medium cōplebant, uel centurionibus ipsis, si fortè quæ discessissent partes exiliores essent: uel si pleniores aliquanto, subcenturionibus: si postremò quamminimè attenuatæ essent, decurionibus in uacua succedentibus: quo fiebat, ut medium agmen semper cōfertum esset: ac si quid superandum esset, pónsue quis transmittendus, nihil trepidaretur. Centuriones enim hi, quos antè diximus, seorsum traijciebant: quaq; in parte aciei res postulasset, in eam se immittebant. atque hoc quidem ordine ad quarta castra progressi sunt. Ad quinta uerò cùm accederent, regiam quandam conspexerunt, circumq; eam uicos cōplures, in quam partem uia per æditos colles ducebat. Hi uerò colles monti subiacebant, in cuius ima parte uicus erat: ac Græci per illi quidem libenter colles uiderunt, & meritò, cùm hostes ualerent equitatu. Ibi cùm è campis primum tumulum subissent, atque inde per decliuia ad alterum accederent, Barbari è superiore loco deorsum tela mittere in nostros, fundas torquere, iacula amento uibrare. Multi sanè è nostris uulnerati: quin & expediti milites ita à Barbaris circumuenti atq; intercluſi sunt, ut fundito res & iaculatores in turba oppressi, nulli usui esse potuerint. Nam si Græci malo coacti in hostem se cōuertebant, uix in aduersos cliuos euadere poterāt, quippe qui graui armatu-

armatura tardarẽtur, cùm hostes interea summa agilitate in collis uerticẽ exilirent: sin ad suos properarent, eodem incommodo urgebantur. Idem etiam euenit cùm ad alterum collem transirent. Quare statuerunt Græci, è tertio tumulo non antè agmen mouere, quàm subductos à dextro acici latere cetratos ad uerticem obtinendum misissent. Quod ubi factum est, hostes à nostris superiorem locum occupatum cùm animaduertissent, non sunt ausi amplius discedentes insequi, quòd uerebantur, ne diuisi utrinque circumuenirẽtur. Quod reliquũ igitur eius diei fuit, nostri pars una per colles, altera secundum montes, itermodico interuallo faciẽtes, ad uicos peruenere: ubi medicos octo (multi enim saucij erant) delegere. His in uicis dies tres manserunt, cùm sauciorum causa, tum uerò quòd cõmeatuum bonam copiam nacti sunt, farinæ, uini, ordei, quo largissimè equos explerunt, quæ omnia ex proximis agris, ad exercitũ regis alendum, in unum coacta fuerãt. Quarto uerò die in campos descendêre: ibi eos Tissapher nes assequutus effecit, ut sibi cenſerent, in eo qui primus se obtulisset uico consistendum, neq; ullo pacto in uia pugnandum: erant enim iam quamplurimi ad pugnam inutiles, alij quòd uulnera acceperant, alij quòd saucios deportarent, alij postremò quòd eorũ à quibus illi deportarentur, armis onerati essent. Ac uix Græci castra posuerant, cùm Barbari propius ad uicũ accedentes, missilia mittere cœperunt: sed facilè eos Græci repulerunt. Multò enim iam è castris mouentes, hostes facilius coërcebant, quàm antè in ipso itinere eorundem excursiones reprimere potuerant. Cùm itaq; iam adueſperasceret, hostes pedem retulerunt: neque enim propius quàm stad. LX. ad nostros

castra locabant, quòd scilicet nocturnum nostrorũ impetum metuebant. Nam Persarum copiæ minimè ad nocturnas pugnas idoneæ sunt: equos enim uinciũt, ac sæpe etiã pedicis impediũt, ne fortè ruptis capistris effugiãt, si quis tumultus extiterit. Quare & equum insternere, & frenare, & cùm loricam induerit insscendere, Persæ homini necesse est: quæ omnia per noctem, præsertim cùm trepidatur, difficilimè fieri consueuerũt: quæ res efficiebat, ut procul à Græcis castra haberent. At Græci ubi eos animaduerterunt agmen discedendi causa coëgisse, ad arma cõclamarunt: tum Barbari (facilè enim omnia audiebant) pauxillũ substiterunt: nocte uerò iam imminente retrocesserunt, quòd sibi intelligebãt minimè expedire, noctu uel iter facere, uel castra ponere. Eos uerò Græci postraquã manifestò discedentes uiderũt, & ipsi castra mouere, stadiaq; circiter LX. progressi sunt: ac tantũ inter utrunq; exercitum spacij relictum est, ut neq; postero die, neq; omnino tertio, hostes in conspectũ uenerint. Quarto demũ noctu ad nostros propius accesserunt, ac montis iugũ arduũ occuparunt, quà Græci erant iter facturi. Ex eo in cãpos descensus erat. Vbi iugum id occupatũ Chirisophus animaduertit, Xenophontem ab extremo agmine euocat, eumq; iubet cum peltatis ad principia transire. At is peltatos loco nõ mouit, cùm iam uniuersum Tissaphernis exercitũ conspiceret: ipse tantũ citato equo accurrit: tum, quid, inquit, me uocas? Vti uides, respondit ille, uertex qui supra uiam ipsam eminet, quà nobis discedendum est, ab hostibus obtinetur: quos nisi cæciderimus, nulla est euadendi ratio. Sed cur peltatos nõ adduxisset quærenti Chirisopho: quoniã, inquit ille, nequaquã tam propinquis hostibus putaui nuda agmi-

da agminis terga relinquẽda. Atqui, inquit Chirisophus, uidendum est ut eos ex eo uertice deijciamus. Ibi Xenophon cùm iugum animaduertisset ijs, quas ipse ducebat, co pijs imminere, atq; ex eo tramitẽ, per quem ad uerticem eum aditus patebat, in quo hostes consiterãt: Optimũ, inquit, Chirisophe fuerit, si quamcelerrimè ad eum tumulũ contendamus: quem si occupauerimus, hostes nullo pacto poterunt supra uiam, eodem quo nunc loco sunt permanere: quare aut cum exercitu ipse maneto, quantissper ego in montem euado: aut si tu mauis ad montem contendere, hìc ego cum exercitu manebo. Quin ego tibi, inquit ille, potestatẽ fácio, utrum malis deligendi. Tum Xenophon: Iunior, inquit, ego sum: ac ita proficiscendi sibi partes deposcit: sedenim postulat ex principijs, quòd longum esse putabat ab extremo agmine milites euocare, sibi cohortem unam dari. Chirisophus ei ex ipsa fronte peltatos tribuit, atque adeo de medio quadrati agminis exemptos: ad hos CCC. sequi iubet lectissimos uiros de suorũ numero, qui ipsa agminis principia obtinebant: atq; hi quidẽ omnes iter strenuè ingressi sunt. Quos ubi ad montem rectà contendere hostes animaduertêre, & ipsi certatim eôdem cursum direxerunt. Hìc clamorem Græci, item qui cum Tissapherne erant, dum suos utrique cohortantur, ingentem sustulerunt. Xenophon equo præteruehens, his uerbis suos incendebat: Nunc uiri fortissimi, uobis de reditu in Græciam, ad liberos, cõiugesq; uestras, certamẽ propositum esse existimate. Nunc si paululũ hoc laboris exhauserimus, reliquũ iter sine pugna conficiemus. Tum Soteridas Sicyonius: Atenim, inquit, Xenophon non satis æqua conditione res geritur: tu equo ueheris, ego grauiter

ſcutum ferens laboro. Id cùm ille audiſſet, ſtatim ex equo deſilijt, hominem de loco deturbat, ipſe eius ſcuto abrepto quàm potuit celerrimè promouet. Erat fortè equeſtri lorica indutus, qua etſi premebatur, nihilo tamẽ ſegnius & præcedentes incitabat & ſequentes, illos quidem in aſcendendo laborantes confirmabat. At milites Soteridam cædunt, obiurgãt, cogunt poſtremò, ſcuto recepto unà cum cæteris pergere. Xenophon equum aſcendit: eo uſus eſt quantum per loci cõditionem licuit. Cùm ad difficiliorem aditu montis partem uentum eſſet, & ipſe pedibus equo relicto ſubijt. Priores tandem Græci montis faſtigium occupant. Tunc Barbari terga uertẽtes, quô quiſq; maximè potuit, effugerunt: Græci faſtigium tenuerunt. Tiſſapher nis atq; Ariæi copiæ ad aliam ſe uiam, priore relicta, conuerterunt. Tum Chiriſophus, quiq; cum eo erant, in campos deſcenderunt, & caſtra in pago quodam locarunt, omnibus copijs refertiſſimo. Sed erãt alij item in his campis pagi ad Pigretẽ amnem, omni cõmeatuum genere copioſiſſimi. Iam adueſperaſcebat, cùm repentè hoſtes ſe obtulerunt, ac de Græcorum numero nõnullos occidêre, ut fortè illi diuerſi ad prædam diſcurrerant: nacti enim fuerant pecoris greges, qui cùm amnem tranaſſent, iam erant in citeriore ripa intercluſi. Poſt hæc Tiſſaphernes cũ ſuis copijs pagos exurere aggreſſus eſt: quæ res Græcorũ animos uehementer debilitauit: non poterant enim non magnopere uereri, ne commeatibus incenſis, non haberent unde alios ſumerent. Iam Chiriſophi milites è præſidijs diſcedebant, cũ Xenophon ad ſingulos ordines in equo accedens: Videtis iam, inquit, uti nobis agris concedere ſe Barbari confitentur? cùm enim ne nos uicos regios exurere-

remus,

remus, fœdus nobiscũ ferientes cauissent, eos iam ipsi tanquam alienos ultrò incendunt. Nunc per ea ipsa loca nos iter facientes uidebunt, in quibus sibijpsis commeatus reliquerint. Interea Chirisophe (ad illum conuersus) censeo, inquit, hos agros tanquã nostros ab iniuria uindicandos. Minimè, respondit ille: quin & nos itidẽ uramus: sic enim illi celerius desistent. Iam uerò cùm se intra castra recepissent, alij ad commeatus animum adiecerunt. At duces centurionesq; in unum cõuenere, ut consilium de itinere caperent. Erat enim res difficultatis plenissima, cùm hinc arduis montibus, illinc tam profundo flumine cohiberentur, ut ne hastæ quidem quibus uada tentabant, immersæ quicquam eminerent. In hac cunctatione Rhodius quidã ad duces ueniens: Ego, inquit, si mihi quæ opus fuerint, parata tradideritis, ac pro mercede talentum unum, quaterna millia simul grauis armaturæ peditũ traijciam. Rogatus autem quid opus esset, utrium respondit ille duo bus millibus: esse autem in conspectu uideo quamplurimas oues, capras, boues, asinos, quibus coria detracta & inflata, facilem traiectionem præstare possent. Loris deinde opus, inquit, est ad connectendos, ut aptè cohæreãt inter se utres, qualia ea sunt, quibus ad iungenda iumẽta utimini. His ego iungam utres inter sese compositos singulos, suspensis inde lapidibus, & ancorarũ ritu demissis. Deinde ijs in aquam actis, terram & sarmenta superinijciã. Illud quidem nequaquam intellectu difficile est, qui ita traiecerint, mergi minimè posse: siquidem binos singuli utres facilè subleuant: quò minus uerò labantur, terra eos ac sarmenta continebunt. Enimuero id ducibus consilium elegans uisum est: sed quî res effici posset, nõ uidebant, cùm

Pontiũ ex utribus faciendorũ ratio.

trans amnem multi essent hostiũ equites, qui facilè ijs, qui primi opus aggrederentur, impedimento futuri essent. Quare cùm hanc cogitationem missam fecissent, postero die quasi Babylonem uersus ad integros uicos profecturi, retrocesserunt, incenso loco unde profecti sunt. quod cùm hostes uiderent, iam nihil ut anteuerterent laborabant. Illud magis mirabantur, quô se Græci recepturi essent, aut quid omnino in animo haberent. Interea cùm milites in cibarijs conquirendis occupati essent, duces ac centuriones rursus conuenere, ac omnibus captiuis in medium adductis, quæstione habita, ex illis planissimè cognouerunt, quorum locorum finibus cingerentur. Indicarunt enim illi, à meridie Babylonem esse, & Mediam, quà antè uenissent: ab ortu Susa & Ecbatana, quibus in urbibus uer & æstatem agere rex solitus esset. Quòd si trans amnem se ad occasum conuertissent, in Lydiam & Ioniam peruenturos. At montanam uiam, quæ ad septentrionem esset, ad Carduchos perducere: hos ferocem in bello esse gentem, quæ mõtes incoleret, ac ne regi quidem ipsi paréret. Regias enim copias in ea loca aliquando irrupisse: ex centum autem & uiginti millibus hominum neminem omnino rediisse, quòd ex locorũ difficultatibus euadere non potuissent: si quando tamen fœdus illis cum eo satrapa esset, qui campestrem regionem obtineret, liberos esse utrisque ad alteros aditus. Quæ cùm duces audissent, eos ipsos à quibus regionum situs cognouerant, diuersos locarunt, ne que omnino quô iter haberent, indicarunt. Ipsi inter se statuerunt, necesse fore per montes in Carduchos ducere, quòd illinc in Armeniam, cui tunc Orontes præerat, amplam & fertilem regionem, descensuri essent: ex qua nihil prohi-

prohibiturum uidebatur, quo minus in quam uellent terrarum partem se conferrent. Id cùm decreuissent, ac dijs sacra fecissent, ne quid esset in mora, cùm iter capessendum esset (uerebantur enim ne montes ab hostibus occuparentur) militibus imperant, corporibus curatis, ac uasis collectis, conquiescant, ac deinde cùm signum datum fuerit, sequantur.

XENOPHONTIS DE CYRI MINORIS EXPEDITIONE LIBER quartus, Romulo Amasæo interprete.

QVAE à Græcis in superiorẽ Asiæ partem progredientibus, usq; ad prælij cõmissionem gesta sunt: quæ item post prælium, fœdere cũ rege percusso, atq; eodem ab ipso rege ac Tissapherne uiolato acciderint: ac quemadmodũ Græci insequẽte Persarum exercitu, assiduo bello urgerentur, superioribus commentarijs expositum est. Postea uerò quàm ad Pigretem amnem uentũ est, quia is ea in parte propter magnitudinem atq; altitudinem traijci non poterat, cùm flumini Carduchij montes, ardui illi quidem ac prærupti imminerent, eos (neq; enim alia occurrebat euadendi ratio) milites sibi superandos censuerunt. A captiuis enim acceperant, hos ubi superassent, se ad Pigretis ipsius fontem, qui in Armenia est, uenturos: à quo non longè Euphratis etiam fons abesset: eum fontem, quòd angustissimus esset, aut transmissuros, id si mallent, aut si uisum aliter esset, circumituros. Ad hunc uerò modum in Carduchos mouerunt. Cùm

illud in primis curæ esset, ut quamoccultissimè proficiscerentur, atq; ut in montium iuga prius quàm ea ab hostibus occuparentur, euaderent: ad postremã uigiliam, cum adhuc tantum tenebrarum superesset, ut per campos iter facientes cerni non possent uniuersi, ubi denunciatum est, iter ingressi, prima luce ad montem peruenerũt. Chirisophus agmen ducebat cum suis cohortibus, atq; omnibus expeditis militibus. Consequebatur Xenophon cum grauis armaturæ caterua, in qua ne unus quidem erat de expeditorum numero. Neq; enim periculum ullum esse uidebatur, ne quis dum illi in aduersos cliuos subirent, ex inferiore loco à tergo impetũ faceret. Ac Chirisophus prius quàm id quisquam hostium præsensisset, iam montiũ iuga occuparat: inde porrò promouebat: sequebatur exercitus frons: iamq; in pagos, qui passim inter montiũ anfractus, atq; in ipsis recessibus erant, descendebant. At Carduchi domibus relictis, cum coniugibus ac liberis in montes confugerant. Hic Græci præclaram commeatuũ copiam repererunt: erant præterea domus ipsæ æneis uasis egregiè instructæ, quæ illi non attigerunt: neq; homines etiam ipsos persequuti sunt, quòd illis parcendũ putarunt, dum experirentur, passurine essent se (cum & ipsi regis hostes esse perhiberentur) tanquam per pacatam regionem iter facere. Cibaria tantùm quo quisq; loco nactus esset, sumebat: hoc etenim ipsa necessitas cogebat. At illi neq; uocati præstò fuerunt, neq; ullam amicitiæ significationem dederunt. Quin cùm extrema agminis pars, iam primis se intendentibus tenebris in pagos descenderet (erat enim totus dies propter itineris angustiã in montibus superandis eorundemq; descensu consumptus) globo facto extremos adorti,

adorti, ex ipsis aliquot occiderunt, aliquot lapidibus ac missilibus uulnerarunt. Atq; hi quidē pauci fuerunt, quippe quibus Græcorū aduētus accidisset ex improuiso: quòd si maior multitudo concurrisset, nihil propius futurum fuit, quàm ut maxima exercitus pars deleretur. Tunc Græcis in illis, quos antè diximus, pagis pernoctantibus, Carduchi circūquaq; per montes ignibus accensis mutuò se prospectantes, omnes aditus custodiebant. Vbi illuxit, cùm duces ac centuriones in unum consultandi causa conuenissent: relatū est optimū factu fore, si iumentis maximè necessarijs conseruatis, quàm possent celerrimè iter facerent: reliqua uerò relinquerēt, ac cum his eos quos paulò antè ceperant homines missos facerent: quandoquidē et iumenta ipsa, & mancipia, itineri morā afferebant, præsertim cum multi qui in his custodiendis occupati erant, parum essent in pugna utiles: ac præterea duplo plus cō meatuum cōparare, & quocunq; irent, cōportare cogerentur. Id cū omnibus placuisset, ita ut fieret, decretū est. Quare cū iam pransi iter ingrederentur, duces angustias, quà uniuersi exituri erāt, obsederūt: ac quod apud quenque, ex ijs quæ antè diximus, reperissent, id nisi sponte à dominis dimissum esset, eripiebāt: paruerūt tamē omnes, præter paucos, qui elegantē quempiā puerū, aut formosam mulierculā, amori suo obsequētes, furtim retinuerūt: ac tunc modò pugnantes, sæpe etiā à pugna interquiescentes, iter fecerunt. Postero uerò die, etsi pluuia uehemēter inualuerat, commeatuum tamen tenuitate, castra mouere coacti sunt. Erat agminis dux Chirisophus, tergo imperabat Xenophon. Hostes acriter urgebāt, nempe qui angustijs freti, propius etiam accedentes de superiore loco no-

stros missilibus ac fundis uulnerarent. Ea res Græcos cogebat ut se aliquando in hostes conuerterent, ac deinde ijs repulsis restitando iter facerent. Quam ob rem frequenter, cùm illi urgerẽt, significabat Xenophon, ut qui anteibant, subsisterent. At Chirisophus, qui aliàs quoties significatum esset, subsistere cõsueuerat, tunc, quantũ poterat, accelerabat, & alijs ut quamcelerrimè sequerentur imperabat. Ex quo conijci poterat, non temerè eum festinare: sed non uacabat ad eum propius accedere, & festinationis causam cognoscere: quare iter fuit ijs, qui in extremo agmine fuerunt, fugæ simillimum. In qua trepidatione, uir egregius Cleonymus Spartanus, transfossso per parmam & loricam latere occubuit: cumq; eo unà Pasias Arcas, transfixo capite. Quare ubi primum congrediendi copia facta est, antequàm uspiam consisteret Xenophon, eodem quo erat ornatu ad Chirisophum ueniens, cum eo expostulat, quòd non expectasset, ac se inter pugnam fugere coëgisset. Amisimus enim, inquit, duos, eos quidem optimos, ac summa uirtute homines, quos neque tollere, nec sepulturæ mandare licuit. Ad hæc Chirisophus: Montes, inquit, intuere: uiden' quàm sint ardui ac prærupti, ac per eos unicus hic trames quàm angustus? atque is quanta hominum multitudine circunsedeatur? quæ nempe saucces eas, per quas euadere nos oportet, obsessas tenet. Idcirco, inquit, non restiti, quòd maturandum esse putaui, antequàm illi de superiore loco uerticibus occupatis, exitu nos prohibere possent. Neque uerò duces nostri aliam nobis uiam indicant. Atqui, inquit Xenophon, ego etiam duos in potestate habeo. Nam cùm hostes negocium facessserent, in insidijs subsedimus: quæ res etiam nobis respiran-

randi facultatem dedit. Ibi ex illis cùm nõnullos occidissemus, unum & alterum operam dedimus ut uiuos caperemus; quò scilicet peritis locorum ducibus uteremur. Atque hîc cùm ambo illi in quæstionem producti fuissent, ac seorsum rogarentur, uiam ecquam nossent aliam quàm eam peruulgatam: eorum quidem alter, cùm nullis minis cogi potuisset, ut quicquam diceret quod Græcis cognoscere expediret, in alterius conspectu iugulatus est. Tum superstes alter, illum affirmauit propterea Græcis se negasse aliã uiam nosse, quòd filiæ timuisset, quæ in ipsa uia apud uirum esset: at se per eam uiam ducturum, quà iumenta etiam transire possent. Cùm uerò ex eodem quæreretur, ecquæ essent locorum difficultates: unicum respondit esse iugum, quod nisi occuparetur, euadendi nulla uiri ratio posset. Id ubi duces audierunt, centuriones ac peltatos, bonam etiam grauis armaturæ partem accersendam censuerunt: ac re cum his cõmunicata, quærendum, nunquis esset, qui uirtutis documentum dare uellet, suscepto in eum locum proficiscendi negocio. Quo facto, eam sibi prouinciam Aristonymus Methydrienſis Arcas, & Agasias Stymphalius ex eadem Arcadia, depoposcerunt. Sed fuit in primis inter Callimachum Parrhasium, & Agasiam Stymphalium non parua contentio. Agasias se cum ijs, qui è toto exercitu ultrò se offerrent, profectu rum dixit: Persuasum enim mihi, inquit, satis habeo, meũ ductum bonam iuuentutis partem sequuturam. Quæsierunt præterea duces, nunquis è numero expeditorum, aut militarium tribunorum proficisci uellet. Ibi Aristarchus se obtulit, qui ad eam rem multũ exercitui profuit. Iam primæ se tenebræ intendebant, cũ milites raptim

sumpto cibo, iter ingredi iussi sunt: ducem itineris uinctũ ijs duces tardiderunt. Ita autem res composita est, ut nocte si iugum occupassent, locũ ne relinquerẽt: manè tuba signum darent, ac deinde è superiori loco inuaderent eos, qui tritum illum exitum obsiderent: duces cum reliquo agmine quàm possent celerrimè euaderent. His ita constitutis, profecti illi sunt, ac per maximos quidem imbres: numerus is fuit hominum bis mille. Xenophon tergum agminis ad notum exitum deducebat, eo sanè consilio, ut cùm hostes eam unam uiam obseruarent, ad eos non attenderent qui per montes iter facerent. Verùm cũ ad alueum quendam uentũ esset, quo superato milites oportebat per aduersum cliuum euadere, hostes in eos globosa, & maiora ac minora saxa, quàm quæ plaustris conuehi possent, deuoluere cœperunt: quæ petris illisa, tanquam è fundis missa, cum impetu dissiliebant. Quæ res cũ uiam infestissimam reddidisset, ex centurionibus nonnulli priori uia relicta, alia euadere aggressi sunt. Vbi uerò per noctis tenebras eos qui profecti fuerant, iam non posse amplius conspici arbitrati sunt, ad corpora curanda se milites conuerterunt: erant etenim in extrema agminis parte omnes adhuc impransi. At hostes tota nocte nullum lapides deuoluendi, quod fragor ipse nostris indicabat, finem fecerunt. Interea montanæ illæ cohortes ducem suum sequutæ, milites ex hostium præsidio ad ignem sedentes offenderunt: quorũ parte una cæsa, altera pulsa, locoq; occupato, primum illum tenere cogitarunt: deinde cùm uerrucam iugo imminentẽ animaduertissent, atq; ad eam angustum tramitem, in quo hostium præsidiũ constiterat, unde erat ad eos qui tritam uiam obsederant, aditus, ad eam ipsam uerrucam

rucam transierãt. Cumq; noctem eo in loco peregissent, ubi illuxit, cum silentio directa acie in hostes contenderunt: tam densa autem circunfusa est nebula, ut quam proximè accesserint, prius quàm illi quicquam senserint. Hìc cùm utrinq; iam se conspicerent, tubæ cecinerunt: deinde cum clamore et plausu Græci barbaros adorti sunt. At illi impetum non sustinuerunt, sed præsidio deserto fugam statim fecerunt: pauci cæsi sunt, quòd cùm expediti essent, è periculo se eripuerunt. Tum qui Chirisophum sequebantur, tubæ cantu audito, ad tritam uiam accurrerunt. Duces alij per tramites, ut quis cuiq; proximus erat, contendebant: ac qui superiorem iam locum summo negocio tenuerant, hastis inferiores alleuabant. Atq; hi primi se cum his coniunxerunt, qui iugi illum uerticem occuparant. Xenophon cum dimidia extremi agminis parte, eôdem quô cæteri qui ducem habebant, progrediebatur: erat enim ea iumentis multò æquior uia: dimidia altera, ut impedimenta sequerentur, imperarat. Cùm aliquantulum processissent, ad uerticem quendam peruenere, quem hostes occuparant: eos nisi cæcidissent, necesse fuisset disiungi à cæteris Græcis. Et hominibus quidem uia patebat illa, quà cæteri iter faciebant: sed eâdem iumenta nullo potuissent pacto euadere. Ibi mutuis adhortationibus incitati, ad uerticem contendunt, non in orbem explicatis, sed aduersis directisq; ordinibus, ne scilicet uia utrinque hostibus intercluderetur, si in fugam se illi uertissent. Enimuero cùm Græcos uidissent Barbari ascendentes, neq; sagittam quisquam direxit, neque aliud teli genus in eos misit, sed repentè, quà quisque potuit, deserto præsidio effuderunt: quare ex hoc etiam loco incolumes

Græci euaſerunt. Ac cùm alterum à fronte conſpexiſſent iugum itidem ab hoſtibus occupatum, ſine ulla cunctatione eò contendendum putarunt. Atenim Xenophon cùm uereretur, ne ſi quem uerticem iam occuparant, deſeruiſſent, illum hoſtes reciperent, atque ex eo iumenta tranſeuntia adorirentur, quæ nimirum ut in anguſta uia, in longiorem ſeriem ſe explicuerant: eo in ipſo uertice centuriones duos, Cephiſodorum Cephiſophontis filiũ Athenienſem, & Archagorã Argiuum exulem, cum præſidio reliquit: ipſe unà cum cæteris ad alterum iugum acceßit, atq; id pari celeritate ceperũt. Reſtabat tertia adhuc uerruca longè arduißima, imminẽs ei loco, de quo deiecti fuerant, qui ſuperiore nocte ad ignem, ab ijs qui ſibi ultrò negocium popoſcerãt, deprehenſi fuerant. Hìc Græci pari ſunt uſi fortuna: nam Barbari ſine ullo certamine, ſimulac Græci appropinquare cœperunt, ſtatim deſerta uerruca diffugerunt. Quæ res cunctis admirationi fuit: etſi nõ fuit difficilè ſuſpicari, ueritos illos ne undiq; à noſtris circũuenti obſiderentur, fugæ tempus occupaſſe. Quare cùm intuerentur quæ à tergo gerebantur, hi qui in ſummo iugo conſederant, ſtatim omnes ad eos qui erant in ſubſidijs, ſe applicuerũt. Xenophon autem cum iuniorib. in iugũ aſcendit, alios pedetentim uſque eò conſequi iußit, quoad extremi centuriones ſe cum cæteris coniunxiſſent. In ipſa deinde uia, æquo loco, ut arma ponerent, imperauit. Interea Archagoras uenit, ex hoſtium manibus elapſus: is noſtris nunciauit, deturbatos eos eſſe, qui primũ tumulum occuparant: Cephiſodorum & Amphricatem occiſos, cumq; ijs reliquos omnes, præter eos, qui cùm è ſaxo quodã ſaltu ſe deieciſſent, ſubſidia fuerãt aſſequuti. Re igitur ita geſta,

Barbari

Barbari in eum collem aſcenderũt, qui uerrucæ ex aduerſo erat. Cum ijs Xenophon per interpretem de conditionibus agere cœpit, ac ſuorum corpora repetijt, quæ illi ſe reddituros ſpoponderũt, ſi tutos ab incendio pagos præſtitiſſet. Id ſe præſiturum Xenophon affirmauit. Interea uerò dum cæteræ copiæ prætereũt, ac de conditionib. agitur, eo ipſo in loco hoſtes conſiterunt, quem Græci omnes dilapſi uacuum reliquerant: ac dum noſtri è uerruca deſcendunt, in eum locũ in quo paulò antè Xenophontis cohors arma poſuerat, Barbari cum clamore conferti impetum fecere: ac uerrucæ eius, è qua deſcenderat Xenophon, uertice occupato, ſaxa deuoluere cœperũt: his uni de noſtris crus fractũ eſt. Et Xenophontẽ quidem is, qui ſcutum ei præferebat, deſeruit: in eius uerò locum Eurylochus Luſienſis Arcas accurrit, & proiecto clypeo utrũq; protexit, in ſuum deinde locũ pedem retulit. Alij item ſe intra ſuos quiſq; ordines receperunt: cunctus deinde exercitus eodem in loco caſtra habuit. Ibi enim pagi multi fuerunt ſanè quampulchri, & cùm cæteris copijs abundantiſſimi, tum uino, quod incolæ in gypſatis lacubus conditum habebant. Hic Xenophon & Chiriſophus perfecerunt, reddito eo quo duce uſi fuerant, ut ſibi hoſtes ſuorum corpora redderent. Quibus cùm iuſta, patrio ritu, pro præſenti rerum copia, atq; hominũ ipſorũ dignitate, perſoluiſſent, poſtero die ſine ullo duce caſtra mouerunt. Hoſtes uerò aſſiduè inſequebãtur, ac ubi locorũ anguſtias nacti eſſent, noſtros exitu prohibere conabantur. Noſtris id auxilio fuit, quòd ſi ſe illi principijs oppoſuerant, Xenophon à tergo in montes aſcendebat, deq; ſuperiore loco oppoſitum hoſtium globum diſſipabat: ſin extremos

intercludere conabãtur, à fronte Chirisophus è iugis eodem modo suis opem ferebat: atq; ita alter alterum periculo liberabat, suoq; uicißim officio strenuè uterq; fungebatur. Nonnunquam & ijs qui iam cliuum superassent, dum iam descenderent, Barbari negociũ facessebãt, quippe qui agiles erant, ac cum uel proximè accessissent, facilimè effugere possent: nulla enim his alia arma, quàm arcus & fundæ. Erant hi sagittandi peritißimi: arcubus utebãtur ternûm cubitûm, sagittis nihilo binûm cubitûm brecioribus: neruum intendebant, applicato ad imum arcum læuo pede: sagittæ, scuta & loricas penetrabant. Eas nostri, si nacti essent, amentabant, ac pro iaculis utebãtur. In his locis perutiles Cretenses fuere: his autẽ Cretensis Stratocles præerat. Atque eo quidem die in uicis commorati sunt, supra eos cãpos, per quos Centrites amnis fluit. Eius amnis latitudo est pass. CC. Armeniamq; à Carduchis diuidit: abest à Carduchorum montibus stad. VI. aut ad summum VII. Hìc Græci iucundißimo diuersorio usi sunt, ac in rerum omnium copia, labores quos antè pertulerant, cum quadam (ut fit) uoluptate recordabantur: VII. enim dies, per quos iter per Carduchos fecerant, tam graues, tamq; iniquos, propter crebras atqueadeo perpetuas pugnas, perpessi fuerant, ut cum his uniuersa incommoda ac molestiæ, quibus à rege ac Tissapherne affecti fuerãt, nulla ex parte conferendæ essent. Maximis itaq; defuncti periculis, hoc in loco suauißimè pernoctarunt. Sequenti uerò die trans flumen equites armatos conspicati sunt, qui se traijcientibus oppositurì uidebantur. Conspicati etiam sunt pedites in tumulis supra equitum locũ instructos, ad nostros scilicet Armeniæ aditu prohibendos. Erant autem hi Oron-

Barbari agiles, & sagittandi peritißimi.

hi Orontis & Artuchi, ex Armenia, Mygdonia, & Chaldæis mercenarij. Et Chaldæos quidem fama erat liberos esse, & bellica uirtute præstare. Arma his prægrandes cetræ, & lanceæ. Aberant hi tumuli, in quibus acie constiterant, ab amnis alueo passus LX. aut ad summũ LXXX. & unica erat uia, quasi manu facta, quæ ad ulteriorẽ partem ducebat. Ea igitur Græci cùm traijcere conarẽtur, in aqua mammis tenus mergebantur: amnis inter magna & lubrica saxa rapidißimè ferebatur, quare armati ingredi non poterant: quòd si arma capite portarent, hostium sagittis ac reliquis mißilibus nudata corpora præbebãt. Retrocesserunt igitur, ac propter ipsum flumen castra locarunt. Quo uerò in loco superiorem noctem egerant, in ipsis montibus magnũ Carduchorũ globum in armis conspexerunt: ex quo rebus suis uehementer diffidere cœperunt. Videbant enim amnis importunitatẽ: in aduersa ripa, qui obsistere parati essent: in citeriore Carduchos, qui agminis tergum dum traijcerent, oppugnaturi uidebantur. In hac trepidatione ac metu cùm diem & noctem unã consumpsissent, Xenophonti in somnis nonnulla salutis spes ostentata est. Is enim in quiete se compedibus destineri putauit: eas uerò compedes, quibus distineretur, uidere uisus est repentè rumpi, seq; liberum ac solutũ quò uellet cunque ingredi. Quam ob rem diluculo ad Chirisophum ueniens, ei somnium exponit, cùm præfatus esset in postrum optimè sperandũ. Id ille cùm audisset, lætatus est. Vt primũ illuxit, omnes qui aderant duces rem diuinam fecerunt. Cumq; esset pulcherrimè litatũ, duces ac centuriones à sacris ad suos quisque milites reuersi, cibum ut capiant, imperant. Hìc ad Xenophontem dum pranderet,

Somnium Xenophontis.

adoleſcentes duo accurrerũt, quòd omnes norant ad eum, uel cùm cibum caperet, aditus eſſe: quin & dormientem ſe excitari idem patiebatur, ſi quis quid attuliſſet, quod bellicæ rei cõduceret. Narrarũt igitur illi, ſe fortè dum ad ignem in ripa ſarmẽta colligũt, in aduerſæ ripæ ſaxis flumini imminentibus, ſenem cõſpexiſſe, mulierẽ, & puellas quaſdam, quæ ueſtium inuolucra quædam in ſpecu abderent: id cùm uidiſſent, exiſtimaſſe tutò ſe traijcere poſſe, quòd hoſtium equitatus propter loci aſperitatem eò non poſſet accedere. Veſtibus itaque depoſitis, ac ſicis eductis, quippe qui ſibi natandum putarent, ita traieciſſe, ut ne ſupra femur quidem mergerentur. Amne itaque ſuperato, ac ueſtibus ablatis, eodem ſe uado reuerſos. Id cùm Xenophon audiſſet, & ipſe dijs libauit, & adoleſcentibus fundi iuſſit: tum peractis libationibus, ac uotis nuncupatis, ijs nempe dijs qui ſomnium obtuliſſent, quiq; uadum fluminis monſtraſſent, ad Chiriſophum ſtatim adoleſcentes deduxit: qui cùm ſingula audiſſet, rem diuinam fecit. Tum multitudini, ut uaſa colligerent, denunciauit: ac deinde adhibitis cæteris ducibus, de tota traijciendi ratione cum ijs unà conſilium cepit: illud in primis, quî & aduerſos uincerent, & ab inſequentibus tuti eſſent. Ita uerò conſtitutum eſt, ut Chiriſophus agmẽ duceret, ac prior cum dimidia exercitus parte traijceret: altera uerò dimidia pars Xenophontem ſequeretur: iumenta ac turbæ reliquum, in medium agmen includeretur. His ita, uti maximè oportuit, confectis, iter ingreſſi ſunt. Præibant illi adoleſcentes, relicto ad læuam amne. Via quæ ad uadum ducebat IIII. fermè ſtadiũm erat. Contra noſtros ex altera fluminis parte, hoſtes procedebant. Vbi ad uadum ipſum

uentum

uentum est, arma primùm posuerũt. Deinde Chirisophus primus omnium coronam cepit, ac ueste posita arma iterum sumpsit, tum alijs ut idem facerent, imperauit. Iussit autẽ centuriones, aciem utrinq; directam, ad dextram læuamq; agere. Ibi uates hostias ad flumen cæciderunt. Interea hostes sagittas in nostros, atq; è fundis glandes mittebant, quæ nostros nondum attingere poterant. Postea uerò quàm bene exta promiserũt, milites cuncti simul cum plausu pæanem cecinerunt: quem plausum & ipsæ mulieres (erant enim non parũ multa in exercitu scorta) lætum tollentes clamorem, comprobarunt. Tum in fluuium Chirisophus cũ suis cohortibus intrauit. Interea Xenophon cum expeditissimis ab extremo agmine, citatissimo cursu ad uadũ illud amnis, unde paulò antè discesserant, recurrit, ac unde in Armeniorũ montes exitus patebat: id adeò simulans cò se traiecturũ, quò hostilem equitatum intercluderent. Hic hostes, cùm Chirisophum animaduertissent non magno negocio amnem traijcere, Xenophontem uerò pristinum uadum celeritate summa repetere, ueriti ne intercluderentur, in fugam conuersi, incitato quoad eius fieri potuit, cursu, se ad eum tramitem, qui ab amne ad montes ducebat, receperũt: ac ad ipsam quidem uiam cùm iam peruenissent, rectà ad montes contenderunt. Quos ubi tam effuse fugientes Lycius, qui aliquot equitum turmas, Aeschines itẽ, qui Chirisophi cetratos ducebat, conspexere, statim eos insequi cœperunt. Milites uerò cæteri cum clamore rogabant, ne à se longius discederent, atque ut secum in montes unà ascenderent. At Chirisophus simulac ulteriorem ripam tenuit, equites ille quidem insequutus non est: uerũ in eos cursum cõuertit, qui in proxi-

mis tumulis cõstiterant. Qui cùm equites fugere animaduertissent, cumq; iam se inuadentis grauis Græcorum armaturæ impetum se sustinere non posse uererentur, eos repentè tumulos reliquerunt. Xenophon ubi trans amnem uidet suis omnia ex animi sententia euenisse, statim ad uadum reuertitur. Etenim Carduchi à summis iugis, in aciei tergum impetum facturi uidebantur: ac Chirisophus iam in superiora euaserat. At Lycius, qui cùm paucis equites insecutus fuerat, nactus impedimentorum reliquias, precioſam uestem, & pocula multa, cepit. Feruebat iam iumentorum & turbæ traiectio, cùm Xenophon conuersa fronte in Carduchos aciem direxit. Centurionibus uerò imperauit, ut suas quisq; centurias in manipulos describeret: ac primores quidem manipulos ipsi centuriones, decurionesq;, phalange constituta, in scutum aduersus Carduchos ducerent: reliquos, sub suis tergi ducibus, iuxta amnem, in præsidijs locarent. At Carduchi cùm laxari turbæ extremos ordines uidissent, ac iam paucos in conspectu haberent, tunc idoneum ad inuadendũ tempus rati, quàm potuerunt celerrimè, sua quædã carmina concinentes, in nostros impetũ faciunt. Interea Chirisophus, cùm iam suos in tuto collocasset, peltatos, funditores, sagittarios ad Xenophontẽ mittit, ijsq; imperat, ut illius dicto audientes sint. Hos descendentes Xenophon cõspicatus, nunciũ præmittit, qui eos suo nomine iubeat in ipsis uadi principijs subsistere, ad traijciendũ tamẽ paratos. Cumq; se traijcere animaduerterint, tum diuisis utrinque ordinibus non aliter quàm si ipsi in alterã rursus partem traiecturi essent, obuiam ueniant: ac ferentarij amentata iacula, sagittarij iunctas neruis sagittas præferãt: extra flu
men

men uerò neutiquam progrediantur. Tum ijs, qui sequebantur imperat, ut cùm è fundis glandes emissæ fuerint, ac cõplosa scuta concrepuerint, hoc signo moniti, in hostem pæane citato, læto cũ clamore excurrãt. Vbi hostes se auerterint, & à flumine liticen bellicũ cecinerit, & ipsi in hastam pedem referant, tum tergi duces sequuti, ad flumen quamcelerrimè descendant, ac quo loco cuiq; contigerit, ne alij alios impediant, traijciant: optimum enim fore, qui primus ulteriorem ripam tenuerit. At Carduchi ubi numerum ualde diminutum uident, ac paucos omnino reliquos factos (nam & multi ex ijs, quos manere oportuerat, subduxerant se, quòd alium iumentorum, alium sarcinarum, meretricis alium cuiuspiam cura auocarat) nostros confidenter adoriuntur, fundisq; ac sagittis urgent. Ibi Græci ex composito, citato pæane, in illos cursu contendunt. At illi impetum non sustinuere: quippe qui ita erant armati, ut in montibus ad fugam atque excursiones agiles essent: ad statarias uerò pugnas nequaquam satis muniti. Vbi uerò classica cecinerunt, hostes effusius multò fugêre. Græci ad flumen conuersi, omnem ad traijciendum celeritatem susceperunt. Tum qui dolum è Barbaris senserc, rursus ad flumen recurrerunt, ac eminus nostros sagittis lacessentes, non plura sanè fecerunt, quàm ipsi acceperint uulnera, multoq; plurimi, cùm iam nostri transmississent, adhuc fugientes conspiciebantur. At hi, qui Xenophonti obuiam uenerant, cùm in hostem cupidius progressi essent, nempe qui audaciam ostentare uoluissent, amnem post Xenophontem, ac nonnulli ex his uulneribus acceptis, traiecerunt. Verùm cùm uniuersi traiecissent sub ipsum iam meridiem, pristinis ordinibus repe-

titis per Armeniæ campos, & molliter surgentes colles, passuum haud minus XX. M. confecerunt. Neque enim uici ulli propius amnem, propter bella, quæ finitimi cum Carduchis assiduè gerebant, incolebantur. Is certè uicus ad quem diuerterunt, amplissimus fuit, in quo satrapæ erat prætoria domus: ac supra complures domos mœnia surgebant. Cibaria hoc in loco largissimè militibus suppeditarunt. Hinc secundis castris M. pass. XII. confectis, supra Pigretis fontes, ad Teleboan amnem peruenerũt: pulchrum illum quidem, sed minimè magnum. Circa eum uici erant plurimi, atq; ipsa regio, Armenia ad occasum uocabatur. Eam tunc obtinebat cum imperio Teribazus, cum primis regis amicus, quiq; quoties adesset, regem in equo collocabat. Hic obuiam cum equitatu uenit, ac interprete præmisso, nostros ad colloquiũ inuitauit. Duces quidem quid afferret audiendum putarunt. Quare cum in cum locum uenissent, ubi quæ diceret exaudire possent, quidnam uellet quæsierunt. At ille paratum se dixit certis conditionibus cum Græcis fœdus ferire. Eæ uerò cõditiones erant: Ne ipse ullo aut incõmodo, aut detrimento Græcorum exercitũ afficeret, néue Græci domos exurerent: ea tantum quibus indigerẽt, omnia undecũq; caperent. Quæ cùm prætorib. probata essent, in ea fœdus ictum est. Hinc per campos castris ternis M. pass. LX. progressi sunt, sequente cum suis copijs Teribazo X. stadiorũ interuallo: cumq; eo unà ad prætoriã domũ, atq; eos uicos, qui circa eam plurimi incolebãtur, peruenerũt, ubi cõmeatuum luculentã copiã nacti sunt. Ea uerò nocte cũ in agro castra locassent, cœlo ingẽs niuis effusa uis est: quæ res effecit, ut cùm illuxisset, uicatim militibus duces diuersoria attribue-

rent.

rent. Neq; enim hostem ullum amplius uidebãt, neq; quicquam omnino propter niuis magnitudinẽ metuendum putabant. Et omnia quæ ad usum uictumq; expetuntur, in promptu erãt: hostiæ, frumentũ, uina uetusta, atq; optimè olentia, uuæ passæ, ac legumina omnifaria. At hic, qui à castris paulò longius diuerterãt, se procul copias quasdã, ac per noctem multos ignes uidisse nunciarũt. Quare duces cõmoti, tutius esse putarũt, uti antè solebãt, uno in loco castra habere. Conuenerunt itaq; omnes in unũ. Cùm uerò sub diuo, quòd res ita postulare uisa fuerat, pernoctassent, tam ingens cœlo nix demissa, ut nõ homines modò iacentes, & arma, sed ipsa etiã iumenta cõtegerentur. Hìc se homines præ torpore tollere nõ poterãt: iacentes uerò miserabile erat niue sepultos uidere. Tum torpentibus quidem cæteris, primus Xenophon surrexit, lignaq; findere cœpit. Tunc alius quidam & ipse surrexit, atq; à Xenophonte illud sibi munus depoposcit: mox alij se erexerũt, accensisq; ignibus omnes ungebãtur. Multũ autem eo in loco liquaminis suilli, sesamini, amygdalini, triticei, terebinthini, quo pro oleo utebantur. Vnguenta etiã ex ijsdem rebus cõfecta repererũt. Tum rursus uicatim sub tecto diuertendũ censuerũt. Milites lætis cũ uocib. se intra tuguria receperũt, ac sanè libenter ad pristinã optimarũ rerũ copiã rediere. E quibus, qui, cùm antea eò uenissent, domos incenderãt, sub diuo pernoctantes pœnas dedere. Eadem nocte Democratẽ Temenitẽ, cum aliquot comitibus in eos montes misere, ubi qui ab exercitu longius recesserant, ignes se prospexisse renunciarãt. Atq; huic quidẽ meritò fidem habebant: sæpe enim antea uerissimè, quæ cõperat omnia, detulerat. Is autem rediens nullos omnino ignes sibi

uiſos renunciauit: atenim hominem unum uinctum deduxit. Erat hic Perſico arcu, pharetra, & ſecuricula, qualem Amazones gerere conſueuerunt, armatus. De quo cùm quæreretur, cuias nam eſſet, ſe Perſen eſſe reſpondit, ac unum de Teribazi caſtris: digreſſum autē à ſuis ſe frumentādi cauſa. Rurſus cùm rogaſſent, quàm magnus eſſet Teribazi exercitus, quoq; nomine coactus eſſet: Habere Teribazum reſpondit, præter ſuas ipſius copias, mercenarios Chalybas, et Taochos: eas uerò comparatas copias eſſe, ut inter montium anguſtias, quà unicus eſſet tranſitus, Græcos adorirentur. Hæc cùm duces audiſſent, de communi conſilio exercitum congregarunt: ac deinde relicto præſidio, eiq; præpoſito Sophæneto Stymphalio, ipſi captiuum illum ducē ſequentes, profecti ultrò aduerſus hoſtem ſunt. Montibus uerò ſuperatis, peltati fidentius progreßi, caſtrisq; hoſtilibus exploratis, grauem armaturam nihil expectandā rati, repentè in hoſtium caſtra impetum fecerūt. At Barbari tumultu audito, in fugam ſe protinus dedēre: in qua tamē ex ipſis nōnulli occiſi ſunt, equi uerò ad XX. capti: captum etiam ipſius Teribazi tabernaculum, quiq; in eo erant argenteis pedibus lecti, item pocula multa, tum ſeruitia quædam, piſtores uti ipſi dicebant, & pincernæ. Cùm grauis armaturæ duces omnia reſciſſent, quamcelerrimè ſibi ad caſtra redeundum decreuerunt, ne ſcilicet in eos, qui ibi relicti erāt, impetus quis fieret. Cùm igitur receptui cani iußiſſent, eodem ipſo die in caſtra redierunt. Poſtero uerò die duces cenſuerunt caſtra quàm primùm mouenda, antequàm in unum ex fuga copijs collectis, hoſtes anguſtias occuparent. Cùm uaſa itaq; colligi iußiſſent, per multas niues, ducibus quidem compluribus præeun-

præeuntibus, eo ipso die iugum superarunt, de quo impetum Teribazus facturus erat, atq; eo quidē in loco castra locarunt. Inde per desertos agros, secundum Euphratem amnem castris ternis progressi, fluuium ita traiecerunt, ut infra duntaxat umbilicum mergerentur: non longè autem hinc amnis ipsius fontes abesse dicebantur. Inde processere per altas camporum niues castris ternis M. pass. LX. Tertij uerò diei iter multò difficilimā uiam habuit: flabat enim aduersus Boreas, urens homines, ac planè congelans. Ibi è uatū numero nescio quis, uento rem diuinam faciendam dixit. Quo facto, liquidò apparuit uenti impetum statim fractum, ac lenitum. Nix uerò nihilo duobus passibus minus alta erat: quare & iumentorum & captiuorum magnus numerus perijt, ac milites ad XXX. Noctem itaq; multis ignibus accensis egerūt: ligna enim multa in statione reperta sunt. At qui serius uenerant, nullam habuerunt lignorum copiam: & qui eam occuparant, postremos ad suos ignes non admittebāt, nisi illi ignis usum, aut tritico, aut aliquo cibariorū genere redemissent. Quo factum est, ut omnes uicissim quas haberēt res, alijs impertirentur, atque ab ijs item acciperent. Quibus certè in locis ignes feciſſent, in ijs soluta niue scrobes aperiebantur deorsum usq; ad imum solum, ex quibus facilè erat niuis altitudinem metiri. Postero die per niues perpetuas iter fecerunt, inter quas homines non pauci insana fame laborare cœperūt: quos cùm humi passim iacentes Xenophon, qui extremum agmen ducebat, offendisset, primò rei nouitate perculsus est, cùm calamitatis eius causam ignoraret. Postea uerò quàm ab ijs qui rerum usu præstabant, cognouit insana fame illos concidisse, ac si quid comessent,

fore ut repentè se erigerent, ad iumēta accedens, quicquid cibi aut potionis nactus esset, illis dabat, ac dimittebat ualentiores, qui esurientes assequuti releuarent. At illi cibo sumpto subleuati, unà cū cæteris proficiscebantur. Chirisophus crepusculo ad uicū quendā peruenit, ubi puellas offendit ante castellū, è fonte aquā haurientes. Priores illæ quærere occuparunt, quinam essent: quibus interpres respondit Persicè, à rege se ad satrapam uenire. At illæ eum negarunt ibi esse: abesse eum locū, ubi tunc erat, paſs. IIII. fermè M. Nostri tamen eas imminente iam nocte secuti, in castellum ad uici eius præfectum intrarunt: ubi & Chirisophus, & hi quibus potestas fuit, castra locarunt: reliqui in ipsa uia pernoctarunt, & hi quidē sine cibo & igne: multi itaq; frigore ac fame confecti sunt. Vrgebant uerò ex hostibus multi in unum congregati, qui iumenta, quæ sequi non possent, adorti, impedimenta diripiebant, ac tam auidè, ut pro illis inter se etiam pugnarent. Relicti de nostris multi sunt, qui oculos ex perpetuo niuium aspectu amiserunt. Multi item quibus gelu pedū digiti obstupuerāt. Hic unicū erat oculis præsidiū, si quid ante eos nigri prætendissent: pedibus, si corpus assiduè mouerent, & nunquam omnino quiescerent, ac si noctu calciamenta detraxissent. Nam si calceati decubuissent, tumescentibus pedibus altè uincula imprimebantur, atq; ita, ut calcei pedib. astricti, resolui nullo modo possent, præsertim cum ueteribus calceis cōsumptis, carbatinis è boum recenti corio uterētur. His itaq; malis, quò minus cæteros cōsequi possent, retardabantur. Ac locū quidem cōspicati, qui colore ipso à niuibus uacuus uidebatur (solutæ enim fuerant eo in saltu proximi fontis halitu) eò diuerterunt. Cumq; iam cōsedissent, negabant

Militiæ plura incommoda.

negabãt se iter amplius facturos. Id ubi Xenophon sensit, nempe qui tergũ agminis ducebat, primò rogare cœpit, ac quouis modo atq; arte suadere, ne ordinem desererẽt, hostibus præsertim cõgregatis ac insequẽtibus: postremò cum precãdo nihil proficeret, acerbius etiã obiurgare. At illi iugula ostentantes, omnino se iter facere nõ posse affirmabãt. In hac rei difficultate, nihil Xenophon magis expedire arbitratus est, q̃ si terror quispiã hostib. inijceretur, ne tam laborãtes adorirẽtur. Iam noctis se tenebræ intẽderant: hostes uerò de præda inter se cũ tumultu litigantes, propius ad nostros accedebant, cũ ab ipso tergo excitati Græci, integri illi quidẽ ac bene ualẽtes, cũ cursu in hostem inuaserũt. Eodemq; tẽpore debiles illi atq; infirmi clamorem q̃ potuere maximũ sustulerũt, ac hastis scuta percusserunt. Quæ res tam uehemẽter Barbaros perterrefecit, ut se per medias niues in conuallẽ dimiserint, neq; eorũ quisquã postea uel uocẽ miserit. Tum Xenophon cũ suis longius progressurus, iubet languentes & ægros bono animo esse, postridie uẽturos ad eos qui auxiliũ ferrent. Ipsi tunc profecti, nondũ stadijs IIII. cõfectis, prostratos atq; inuolutos medijs in niuib. milites, sine ullis excubijs offenderunt. Quos cum excitassent, didicerunt priores ordines nihil omnino promouisse: qua re cõmotus Xenophon, de peltatorum numero fortißimos homines præmisit, qui cognoscerent quare illi impediti substitissent: cumq; hi renunciassent, totum planè exercitum eodem modo in niue abiectum: & hi qui cũ Xenophonte erant, ubi potuerunt, constitutis tamen pro tempore ac loci natura excubijs, pernoctarunt, incœnati quidem, ac sine igne. Prima luce misit Xenophon de suis iuniores aliquot, qui ægros ac torpẽtes

tollerent, ac progredi cogerent. Iam & Chirisophus de ijs qui in uicum diuerterãt, miserat qui inspicerent uti se qui in extremo agmine erant, haberent: quorũ aduentus Xenophontis militibus optatissimus fuit, ac ijs debiles & affectos in castra deportandos tradiderunt. Ipsi stadijs fermè XX. confectis, ad uicum eum quô Chirisophus diuerterat, peruenerunt. Ibi cùm in unũ iam omnes cõuenissent, ducibus uisum est tutissimum fore, si per uicos ordines, quasi in hyberna, describerentur. Et Chirisophus quidem in eodem uico permansit. Alij uerò, qui cuiq; uicus sorte obtigit, ex ijs qui in conspectu erant, eum obtinuit. Hic Polycrates Athenienſis centurio, ut arbitratu suo sibi diuertere liceret impetrauit: assumptaq; expeditorum parte, in eum uicum accurrit, qui Xenophonti obtigerat. In quo & paganos omnes, & pagi præfectum etiã ipsum deprehendit: pullos præterea equinos XVII. qui tributi nomine regi alebantur: ipsius etiam præfecti filiam, quæ nono antè die ad uirum matrimonij causa uenerat. Vir autem eius tunc leporum uenatione detinebatur: quæ causa fuit, ut cum cæteris nõ opprimeretur. Hic domus erant subterraneæ, quarum erant ostia puteorũ instar, ab imo uerò latè patebant: primi aditus fastigio, bestiarum deducendarũ causa, æquati erant: homines per scalas descendebant: intus oues, capræ, boues, gallinæ cum suis fœtibus alebãtur: pecora uerò ipsa pabulo sustentabãtur. Repertum etiam triticum, ordeum, legumina, & uino plenissimi crateres. Ordeum quidem accumulatissimè suppeditabat. Conditi etiam calami erant, maiores alij, alij uerò minores, prorsus enodes, quos qui sitiens ore teneret, ac sugeret, merum is bibere sibi uideretur, & quidem uehementissimum, nisi

aqua

aqua perfunderentur, eratq; uel suauissima potio, si quis esset ad eam comparatus. Xenophon præfectum cœnæ adhibitum cõfirmauit, ac se ei filios incolumes præstiturũ, ac domum multò quàm accepissent, copijs omnibus plenio rem relicturum spopondit, modò ut quantũ in ipso esset, Græcorũ copijs, quoad in finitimæ gentis fines uenissent, bene consuleret: Id ille se facturum pollicitus est: ac tunc, cùm in conuiuio hilarè ac iucundè fuissent, uinũ etiam quod defossum erat indicauit. Eam noctem egerunt Græci milites sub pellibus, in rerum omnium copia, cùm interea in custodijs præfectum ipsum eiusq; liberos in conspectu haberent. Postero die illum Xenophon ad Chirisophum deduxit. Ac cùm uicum iam priorem præterisset, in cæteris uicis omnibus milites Græcos offendit, tempestiuis conuiuijs se festiuè oblectantes: quorum nemo sanè fuit qui Xenophontem non inuitaret, ac mensa posita carnes nõ apponeret, agninam, hœdinam, suillam, uitulinam, cum panibus triticeis, atq; ordeaceis: quem uerò ad bibendum inuitassent, ei non è poculo propinabant, sed ad craterem deducebãt, ubi demisso capite sorbendum erat, more boum. Præfecto etiam ipsi quantũ è quouis rerum genere uellet, ut caperet permisere: at ille nihil quicquã attigit. E cognatis tantùm suis, si quem uidisset, eum secũ abducebat. Ad Chirisophũ cùm uenissent, illic etiam milites sub pellibus offenderunt, fœno aut stipula coronatos: quibus Armenij pueri, Barbaricis amicti stolis, ministrabãt: illis Græci tanquam adolescentibus quid facto opus esset monstrabant. Hic cùm Chirisophus & Xenophon amãtissimè congressi essent, cõmuniter pagi præfectum per interpretẽ Persicè rogarunt, quænam esset ea regio: cùm ille Armeniã esse re-

spondisset, tum rursus rogarunt, cuinam equi illi alerentur: regis tributum esse respondit. Addidit, proximã gentem Chalybas esse, & quæ eò uia duceret, demonstrauit. Tunc Xenophon hominem ad suos reduxit, ac ei equum, quem sibi sumpserat, iam seniorem, immolandum tradidit. Audierat enim hanc Solis apud eas gentes uictimam esse: & sanè ueritus est, ne equus ille quem iam itineris labor magnopere debilitarat, in ipsa uia deficeret: pro illo itaq; pullum unum cepit, ac reliquos singulis ducibus ac centurionib. singulos dedit. Erãt equi hi Persicis aliquanto minores, feruciores uerò multò. Idem autẽ præfectus docuit, ut per niuosam uiam sacculis equorum & iumentorum pedes obligarent, quòd nudis pedibus ingredientes, usq; ad uentrem in ipsas niues descenderẽt. Iam erant dies VIII. eo in loco commorati, cùm Xenophon Chirisopho præfectum, ut eo duce uteretur, tradidit: de eius quidem familia neminem prorsus abduxit, præter puberem eius filium, quem Epistheni Amphipolitano in custodiam dedit, ut cum eo unà incolumis pater rediret, si se fide optima duxisset: in eius uerò domum res plurimas atque optimas congesserunt. Inde motis castris, duce præfecto, qui solutus præibat, per niues profecti sunt. Iam ad castra tertia peruenerant, cùm Chirisophus grauiter præfecto succensuit, quòd se per uicos non duxisset. Ille quidem nullos ea in regione esse uicos affirmabat. Ibi Chirisophus hominem percussit, non tamen uinxit. Qua re ille commotus, clàm noctu filio relicto aufugit. Hæc in curionem contumelia, atq; in eo seruando negligentia, unica fuit in toto itinere inter Xenophontẽ et Chirisophum dissidij causa. Epistheneus uerò puerum adamauit: ac cum domum eum

secum

secum abduxisset, fidelissimo usus est. Post hæc septimis castris, confectis in dies singulos uicenis quinis M. paß. ad Phasin peruenere. Eius fluminis latitudo paß. est fermè XX. Illinc M. paß. XL. bidui cõfectis, obuios habuere in montium uerticibus, per quos in campos descendendum erat, Chalybas, Taochos, Phasianos: quos ubi cõspexit Chirisophus, gressum sustinuit, interuallo stadiũm ferè L. ueritus ne si in cornu ageret, ad hostes accederet. Alijs itaq; imperat, ut manipulos adducãt, quò in phalangem copiæ omnes coirent. Ac ubi primũ extremũ agmen affuit, conuocatis ducibus ac centurionibus, in hunc modum loquutus est: Hostes, uti uidetis, montium æditiores partes obtinent: consilium itaq; ex ipso tempore capiendum, quî cum illis æquissima conditione depugnemus. Ipse quidem censeo militibus edicendum, uti cibum capiant: nos uerò interea consultemus, hodié ne, an cras potius montes superemus. Tum Cleanor: Mihi uidetur, inquit, sine ulla mora cùm primũ pransi fuerimus, arma capienda, & in hostem alacriter eundum: nam si hodiernũ diem hic consumpserimus, id cũ hostes animaduertent, & qui adsunt confidentiores reddentur, & ad eos alij fortasse illorũ confidentia freti, se adiungent. Ego uerò, inquit Xenophon si necesse sit pugnare, ad pugnã omnia comparãda, ac dandam esse operam censeo, ut ex sententia pugnemus. Sin illud unum cõtendendum uidetur, ut quamfacilimè loci difficultatem superemus, uidendum est ut incolumes atque integri euadamus, ac de nostris quampaucissimos amittamus. Atque hic quidem mons, qui in conspectu est, quantum cerni potest, nihil minus quàm stadia LX. excurrit. Homines uerò qui iter nostrum obseruãt, nusquam præterquam circa

hanc ipsam uiam apparent. Satius igitur, opinor, fuerit experiri, si quam desertam montis partem clàm, & quasi furtim præripere, atque occupare possimus, quàm simul & cum loci difficultate, & paratis ad pugnandum hominibus certamen suscipere. Est enim facilius multò in aduersa eniti, modò pugnandum non sit, quàm per plana iter facere, urgentibus omni ex parte hostibus. Præterea noctu quæ antè pedes sunt, si pugnandum non sit, multò herculè melius cernuntur, quàm interdiu si in pugnam sit incumbendum. Iam salebrosa uia, sine pugna multò est æquior pedibus, quàm plana, si capita feriantur. Neque sanè hostes nunc celare difficilè fore uidetur: nam per noctem uadere possumus, ita ut non uideamur: & progredi, ut nihil omnino hostis sentiat. Quòd si rectà nos trãsitu ros simulauerimus, alteram montis partem ab hoste uacuã facilè superare licebit: in hac enim ipsa uniuersi permanebunt. Sed quid ego de furto disputo, cùm uos, inquit, Chirisophe Lacedæmonios audiam, patria disciplina à pueris furtis assuefieri? tantumq; abesse ut turpe cuiquam sit furari, ut necesse etiã sit: modò ijs abstineat quæ lege excepta sunt? Ac quò quamelegantissimè & cautissimè furemini, iubet lex deprehensum in furto, loris cædi. Nunc itaq; nobis Chirisophe, cùm maximè tempus postulat, ostendes, quàm sis ex patria institutione in furando callidus: ac illud est in primis cauendum, ne in furto deprehensi, plagas multas accipiamus. Atenim, inquit Chirisophus, & ego uos Athenienses audio ad publicæ pecuniæ furta egregiè eruditos esse, cùm ea tamen res magnæ fraudi furi sit: & quod est magis mirandum, optimi quiq; (nam apud uos, qui optimi censentur, hi honores summos gerunt)

Lacedæmonij à pueritia furari assueti.

gerunt)hoc furti generi nequaquam abstinēt. Quare & nunc scientiæ uestræ aliquod tibi dandum est documentū. Imò,inquit Xenophon,cum extremis hisce quos duco, paratus sum,cùm cibum ceperimus,montem occupare: neq; mihi uiæ duces desunt. Velites enim nostri nuper ex ijs nonnullos ceperunt,qui nobis à tergo insidiabātur. Præterea montem intelligo nō esse usquequaq; insuperabilem, ac etiam in eo maximū esse caprarū ac boum numerum: quo facilè adducor, modò aliquā eius partem occupaueri mus,iumentis etiam nostris peruiū fore. Ad hæc sperandū illud etiam est,non staturos hostes,cùm nos uiderint nihilo se loco inferiores. Nam ne nunc quidem uolunt nobiscum æquo loco congredi. Tum Chirisophus: Quin tu alios inquit,eò mittito:neq; enim expedit à te agminis tergum relinqui,nisi fortè qui id ultrò negocij suscipiant,inueniantur. Ibi se ituros professi sunt Aristonymus Methydriensis cum graui armatura, Aristeas Chius cum uelitibus,atq; item cum uelitibus Nicomachus Teius. Hoc inter eos conuenit,ut cùm iuga occupassent, ignes facerent multos. Inde ad corpora curanda conuersi sunt:ac cùm cibum cepissent, Aristonymus propè ad hostes X. fermè stad. copias omnes duxit,quò scilicet trita illa uia usurus uideretur:à cœna uerò cū iam nox immineret, hi quibus negocium datū erat,montē occuparūt,alij infra montem substiterunt. Hostes cùm montem captū uidissent,totam noctem multis accensis ignibus euigilarunt. Vbi primùm illuxit, Chirisophus cùm rem diuinam fecisset,rectà in hostes contendit,cùm interea nostri occupato monte,per iuga uaderent. At hostes partim quidem in superiore montis parte manserūt,partim uerò ijs qui erant in iugis,occurrerunt:

ac prius quàm in unum coirent, eos nostri impressione facta fundunt, fugantq;: atq; eodem tẽpore è campis peltati Græci in aduersam aciẽ cursu inuaserũt. Chirisophus pedetentim progressus, cũ graui armatura præstò fuit. Hostes de uia cũ superiora omnia capta uiderent, statim terga uertũt, et eorũ sanè multi cæsi sunt. Scuta cratitia multa relicta, quæ nostri, ne cui usui essent, gladijs cõciderunt. Iugis iam superatis, ac sacris ritè peractis, trophæoq; erecto, in campos descenderunt, ubi uicos copijs omnibus refertissimos offendere. Ex his quintis castris pass. circiter CC. M. confectis, in Taochos perrexerunt, quo loco cibaria defecerũt. Loca enim munita Taochi tenebant, in quæ cõmeatus omnis deportarant. Cùm autẽ in locũ peruentũ esset, quò (etsi neq; oppidũ ibi, neq; domus ullæ erãt) Taochi tamen se cum pecoribus & uxoribus receperant, Chirisophus eum locũ oppugnare aggressus est. Et quoniam non poterant uniuersi saltum illum circunsedere, quippe qui omni ex parte præruptus erat, primæ cuique cohorti iam fessæ, integra succurrebat. Hìc cum Xenophon cum peltatis qui in tergo erãt, & graui armatura superuenisset, Opportunè, inquit Chirisophus, aduenis: est enim hic nobis locus omnino capiendus, quem nisi ceperimus, copijs nostris nullo pacto cõmeatus suppetere possunt. Hìc cõsilium cõmuniter capiunt, & rogauit Xenophon, quid impediret, quò minus eò possent penetrare: Vnus, inquit Chirisophus, hic, quem uides, illuc trames ducit. Quòd si quis hàc enitatur, de superiore illa crepidine saxa deuoluunt, quibus uti uides homines eliduntur. Ac simul ei aliquot homines ostendit, cruribus alios, alios laterib. elisis. Sedenim, inquit Xenophon, si lapides cõsumpserint, quid

nos

nos amplius loci aditu prohibebit? aduersos quidem nobis paucos uidemus, atq; ex ijs duos, ad summũ tres, armatos. Qui uerò locus nobis infestus ac periculosus est, is in XXX. ferè pass. longitudinẽ patet: idemq; est ad XX. fermè pass. pinis maximis per interualla uestitus. Secundũ quas qui cõstiterint homines, qd eis aut iacta, aut deuoluta saxa nocere possũt? Reliquũ erit spaciũ pass. X. quod erit cursim cõficiendũ, cùm scilicet quæ deuolui possint, nulla amplius saxa supercrũt. Verũ, inquit Chirisophus, simulac ad conseptũ hunc arborib. locũ iter facere cœperimus, saxa in nos creberrima deferentur. Hoc ipsum, inquit Xenophon, à nobis erit: sic enim celerius quem habent lapidum numerũ abijcient. Sed ad eum iam locũ accedamus, quo, mõdo liceat peruenire, breui euademus. Hæc cùm dixisset Xenophon, cũ eo Chirisophus & Callimachus Parrhasius (cùm is eo die principem inter eos, qui in tergo erant centuriones, locũ obtineret) profecti sunt: centuriones uerò reliqui in tuto manserũt. Tum homines fermè septuaginta ad arbores se cõtulerunt, non uniuersi, sed singuli, quàm quisq; potuit cautissimè. Agasias quidẽ Stymphalius, & Aristonymus Methydriensis, & ipsi tergi centuriones, citra arbores se cõtinuerunt: neq; enim amplius quàm centuria una arboribus illis protegi poterat. Hic Callimachus progrediendi rationẽ excogitat: ab ea arbore, sub qua constiterat, pass. fermè II. aut III. excurrebat. Cùm uerò lapides deuoluebantur, haud magno negocio se in tutum recipiebat. At quoties excurrerat, toties plaustra haud minus quàm X. lapidum consumebantur. Id cùm à Callimacho factum Agasias animaduertisset, ueritus ne spectante exercitu primus ille laudem in inuaden-

do loco occuparet, solus re neq; cum Aristonymo, qui loco erat proximus, neq; cum Eurylocho Lusiensi, aut sociorũ alio quoquam communicata, processit, ac omnes anteuertit. At Callimachus ubi se præteritum sensit, Agasiam clypeo prehensum retrahere conabatur. Illis uerò inter se certantibus, Aristonymus Methydriensis, ac post eum statim Eurylochus Lusiensis (erat enim inter hos omnes de gloria certamen, ac sibi eorũ quisq; uirtutis primas uindicabat) irruptionem primi in locum fecerunt, ac certatim eum occuparunt: neq; enim aditu semel occupato, lapis ullus amplius deuolutus est. Hic miserabile spectaculum extitit: fœminæ paruulos primùm filios, ac seipsas deinde de saxo præcipites mittebant: ac uiri etiam idem faciebant. Ibi Stymphalius Aeneas centurio, quendam conspicatus corporis ornamentis insignem, currentem ut se deijceret, prehendit ut retineret: at ille & hunc in præceps traxit, atq; ita ambo è summo saxo collapsi, unà interierunt. In eo uerò loco homines sanè pauci, asini ac boues quamplurimi capti sunt. Hinc Græci discedentes septimis castris M. paß. CC. itinere, in Chalybas peruenerunt, gentem omnium ad quas uenerint fortißimam, quæq; manus conferere nõ dubitarit. Hi linteis loricis ad imũ usq; uentrem muniebãtur: pro plumulis, arctè contortis sparteis funiculis utebantur. Ocreas ijdem & galeas habebant: de zona sicula pendebat instar Laconici cultri: ea, quos in potestatem redegissent, iugulabant, ac præcisis capitibus, cum ijs se ad suos recipiebant. Hi quoties in eum locum ueniissent, unde se conspici posse ab hostibus putarent, cantu & saltatione lætitiam præ se ferebãt. Hasta utebãtur longa ad cubita XV. unica præfixa cuspide. Græcis quidem præ-

Spectaculum uisu horrendum.

tereunti-

tereuntibus, intra oppida se continebant, deinde tergum pugna lacessebant: partim etiam in castella se receperunt, quò cibaria omnia concluserant: quare ex toto eorũ agro nulla Græcis cibaria suppeditarũt. Pecudibus tantũ alebantur, quas à Taochis abegerant. Hinc elapsi, ad Harpasum fluuium peruenere, cuius latitudo nihilo erat minor quàm pass. LXXX. Progressi deinde per Scythinorum campos pass. LXXX. M. quatridui in uicos proximos, ibi triduum frumentandi causa commorati sunt: quo ex loco, quatridui, pass. LXXX. M. confectis, ad urbem uenerunt opulentam ac celebrem, cui nomen Gymnias. Huius regionis præfectus ducẽ ad Græcos misit, qui eos per hostilem agrum duceret. Hic cùm in Græcorum castra uenisset, sẽ eos in eam regionem ducturũ pollicitus est, è qua proximis illis quinq; diebus mare essent uisuri: id nisi præstitissent, nihil deprecaturũ, quin se occiderẽt etiam ducẽ. Ingressus postea hostium suorum fines, igni ferroq; omnia Græcos uastare iubebat: ex quo apparuit, illorũ odio, non Græcorũ beneuolẽtia, tam æquũ illum se præbuisse. Quinto uerò ipso die in sacrũ montem Græci peruenerunt, cui Teches nomen. Hic cùm in mõtem, qui in principijs agminis erant, iam ascendissent, mari cõspecto clamorem sustulerunt, quo Xenophon, quiq; in tergo erant perculsi, ueriti sunt ne hostes agmen à fronte inuasissent, quandoquidem & à tergo, ab incensis uillis multi urgebant, è quorũ numero nonnullos extremi agminis custodiæ occiderant, nonnullos item ex insidijs uiuos ceperant, ac scuta fermè XX. hirtorũ boum recenti corio contecta eripuerãt. Iam uerò cum increbuisset clamor, & insequentiũ ad primos, qui clamassent, concursus fieret, ac cò uehementior cla-

mor fieret, quantò iam plures cum clamore aſcendiſſent: enimuero Xenophonti ea res minimè contemnenda uiſa eſt, quãobrem ſtatim in equũ aſcendit, aſſumptoq; Lycio cum equitatu, auxiliũ laturus accurrit: cum autem propius acceſsiſſet, intellexit militũ eam uocem eſſe, mare, mare iterantiũ, ac ſe mutuò cohortantium. Iam eôdem triarij accurrebant, eôdem iumenta atq; equi agebãtur. Cùm uerò in ipſo iugo iam omnes conſtitiſſent, collachrymãtes præ gaudio, duces ac centuriones ſe mutuò amplectebantur. Milites alacres, incertum cuius iuſſu, lapides in unum congeſſerunt, ac ſuggeſtu extructo, in eo corio intecta ſcuta, ſudes, cratitios item, quos hoſti eripuerant, clypeos collocarunt, quæ dux ipſe concîdit, atq; ut alij itidem facerẽt, hortatus eſt. Tum ducem Græci datis cõmuni impẽſa donis, remiſerunt. Dona fuerunt equus, phiala argentea, ornatus Perſicus, Darici ad hæc X. in primis quos ille cupidè petierat, à militibus priuatim annulos complures accepit: ac uico monſtrato, quo diuerſuri eſſent, mõſtrata item uia, qua in Macronas iter facerent, cùm iam adueſperaſceret, noctu iter facturus, à Græcis diſceſsit. Ipſi triduo XL. M. paſs. confectis, in Macronas peruenerunt. Primo uerò die ad fluuium uenere, qui Macronas à Scythinis diuidit. Macrones regionem dextram tenent, quippe quæ eſt aditu difficilior: ad læuã alium amnem habent, in quem is qui eos à Scythinis diſiungit, influit: & utrunque Græcis traijcere neceſſe erat. Poſterioris alueus arborib. non illis quidem denſis, ſed craſsioribus ueſtitus erat: quas arbores: quò celerius poſſent è loco infeſto euadere, Græci ſtrauere. In aduerſa ripa conſtiterant acie Macrones cum cratitijs clypeis, lanceis, & è ſetis contextis tunicis, qui ſe mutuò

tuò cohortati, lapides in flumen cõtra Græcos mittebant: uerũ longiore interuallo, quàm ut quenq̃ omnino attingere potuerint. Ibi è peltatorũ numero unus ad Xenophon temuenit: is se Athenis quidem seruitutem seruisse dixit, iam uerò suam se patriã ex hominũ uoce agnoscere, ac cupere, nisi quid uetaret, cum illis colloqui. Impunè, inquit Xenophon, colloquere, & ab his primùm quære quinam homines sint. Quod cùm ille quæsisset, ac se illi Macronas esse respondissent: Quære, inquit, rursus, qua re commoti arma nobis inferãt. Ad quæ illi respõderunt, quoniã priores uos fines nostros inuaditis. Tum responderi duces iusserunt, non ut ullis uos damnis afficerent, sed ad mare contendunt, in Græciã redituri. Tunc illi rogarunt, nunquid ita futurũ, fide data sibi uellent cauere? Quinimò & dabitur, & à uobis fidem, Græci responderunt, non inuiti accipiemus. Tum Macrones Barbaricã lanceam Græcis dedêre, Græci illis Græcã. Sic enim illi fœdera patrio ritu sanciebant: deos quidem utriq; suos attestati sunt. His ita actis, Macrones Græcis permissi, arbores cædere, ac uiæ ut illi celeriter traijcerent, impedimenta tollere: mercatus præterea pro copijs suis, potestatem facere: quin triduo etiam homines deduxerũt, quoad scilicet eos in Colchorum montibus collocarunt. Ibi mons fuit magnus quidem, sed non insuperabilis, uerùm in eo Colchi acie occurrerunt. Qua re animaduersa Græci, primum in phalangem contracti, aduersum montem subire uoluerũt. Deinde ducibus de communi consilio statuere, quæ pugnandi ratio optima futura esset. Tum Xenophon censuit omissa phalange per directos manipulos ascendendũ. Nam cùm modò faciliorem, modò uerò difficiliorem ascensum, propter

Fœdera sanciendi mos.

mõtis anfractus, offensuri simus, necesse, inquit, fuerit phalangem statim interrumpi: quæ res cõfestim nostrorũ animos franget, cùm ita se scindi uidebũt. Huc accedit, quòd si densa phalange hostes adorti fuerimus, illi tanto numero superiores, quacunque in parte maluerint, numero suo utentur: sin laxiore, nihil mirum acciderit, si phalanx nostra cum telorum multitudine, tum hominum undecunq; irruentium impetu, cõcidatur: neq; poterit id uspiam euenire, quin phalanx uniuersa male multetur. Verùm optimum fore arbitror, si cùm totum agmen in manipulos descripserimus, tantum spacij occupemus, ut extremi quiq; manipuli, citra utrunq; hostium cornu sint. Nam præterquam quòd utrinq; manipuli nostri extra hostilem phalangem erũt, atq; eò minus circũueniri poterunt: simul et illud erit commodi, quòd nostrũm lectissimi quiq;, quà se uia æquior ostendet, ea manipulos in ardua erectos ducẽt. Neque uerò facilè hostibus fuerit, aut in id spacij, quod in medio relictum fuerit, irrumpere, obsistentibus utrinque manipulis, aut recta acie procedentes ordines cædere. Quòd si cui manipulorũ negocium facessetur, proximus quisq; opem feret: neq; omnino, si uel unus in iuga potuerit euadere, quisquã hostium locum suum retinebit. Huic reliqui assensi sunt, ac primùm rectos manipulos constitue runt. Xenophon cùm à dextro in læuũ cornu excurrisset, his uerbis milites alloquutus est: Soli iam, inquit, homines hi quos uidetis, nobis impedimento sunt, quò minus, quò iampridem contendimus, perueniamus. Hos, si quo modo possimus, uel crudos uoremus oportet. Iam suo quisque loco constiterant, ac manipulos in rectam aciem direxerant, qui omnes fuere numero circiter LXXX. militum

litum centenûm singuli. Peltatos uerò & sagittarios trifariam diuiserunt, alios sinistrum, alios extra dextrum cornu, alios item in media acie collocarunt. In singulis partibus homines propè DC. His ita constitutis, prætores milites ut deos precarentur, hortati sunt. Tum peractis sacris, uotis nuncupatis, citato pæane, iter ingressi sunt. Chirisophus & Xenophon cum peltatorum globo extra phalangem hostium se continebant. At Barbari ubi eos conspexerunt, obuiam uenere: cumq; in dextrũ & læuum cornu se scidissent, multum est in medio spacij relictum. Illos Arcadici peltati, quibus præerat Aeschines Carnensis, cùm uidissent in diuersa abeuntes, fugere arbitrati, cursum uehementissimè incitarunt: atq; hi primi in montem ascenderunt, quò Arcadum grauis armatura consequuta est, cui Cleanor Orchomenius præfuit. Hostes cùm semel terga uertere cœpissent, nusquam constiterunt, quin alius in aliã partem diffugerent. At Græci iugo potiti, in proximis uicis, qui multi modicis interuallis se obtulerunt, atq; hi quidem rerum omniũ copijs abundantissimi, castra posuerũt. In ijs cætera usitata: sed quod miraculo fuit, apum multa fuerunt aluearia, fauis refertissima: ex ijs quicunq; ediſſent, statim mente commouebantur, ijdemq; & uomebant, & excernebant, neq; stare omnino quisquam poterat. Ac qui minus ederant, temulentis similimi reddebantur: qui plus aliquanto, furentibus: multi etiã moribundis. tam multi autem iacebant, ut ab hostibus fusi uiderentur: quæ res effecerat, ut planè omnes animum desponderent. At postero die eadem ferè hora, qua fuerant eo calamitatis genere affecti, resipiscere cœperunt. Tertio deinde, ac quarto, ut hi solent qui medicamentum potarint, se erexe

runt. Hinc progreßi, biduo M. paß. XXVIII. cõfectis, ad mare tandem peruenerunt, ac Trapezuntem græcam urbem intrarunt, celebrem illam quidem, in Euxini ponti littore, Sinopensium coloniam, in Colchorum finibus sitam. Hic statiua XXX, ferè dies in ipsis Colchorum agris habuerunt, quos etiã hostiliter populati sunt. Mercatus Trapezuntij copiam fecere, ac Græcos hospitaliter acceperunt, donis etiã hospitalibus datis, bubus, farina, uino. Pro Colchis autem finitimis suis, qui campos incolunt, deprecati sunt: à quibus sunt item dona missa. Ac boues Græci Ioui Seruatori, & Herculi mactarũt, pro felici ductu gratiam referentes, alijs item dijs uota nũcupata. Quin & in eo ipso monte ubi castra habebant, Gymnicos ludos fecere, quibus præesse uoluerunt Dracontiũ Spartanum, qui domo exulabat, quòd puer adhuc, imprudẽs puerũ Laconico cultro percussum occiderat: hunc cursibus ac reliquis ludis præfecerunt. Ac sacris quidem peractis, uictimarũ coria ei tradiderunt, ac ut locum designaret, iussere, qui maximè ad cursus idoneus esset. Tum ille locum, in quo tunc constiterant, monstrans: Est hic, inquit, tumulus ubi certent cursu, qui uelint, pulcherrimus. Atqui, dixerunt nonnulli, quæ erit in tam aspero, ac syluoso solo luctandi ratio? Optima, inquit ille: quòd qui deiectus fuerit, uehementius dolebit. Eo ipso igitur in loco pueri quamplures captiui stadium decurrerunt: longius curriculũ Cretenses amplius LX. In primis lucta, cæstus & pancratium, pulcherrimum spectaculũ præbuere. In quibus certaminum generibus, magna fuit inter athletas (ut par est, spectantibus socijs) æmulatio. Equi etiã decurrerunt, sui quos sessores cogebãtur è superiore loco, per declivia usq; ad mare agitare,

agitare, atque inde reflexos, per ardua ad aram, ubi carceres. Multi deorsum agitantes, proni deuoluebãtur, sursum autem uix lentè uadebant, quos clamoribus, risu, cohortationibus etiam spectatores prosequebantur.

XENOPHONTIS DE CYRI MINORIS EXPEDITIONE LIBER quintus, Romulo Amasæo interprete.

EXPOSITA sunt in superioribus cõmentarijs, quæ Græci in regis fines duce Cyro progressi, gesserint: quæ item dum ad mare se reciperent, usquequo Trapezuntem Græcam urbem, quæ ad Euxinum pontum sita est, peruenere. Iam uerò concione aduocata, cùm de reliquo itinere deliberarent, surrexit primus omnium Antileon Thurius, atq; in hunc modum uerba fecit: Ego uiri fortißimi, satis mihi diu uideor, uasa colligendi, iter pedibus faciendi, currendi etiã, arma portandi, ordinem tuendi, excubandi, pugnandi, laborem sustinuisse: quo iam penè confectus, cupio cùm ad mare tandem peruenerimus, quod reliquum est itineris classe conficere, ac iam perfunctus laboribus, cubans, uti olim Vlysses, atq; adeò dormiens in Græciam appellere. Hæc cùm milites audissent, admurmuratione eius orationem comprobarunt: neq; quisquam omnino ex ijs qui aderãt, non ei assensus est. Tum surgens Chirisophus: Amicus mihi, inquit, sanè est Anaxibius, cui classis his in regionibus imperium obtigit: ad eum si me miseritis, spero cum triremibus, atque ijs nauigijs quibus auehi posßitis, me ad uos rediturũ. Vos interim, quando nauigare uobis in animo est,

his ipsis in locis, quantisper ad uos redeo, expectate: ac certè redibo quamocyßimè. His illi auditis, uehementer gauisi sunt, ac scitum fecerunt, ut quamprimum ille nauigaret. His ita constitutis, surrexit Xenophon, ac Chirisophus quidem, inquit, ut nobis nauigia adducat, dimittitur, nos hic cõmorabimur: quæ uerò interea pro tẽpore à nobis negocia susci oporteat, ipse exponã. Primùm ab hostili nobis terra cõmeatus cõparandi sunt: neq; enim hoc, quo nunc utimur, forum satis prolixum est, aut uænalium rerum, præterquam paucis, copia suppetit. Et uerò si in agrum hostilem nostri ociosius atque incautius excurrerint, illud nempe in metu est, ne quamplurimi opprimantur. Cum præsidio igitur, ac certo constantiq; ordine exeundum censeo, atq; ita, ne quoquam erretur, quin salutis extet ratio. Ac nos quidem, qui cæteris præsumus, in medium consulere debemus. Cùm essent omnes assensi: Et illud, inquit, considerandum arbitror: nostrum nonnulli ad prædam exeunt. Quanto uerò fuerit posthac rectius, ut nobiscum, qui exire uelint, id communicent, & quò ituri sint, indicent: ut cùm & qui manserint, & qui item profecti sint, constiterit, reliquos cogere, & ijs qui exierint, si res postularit, opem ferre poßimus, cùm præsertim incertum non fuerit, in quam illi partem excursiones fecerint. Ac si qui imperitius quid attentarint, consilio eos iuuabimus: atq; ut uires copiasq; eorum, contra quos ierint, exploratas habeamus, operam dabimus. Ad hæc & illud uidendum, quòd hostes à nobis prædas agere possunt. neque iniuria nobis illi insidias faciunt: eorum enim res nos habemus. superiores certè illi loco sunt. Optimum itaq; factu fuerit, ut dispertiti, uicißim castrorum custodias obeamus:

mus: sic enim fiet, ut illis de improuiso nos adoriri non liceat. Simul & illud uelim cogitetis: quòd si nobis liqueat Chirisophum cum nauigijs, quamobrem profectus est, ac quãmultis opus est, redituru, nihil sit necesse me quæ iam dicturus sum, dicere. At quia id incertum est, fuerit certè cõmodissimũ, ut ex huius loci opportunitate, quàm possimus plurima nobis nauigia cõparemus: etenim si sua ille adduxerit, tantò certè his additis, nobis plura suppeditabunt: sin illa nobis præstò non fuerint, his utemur. Animaduerto autẽ multa nauigia præteruehi: quæ si acceptis à Trapezuntijs longis nauibus cõprehendamus, eaq; detractis gubernaculis, quot nobis sat sint, custodiamus, certè de uectura nihil nos oportebit solicitos esse. Et hæc nihilo minus, quàm quæ antè dixerat, sancita sunt. Quid autem, inquit, an non est ratio ineunda, ut quos nautas detinuerimus, eos quoad nobiscum manserint, communi impensa alamus, suamq; ijs mercedẽ, ut cum quæstu à nobis discedant, pendamus? In hæc itidem ab omnib. consensum est. Subiecit Xenophõ: Quòd si nauigia, quot nobis opus foret, colligere non possimus, imperandum utique censeo maritimis ciuitatibus, ut uias, quæ difficiliores uideantur, nobis muniant: atq; illæ quidem partim metu, partim uerò quòd nos quamcelerrimè cupiant è suis finibus discedere, imperata facient. Hic uehementer est ab omnibus reclamatum, nihil sua interesse uias muniri, quòd nauigandum omnino esset. At ille cùm milites intelligeret præ nauigandi cupiditate, à recto consilio aberrare, nihil sanxit, uerùm ciuitates inuitas coëgit, ut uias munirent: sic enim fore ut celerius multò ex illis locis discederent. Tum naues remorum quinquaginta à Trapezuntijs ac-

ceperunt: ei Laconicum Dexippum, qui tum illis in locis domicilium habebat, præfecerunt. At is nullis nauigijs captis, cum naui extra pontum perfugit, neq; multò post dignas scelere pœnas pendit: nam cum in Thracia, apud Seuthen regem nescio quid nouarum rerum moliretur, est à Nicandro Laconico interemptus. Acceperunt item Græci à Trapezuntijs triginta remorum nauem, cui Polycrates Athenienſis præfectus est. Hic quascunq; naues cepit, in castra subduxit: è quibus quæ ad uidendum idoneæ uisæ sunt, ijs amota armenta, & custodes adhibiti, reli quis ad quotidianas traiectiones utebantur. His ita gestis, prædatum exierunt: ac fuerunt quidem, quibus res ea bene processerit, alij qui nihil omnino profecerint. Cleænetus cum cohortem suam, & ex alijs unam eduxisset, loci iniquitate ab hostibus circũuentus, cum magna agminis parte perijt. Iam uerò cũ non esset unde ex tam proximo loco cõmeatus comparari possent, ut eadẽ die frumentatores ac pabulatores se possent in castra recipere, Xenophon à Trapezuntijs acceptis ducibus, exercitus dimidiam partẽ in Drilas eduxit: reliquũ in castrorũ præsidijs esse uoluit. Nam Colchi sedibus suis pulsi in unum cõuenerant, & montium iugis occupatis, de superiore loco in castra impetũ facturi uidebantur. At Trapezuntij Græcos non deduxerunt in ea loca, unde sine multo negocio commeatuũ potiri potuissent, propterea quòd amicos lædere noluerunt. In Drilas uerò alacriter duxerũt, à quibus grauiter uexari soliti erant, in montana & ardua loca, & aduersus eos, qui bellicis artibus Ponti cæteros accolas longè anteibant. At Drilæ ubi hostem in finibus uidere, uicis omnibus atq; oppidis, quæ facilè expugnari posse putarunt, exustis,

exustis, statim migrarunt: neq; ad prædam Græcis quicquam est relictũ, præter paucos sues, boues, atq; alia pecoris genera nounulla, quæ ignis uim effugerant. Ipsi in suarum urbium maximã ac munitissimã, undecunq; confluxerunt. Erat ea accessu difficilima, quippe quæ prærupto alueo obstructa erat. Hic peltati, cùm grauem armaturã V. uel VI. stadijs præcurrissent, conspectis gregibus, atq; item copijs multis, alueum superarunt, ac proximè ad oppidum accesserunt. Eos hastati multi, qui frumentatũ exierant, secuti sunt. Fuerunt qui tunc alueum traiecerunt ad bis M. Qui castellum frustra capere conati (erat enim lata fossa incinctũ, & in ulteriore aggere sudes præfixi, ligneæ uerò turres in ambitu multæ) pedem referre uoluerunt, uerum oppidani à tergo urgebant. Nostri igitur cũ euadere non possent, quòd nõ plures quàm singuli in alueum descendere poterant, ad Xenophontẽ, qui graui armaturæ imperabat, miserunt, qui nunciaret castellum omnibus copijs refertissimum esse: uerũ neq; capi posse, neq; sine maximo periculo retrocedi, propterea quòd & hostes eruptionẽ fecissent, & uia difficilimos exitus haberet. Quæ cùm audisset Xenophon, ad alucũ suas copias duxit, ibi grauem armaturã iussit consistere. Ipse cum centurionibus traiecit, ac loci naturam situmq; speculatus, animo aliquãdiu incerto fuit, eósne reuocaret qui transierãt, an uerò eos etiã iuberet traijcere, quos in ulteriore aluei ripa reliquerat. Illud quidẽ certè dubiũ non erat, nõ posse sine multa suorum cæde discedi, nisi oppido potiti essent. Posse autẽ expugnari, & centuriones existimabant, & ipse extorũ significationibus adductus, illis assentiebatur: aruspices enim prædixerãt pugnã, uerũ qualem optarẽt.

exitum fore. Centuriones igitur, ut grauem armaturã adducerent, remisit. Ipse interea cetratos in unum locũ coëgit, atque illis, ut se à iaculatione continerent, edixit. Vbi uerò grauis armatura adfuit, centuriones iussit centurias quenque suas non alia forma instruere, quàm qua eas ad pugnam aptissimas fore iudicaret. Erant enim cum eo hi omnes centuriones, inter quos perpetua fuerat de uirtute æmulatio. Cùm centuriones paruissent, tum peltatos cum amentatis telis procedere iussit, ut dato primùm signo, iaculari possent. Sagittarios item cũ applicatis ad neruum sagittis, quò simulac significatum esset, sine mora telum in hostem dirigerent. Ad hæc, uelites iussit lapidibus scorteos uidulos refertos habere: dimisit autem idoneos homines, qui hæc ne negligerentur, curarent. His ita cõstitutis, centuriones, succenturiones, quiq; illis uirtute nihilo deteriores ut uiderentur, laborabant, in acie consiterũt ac se mutuò intuebantur: erat enim pro loci natura aciei species pulcherrima. Pæane autem citato, cùm tubæ cecinissent, martium clamorem uniuersa grauis armatura sustulit, ac cursu in hostem contendit: eodemq; impetu missilia, spicula, sagittæ è fundis, è manibus etiam quamplurimi emissi lapides: fuerunt etiam qui accensas faces intulerint. Ibi hostes præ telorũ multitudine turres ac uallum deserere coacti. Quo factum, ut Agasias Stymphalius, & Peleneus Philoxenus, armis abiectis, cum tunica in oppidum ascenderint, atq; ex eo alius alium eôdem pertraxerit, multi suo per se nisu ascenderint, ac planè captum esse oppidum uidebatur. Peltati equidem, & leuis armatura huc illuc concursantes, quæ poterant diripiebant. At Xenophon cùm ad portas constitisset, quoscũq; poterat grauis armaturæ milites

milites aditu prohibebat: hostes enim in arduis superiorũ montium iugis alij cõspecti fuerant. Interea intra mœnia clamor exortus, quòd qui ad rapinas cupidius concurrerant, partim abiecta præda, partim etiam acceptis uulneribus fugiebant, ac se ita, ut in fuga fit, trepidãtes, in ipsis portarum angustijs trudebant. E quibus cùm causa fugæ quæreretur, responsum est, ex interiore quadam arce magnum hostium numerum in palantes impetum fecisse. Ibi Xenophon Tolmiden præconem iussit pronunciare, ut qui iam uellent quid capere, arbitratu suo introirent: tum certatim omnes irrupêre: quo impetu egredientes reiecti sunt. Hostes in arce cœpti obsideri: quæ extra arcem reperta sunt, direpta omnia, atq; exportata. Grauis quidem armatura partim ad uallum, partim in uia quâ in arcem iter erat, in armis consedit. At Xenophon cum centurionibus de arce capienda cõsultabat: una hæc enim se ostendebat salutis spes, neq; erat non difficilimum alia ratione euadere. Hîc rebus omnibus circunspectis, planè statuerunt arcem eam expugnari nullo pacto posse: quare cùm uniuersum agmen ad discessum spectaret, propugnacula ad quæ quisq; confederat, demoliri cœperunt. Iamq; minus ad agendam prædam idoneos, & magnam grauis armaturæ partem emiserant, & eos duntaxat quorum uirtute plurimùm confidebant, centuriones in præsidijs collocarant, cùm repentè magnus hostium numerus cum uimineis scutis, hastisq;, ocreis, ac Paphlagonicis galeis, ex insidijs eruptiõe facta, domos eas occupauit, quæ in utraque eius uiæ parte erant, quæ ad arcẽ ducebat. Neq; uerò nostris tutum erat eos inuadere sub ijs portis, quibus arx imminebat, illi enim magnas trabes deijciebant: erat itaq;

& profectio, & manſio periculoſa. Nox in primis terrorem afferebat. Noſtris autem nõ pugnantib. magis, quàm quid in ancipiti loco deprehenſi agerent dubitãtibus, deorum neſcio quis, ſalutis uiam monſtrauit. Ex ijs enim ædibus quæ in dextera uiæ parte erant, unæ ſubitò igni correptæ ſunt, neq; unde is immiſſus eſſet, apparuit: qui quidẽ eò irruperant, ſtatim dilapſi ſunt. Res fortuita Xenophonti ſalutare cõſilium attulit, quandoquidem è re nata, læua in parte quæ erant ædes, omnis incendi iußit: quod ſanè celeriter factum eſt: erant enim domus illæ omnes ligneæ. Atque ea quidem etiam pars ab hoſtibus confeſtim relicta eſt: ſoli iam metuebantur, qui in fronte erant, in ipſis uiæ faucibus: neq; dubium erat, quin ſimulac noſtros exeuntes iam, ac deſcendentes conſpexiſſent, à tergo urgerent. Iubet hic Xenophon cos qui ab hoſtibus telis peti non poſſent, undecunq; ligna in eum locum, qui medius relictus erat inter Græcorum agmen & hoſtes, comportare, atq; ubi ſatis multum iam lignorum comportatum, ignem ſubijci, ac proximas etiam circa uallum ædes comburi, quò ſcilicet hoſtes medijs ignibus intercluderentur. Hac ratione è difficili loco uix euaſerunt. Oppidum totum, arce excepta, & quicquid domorũ fuit, eo arſit incendio. Poſtero die Græci cõmeatibus onuſti receſſerunt. Cùm Trapezuntem redeundũ eſſet, ne in deſcenſu maximè decliui & anguſto ab hoſtibus urgerentur, metuebant. Quare ſimulatis inſidijs, hoſtem eludendum ſibi putarunt. Suſcepto igitur negocio, Myſus quidam & patria & nomine, aſſumptis quatuor aut quinque Cretenſibus, in condenſo loco ſubſedit, quaſi hoſtem ex inſidijs inuaſurus. Illorum uerò peltæ, è diuerſis partibus cùm æreæ eſſent, coruſcabant. Qua

ſpecie

ſpecie hoſtes territi, noſtros perſequi auſi non ſunt. Interea noſtrorum agmen deſcendit. Myſus ubi nihil iam eſſe amplius ſimulatione opus intellexit, ſignum ſuis dedit, ut quammaximè poſſent, citato curſu fugerent: & ipſe ſimul è latebris erumpens, & qui cum eo erant, ſe in fugam dedere. Alij, cũ ſe ne hoſtis curſu aſſequeretur metuiſſent, de uia diſcedentes, in ſyluam quampiam ſe è proximis ſaltibus deuoluerunt, atq; ita ſeruati ſunt. Myſus fugiens, de uia ſuis clamabat, ſibi ut opem ferrent. Neque illi non præſtò fuerunt: ſaucius Myſus intra ſuos receptus eſt, & qui opem tulerant, cùm de ſuperiore loco telis grauiter uulnerarentur, pedem retulerunt. Fuerunt & è Cretenſibus nonnulli, qui ſagittas in hoſtes miſerint. Poſtremò cuncti incolumes in caſtra redierũt. Ibi cùm neq; rediſſet Chiriſophus, neq; naues, quammultis opus erat, in promptu eſſent: nec commeatus unde ſibi compararẽt iam haberent, diſcedendũ ſibi ſtatuerunt. In nauis itaq; ægros omnes, & XL. annis maiores, impuberes, & mulieres, ac impedimentorum quicquid minus uſui futurum uidebatur, cùm impoſuiſſent, atque ei claſſi de prætoribus natu maximos Phileſium & Sophænetum præfeciſſent, reliqui omnes pedibus, quà erat iam uia munita, profecti ſunt. Triduo quidem Ceraſuntem, quæ ad mare Græca urbs eſt, Sinopenſium colonia, in Colchorum finibus, peruenerũt. Hîc dies X. permanſerunt: per quos totius exercitus cenſu habito, cenſa ſunt armatorum octo M. DC. Hi è decem ferè millibus reliqui fuere: cæteri partim ab hoſtibus cæſi, partim niuibus ac morbo conſumpti. Hic etiam pecuniam de captiuis collectã partiti, eam quæ decimæ nomine aut Apollini, aut Epheſiæ Dianæ uota fuerat, conſecrandam præ-

tores acceperunt. Chirisophi partem, Neon Asinæus accepit. Xenophon primùm de manubijs donum Apollini Delphico in Atheniẽsium thesauro dedicauit, suo & Proxeni, qui cum Clearcho occiderat, hospitis sui nomine, inscriptum. Deinde cum ex Asia cum Agesilao in Europam aduersus Bœotios traijceret, ac prælij aleam, quod ad Coroneam factũ postea est, sibi subeundã intelligeret, quam Dianæ debebat pecuniam, eam apud Megabyzum deæ ædituum deposuit, pactus ut eam ille sibi redderet, si belli periculũ effugisset: sin aliter cecidisset, ex ea, ut quod doni genus iudicasset deæ gratißimum fore, dedicaret. Quare cùm Xenophon exularet, ac Sciluntem migrasset, quod oppidum Lacedæmonij coloniam non longè ab Olympia deduxerant, ita fortè accidit, ut Megabyzus ad Olympiam spectandi gratia ueniens, Xenophonti depositum redderet. Ea pecunia Xenophon, ubi oraculum iußit, agrum mercatus est: cum agrum Sellenus fluuius præterfluit. Et sanè eodem nomine fluuius Ephesi, propter Ephesiæ Dianæ templum fluit, ac uterq; pisces & conchas alit. Hic autem uicus, quem Sciluntem appellatum diximus, ferarum omnium quæ indagine capiuntur, copiam habet luculentam. Templum Xenophon et aram ex eadem pecunia erexit. Sacrum deæ è decumis fructuũ eius agri, qui quauis anni parte perciperẽtur, faciebat. Dies festi ciuiũ ac finitimorũ cum uirorum tum fœminarum frequentia celebrabantur. Ipsa quidem dea conuenis suis frumenta, uina, stipes, bellaria administrat. Ad hæc ijsdem ratam ex torum, & uenationũ partem elargitur. Nam Xenophon, eiusq; liberi, atq; item ciuium multi, ac deniq; ex quocunque hominũ numero, qui uellent, dies aliquot in uenationi

bus, ad nundinarum copiam augendam, consumebant. Capiuntur autem cũ è sacro agro, tum uerò ex Pholoë, quæ non longè abest, apri, capreæ, cerui. Locus is ea in uia est, quâ itur à Lacedæmone in Olympiã: longè abest ab Olympij Iouis stad. non amplius XX. In eo saltus & montes sunt arboribus condensi, ubi sues, oues, capellæ, equi etiã latissima habent pascua: ac inde pastiones eorum qui ad sacra uehuntur, ueterinis largissimè suppeditãt. Incingitur ædes luco promiferis arboribus conuestito, in quo nullum desit pro suæ tempestiuitate escariorum fructuum genus. Templum ipsum ut parum magno, Ephesiæ Dianæ templo simile est. Deæ etiam signum, quod cupressinum est, ab aurei illius similitudine, sola recedit materia. Ante templum pila erecta est, in qua incisæ literæ, Sacrum esse Dianæ agrum. Qui possideat, atque ex eo fructum capiat, annonæ decimam illum deæ soluere, reliquum in sarta tecta conferre oportere: deam ipsam, qui se fraudarit, uindicaturam. Sed ut unde digressa est oratio, reuertatur, à Cerasunte ea pars exercitus, quæ iam antè naues conscenderat, mari, reliqui pedibus iter fecerunt. Atque hi quidem cùm in Mosynœcorum fines uenissent, Timesitheum Trapezuntium illorum hospitem præmittunt, qui ex illis quærat, malint'ne Græcos tanquam amicos, an uerò tanquã hostes in fines ingredi. At illi nihil id sua interesse responderunt, quippe qui locorum situ maximè confiderent. Tum Timesitheus Græcos docet, esse his cum eiusdem nominis populis, qui in ulteriore ponti littore essent, perpetuum bellum: quare commodissimum Græcis uisum est fore, si cum illis belli societatem coniunxissent. Ad eos itaq; cum Timesitheo duces ueniũt: ad quos Xenophon eodem

Timesitheo interprete, in hunc modum uerba fecit: Nos Mosynœci, pedibus in Græciam contendimus: neq; enim classe possumus, cùm naues præstò non sint. Atenim uia nobis ab ijs, qui uobis etiam (sic enim audimus) hostes sunt, intercluditur. Potestis igitur, si uelitis, uobis nos socios asciscere, atq; illos, uos unquam si iniuria affecerunt, ulcisci, ac in posterum cogere, in uestra ut sint potestate. Quòd si præsentem conditionem respueritis, uidete ne tanti postra exercitus opem desideretis. Ad hæc, qui summum in Mosynœcis magistratum gerebat, sibi probari ea quæ ille dixisset respondit, neque ullam in se firmandæ societatis moram futuram. Tum Xenophon: Qua, inquit, in re opera nostra usuri estis, cùm socios nos uobis asciueritis? aut in uiæ difficultate superanda, quid in auxilio uestro spei nobis positum esse potest? Nos, illi inquiunt, in communium hostium fines, altera ex parte, facilè inuadere possumus: itemq; uobis in castra homines & naues mittemus, qui & in pugna, cùm opus fuerit, socij, & in uia duces esse poterunt. Atque his quidem conditionibus, fide data utrinque, & accepta, societas inita est. Postero die Græci ad suos redierunt: quos lintres CCC. sequuti, in singulis terni homines: è quibus duo descenderunt, ac se in Græcorum ordines cum suis armis inseruere: singuli cum singulis nauigijs domum reuersi sunt. At qui remanserant, in centurias, quasi totidem in choros descripti, quadratum agmen, ueluti in quincuncem direxerunt. Læua manu cetram alborum boum hirtis corijs intectam, hederacei folij forma, dextra iaculum tenebant cubitum sex: in cuius summa parte cuspis erat, ima pilæ formam habebat. Tunicis induti tam densis erant, quàm sunt lectorum cul-

culcitræ, eæ ſummis genibus terminabantur: galeis coriaceis capita munierant, quales ferè Paphlagonicæ ſunt, in quarum uertice ſpirula in tiaræ modum eminebat: ijdem uerò & ferreas habebant ſecuriculas. Ex his cùm unus progredi cœpiſſet, cum cantu cæteri, in numerum ingredientes, eum per Græcorum medios ordines atque arma ſequuti ſunt: ac rectà quidem in hoſtes profecti, ad caſtellum quoddam oppugnandi cauſa, qua parte id facilimè capi poſſe uidebatur, acceſſerunt. Erat id ante urbem eam, quæ regia Moſynœcorum appellabatur, quæ fuit imperij quaſi arx: quam qui tenuiſſent, facilè toto Moſynœcorum imperio potiri poſſe uidebãtur. Eam urbem aiebant ſocij non iure, ſed ui ab hoſtibus occupatam teneri, cùm antè communis imperij ſedes eſſet, ac eius maximè præſidio fretos, totius ſibi gentis dominatum uindicaſſe. Sequuti illos ſunt è Græcis etiam nonnulli, non illi quidem à ſuis ducibus inſtructi, ſed prædæ cauſa. Neque uerò ſe hoſtes prius mouerunt, quàm noſtros uiderunt ad caſtellum quam proximè acceßiſſe. Ibi eruptione facta, cupidius progreſſos in fugam uertunt: de Barbaris quamplurimos, de ijs etiam qui cum illis aſcenderant Græcis, aliquot trucidant: neque antè inſequi deſiterunt, quàm Græcos animaduertere ad opem ſuis ferendam accurrere: tunc quidem retroceſſerunt. Cæſorum uerò, quæ dedita opera abſciderant, capita, Græcis ac gentilibus ſuis, ſaltantes ac patrio ritu carmina modulantes, oſtentabãt. Enimuero Græci caſum hunc moleſtißimè tulerunt, tum quòd hoſtes elatos ſequundo rei euentu intelligebant, tum quòd fugam fecerant, qui illos comitati fuerant Græci, ac tam quidem multi cùm fuiſſent, quod in tota expeditione atque itinere

non antè cõtigerat. Hîc Xenophon Græcos in unum conuocat, atq; his eos uerbis affatur: Nihil est milites, quamobrem casu inopinato perculsi, animis deficiatis: quin uos ea ex re, quæ tam præter animi sententiam accidit, plus multò commodi, quàm mali extitisse existimare debetis. Primùm enim satis liquidò perspicitis, eos qui duces nobis itineris futuri sunt, reuera hostili esse in hostes nostros animo. Deinde, qui neglecto ordine imperioq; nostro, se Barbaris in pugna pares futuros confisi sunt, hi re infeliciter gesta, cùm temeritatis suæ pœnas dederint, exemplo cæteris esse possunt, non esse ullo pacto à præscripto ordine discedendum. Agitè igitur uiri fortissimi, ita uos comparate, ut socij uos multò se quidem meliores esse intelligãt: hostibus uerò planum faciatis, cum alijs iam sibi uiris negocium esse, quàm hi fuerint, quos nuper omisso ordine, quasi palantes fuderint ac cæciderint. Hæc ille. Exercitus uerò cunctus reliquum eius diei quieti dedit. Postridie sacris peractis, ac corporibus curatis, cùm iam pulcherrimè lita tum esset, prætores ita agmen instruxerũt, ut Græcorum manipulis in dextro, Barbarorum in læuo cornu collocatis, aciem dirigerent: sagittarios inter directos manipulorum ordines disponerent, ita tamen, ut eos paululũ grauis armaturæ frons antecederet. Etenim expeditos hostium milites, quò minus excurrentes in nostros lapides mitterent, oppositis sagittarijs & peltatis coërcendos putarunt. Hi igitur anteibant, reliqui pedetentim promouebant: ac primùm in eum ipsum locum uentum est, unde pridie eius diei Barbari, & qui se cum illis coniunxerant, pulsi fuerant. Eo in loco hostes acie constiterant. Qui cùm primam peltatorũ impressionem acriter pugnantes sustinuissent,

nuissent, graui deinde armatura propius accedente, terga dederunt. Eos peltati fugientes, in aduersum montem insequuti sunt, usq; ad urbis ipsius mœnia, cùm interea seruato ordine grauis armatura succederet. Ibi in unum congregati hostes, pugnam instaurarunt, ac sparos, & prælongas, ac tam ualidas hastas cùm haberent, ut eas singuli homines haud facilè tractare posse uiderẽtur, ijs cominus pugnare conabantur. Atenim cùm Græci non modò nihil cederent, sed alacrius etiam urgerent, hinc etiam deserto præsidio hostes effusissimã fugam fecere. Eorum rex ipse, quem illi in eminentissimo urbis loco publicè alebant, è suis præsidijs deduci uiuus non potuit, neq; hi etiã qui in castello inferiore deprehensi sunt. Quare fuerunt omnes cum suis domibus, quas è lignis extructas, Mosynos appellant, igni cremati. Græci dum omnia diriperent, cellas inuenere patrio more ædificatas, panibus in frusta diuisis refertissimas, quem penũ annonæ superioris esse Mosynœci dixerunt. Hornas etiam fruges cum ipso culmo cõditas, inter quas zeæ magnus numerus fuit. Præterea in amphoris è delphinorũ carnibus salsamenta, atq; eorundem adipem in testis, quem illi ad usus eosdem, ad quos oleũ Græci, reponere consueuerãt. Iuglandium magna est reperta in tabulatis copia, atq; hæ forma erant q̃ uulgares latiore: nucleus nullo erat ligneæ mẽbranæ diuortio interseptus. His multo cum frumento coctis utebantur. Vinum etiam non defuit: uerùm eiusmodi erat, ut si quis merum biberet, acidum penè præ nimia austeritate uideretur: iam uerò dilutũ, saporis esset & odoris suauissimi. Græci cum cibo refecti essent, urbe socijs Mosynœcis tradita, profecti ex eo loco sunt. Ac dum iter facerent, hostilia oppida, quæ

difficiles acceſſus non habere uiſa eſſent, præteribant: ea tamen ſocij occupare non negligebant. Caſtella quidem paßim per eos montes ſtad. LXXX. plus minus, interuallo interſe diſtabant: & ſanè ultro citroq; miſſæ uoces utrinque exaudiri poterant, quod efficiebat non ſolum ædita, ſed crebris etiam uallium ſinibus concaua regio. Iam uerò cùm in ſociorum fines ueniſſent, oſtentabant illi diuitum ac beatorum parentum liberos optimè curatos, non alio tamen cibo, quàm elixis nucibus enutritos. Corpore eos quidem molliſſimo & candidiſſimo, propemodum æquè craſſos atque longos, quorum & terga & pectora Anthemij flore picta, crebrisq; notis diſtincta erāt. Viri ipſi, eorum quæ caſtra ſequebantur ſcortorum congreſſus appetebant, neque patriæ mos, quin propalàm cupiditati ſuæ obſequerentur, prohibebat. Par erat moribus ac fœminis corporum candor. Atque hos proculdubio omnium ad quos ueniſſent, maximè Barbaros, atque à Græcorum moribus uiuendi ritu diſſidentes, milites noſtri iudicarunt, cùm in frequentiſſima celebritate ea facere nihil uererentur, ad quæ homines ſolitudinem ac latebras quærere conſueuerunt: quin & ea, quæ cum alijs euntes facere ſolent, ſoli faciebant: ſecum loqui, ridere, ſubſiſtere, atque ubicunque libitum eſſet ſaltare, & quidem eo geſtu, ut alios indicare uiderentur. Inter has gentes Græci partim per hoſtilem, partim uerò per pacatum agrum manſionibus octo ad Chalybas peruenerunt. Infrequens ea gens, & ſub Moſynœcorum imperio, omnes ferè ſibi è ferri metallis uictum comparant. Hinc ad Tibarenos uenere, quorum eſt ager campeſtris maximè. In eo caſtella aliquot ad mare, parum ſanè munita. Hîc

duces

duces in animo habuerunt, ad ea hostiliter accedere, quò præda exercitus calamitates leuarent. Quare missa à Tibarenis dona non statim acceperunt, ac sibi cõsultandum, ijs qui ea attulerant, responderunt, accipienda essent nec ne. Cæsis autem hostijs, dijsq; per exta consultis, monuerunt uates, belli eius susceptionem deos minimè approbare. Donis igitur acceptis sicut per pacatum agrum bidui ad Cotyorum, Græcam ciuitatem, Sinopensium coloniam, in Tibarenorum tamen finibus sitam, peruenerunt. Ad hunc usque locum Græcorũ exercitus, ab eo prælio quod ad Babylonem factum est, dum ad mare descenderent, uiam confecerant Persica dimensione parasangarum DC. & XX. Græca uerò, stadiũm decies octies mille uiginti: Mansiones fuere CXXII. in quibus menses octo consumpti. Cotyori dies XLV. commorati, primùm sacra dijs persoluere, deinde in gentes Græcas descripti, pompas traduxere, ludos Gymnicos fecere. Commeatus interea partim è Paphlagonia, partim è Cotyoritanorum pagis sibi comparabant: illi enim neque in fòro mercatum præbebant, neque ægros intra mœnia recipiebant. Dum hæc aguntur, Sinopenses, cùm uehementer metuerent ne quid Cotyoritanorum ciuitas detrimenti caperet, præsertim cùm agrum uexari, ac populationibus infestum reddi intelligerent, ac non modò ad suam fidem atque officium putarent pertinere, à se oriundam ciuitatem tueri: sed propemodum etiam uectigalia sua, quæ illis ea ciuitas pendebat, agi uiderent, legatos deprecandi causa ad Græcos mittunt. Hi cùm in castra uenissent, Hecatonymus, qui unus ex illis erat, uir dicendi laude clarus, huiusmodi oratione usus est: Nos ô milites, Sinopensium

ciuitas huc misit: primùm, ut uos merito laudum honore afficiamus, propterea quòd multis uictorijs à uobis declaratum est, quantùm uirtute Græci Barbaris antecellant. Deinde, uobis ut ex animo gratulemur, quòd è difficilimis rebus grauissimisq; casibus sospites huc euaseritis. Quod reliquum est, pro ea quæ nobis uobiscum intercedit Græci nominis communione, petimus, ut malitis beneficio nos deuinctos habere, quàm iniuriæ ullo genere lacessere. Neque enim uobis nos priores unquam quicquam incommodi importauimus. Cotyoritani, in quorum nunc finibus commoramini, à nobis in coloniam deducti sunt, à nobis ademptum Barbaris agrum acceperunt: proq; nobis uectigal, eodem quo Cerasuntij & Trapezuntij iure pensitant. Quare non possunt hi ullam à uobis calamitatem accipere, quin ea in nos etiam ipsos redundet. Ac nunc de uestro exercitu nonnullos audimus, per uim in oppidum ingressos, in ipsis ædibus castra habere: & è proximis pagis quicquid usui sit, inuitis dominis auferre. Hæc à uobis deprecamur. Quòd si nihil profecerimus, cogemur certè & Corylan & Paphlagonas, & quodcunque potuerimus hominum genus, societate nobis atque amicitia adiungere. Cùm finem dicendi ille fecisset, surrexit Xenophon, atque ita pro cunctis militibus loquutus est: Nos enimuero Sinopenses, non male nobiscum actum existimamus, quòd uita duntaxat, armisq; seruatis, huc euadere potuerimus. Commeatus & quæ usui futura erant cætera, quibus cum hoste tam sæpe congrediendum esset, aut portare aut trahere nullo pacto potuimus. Atenim cumprimum græcas urbes attigimus, foro eo usi sumus, cuius nobis à Trapezuntijs copia facta est: neque alieni quicquam sine precio

cio sumpsimus. Et sanè pro eo, quem nobis habuerunt, honore, proq; hospitalibus, quæ ab illis accepimus, donis, gratiam illis retulimus. Nam & eorum amicis pepercimus, & quammaximis potuimus detrimentis' hostes affecimus, illos nempe quocunque nos duxere sequuti. Quæras autem de ipsis licet, quales erga se nos fuerint experti: adsunt enim, quos ipsa nobis ciuitas publicè, pro amicitia nostra duces dedit. Nos quidem, quoties hi ad quos uenimus, commeatus nobis non dederunt, ut ab egestate nos atque inopia uindicaremus, undecunque potuimus, nihil interesse putantes, Barbarorum, an ne Græcorum fines essent, quæ nobis usui fuerunt, sumpsimus. Neque uerò Carduchos, Chaldæos, ac Taochos: bellicosos illos quidem, & feros populos, qui nec ipsi regi parent, aliam ob causam ad arma contra nos capienda impulimus, quàm quòd cũ ab illis non præberentur quæ ad uictum erant necessaria, ea nos inuitis eripere cogebamur. At Macronas, quòd nobis quod habuerunt forum, expositum, & apertum esse uoluerunt, pro amicis habuimus, neq; quicquam ab ijs ui abstulimus. Quòd si nunc à Cotyoritanis, quos in officio ac potestate uestra esse dicitis, aliquid sumpsimus, ipsi in culpa fuerunt, qui tantum abfuit, ut nos amicos agnouerint, ut clausis portis, neq; nos intromiserint, neq; extra muros quicquam quod emere possemus, miserint: cuius rei causam ipsi in ducem uestrum conferunt. Quòd uerò querimini, per uim nos esse in oppidum ingressos, ac in ipsis domibus castra habere: nos certè rogauimus, ut ægros tantùm reciperent intra mœnia: quibus cùm illi portas non aperirent, quid in eos aliud per uim fecimus, quàm quòd ea ipsa parte irrupimus, quâ nos illi non admittebant? Ae-

gros in eorum ædibus collocauimus: at illi suo se sumptu alunt. Ad portas præsidium constituimus, nempe ne sint ægri nostri in prætoris uestri potestate, atq; ut arbitratu nostro tollere eos possimus. Cæteri, ut uidetis, omnes sub diuo tabernacula habemus, ordines tuemur, arma in prõptu sunt, quò scilicet & ijs qui de nobis bene mereantur, gratiam referre, & qui nos lacessierint, ulcisci possimus. Quòd uerò interminatus es, Corylæ Paphlagonum præfecti, uobis contra nos auxilia non defutura: si necesse fuerit, & uobiscum, & cum illo pugnabimus, quandò cum maiore, multis quidem partibus hostium manu aliquando belli fortunam experti sumus. Atqui neque nobis ad Corylæ societatem erit aditus intercluſus: eum etenim audimus ad maritimam oram, & ad agrum urbemq; uestram animũ adiecisse. Huncigitur nihil impediet, quin eum nos ad ea quæ expetit, occupanda iuuemus. Hæc Xenophon. Hecatonymo uerò, quòd esset acerbius loquutus, iraſci se collegæ eius, non obscurè significabant. Atq; hic ex ijs unus in medium procedens: Non bellum, inquit, indicturi huc uenimus, sed potius ad amicitiam uos, atq; hospitium inuitaturi. Ac si Sinopen ueneritis, uos certè intra mœnia recipiemus: nunc socijs imperabimus, ut quarũ possint rerum uobis copiã faciant. Veram enim omnem orationẽ uestram fuisse iudicamus. Post hunc sermonem, & Cotyorita ni dona hospitalia ad exercitum misere, & Græci duces legatos mensæ suæ adhibuerunt, ubi multa quæ res tẽpusq; postulabat, colloquuti sunt: Græci de reliqui itineris tota ratione quæsierunt. Vtrinq; ea interrogata sunt, quæ ex usu cõmodoq; essent. Atq; his sermonibus dies exemptus. Postero die, conuocatis in unum militibus, duces de toto itinere

itinere, legatis præsentibus deliberant. Etenim si pedibus iter faciendũ esset, cõmodissimum fore putabãt illos duces habere: sin classe traijciendũ, solos eos esse, à quibus quantum toti exercitui sat esset, nauigiorum accipere possent. Vocatis itaque legatis, ad eos rem, de qua agebatur, retulerunt: atque eos rogarunt, ut Græci cùm essent, sibi item Græcis, beneuolentia atq; optimè consulendi studio, quæ certissima amicitiæ pignora, ne deessent. Surrexit ibi Hecatonymus, & à purgatione exorsus, se quæ de Paphlagonibus adiungendis dixisset, non eò sic ecta esse dixit, ut bellũ Græcis minitaretur, uerũ ita illa accipi uoluisse, cùm Barbarorum amicitia uti possent, illam se Græcorum causa facilè neglecturos. Iam uerò quòd me, inquit, de uestro itinere consulitis, deos omnes contestor ac precor, si uobis quod optimum duxero consiliũ dedero, multa mihi ut ex uoto eueniant: sin aliter, aduersa ut mihi sint omnia. Deuoui me iam, inquit, atq; hoc quidem est, quod sacrũ consilium dicitur. Nam si is fuerit, quẽ opto, consilij mei euentus, mihi omnes gratiam habebitis: sin aliter ceciderit, è uobis certè non deerunt, qui me diris persequantur. Equidẽ illud nihil dubito, si nauibus proficiscamini, curam nobis nõ paruam suscipiendã, ut sit uobis parata classis. Quòd si pedibus iter facietis, uestro uobis marte, cũ ijs qui se opposuerint, erit præliandum: dicam tamen quæ uobis arbitror conducere. Mihi & Paphlagonum regio tota, & populi opes notæ sunt. Regio ipsa & campis pulcherrimis, & altissimis montibus prædita est: ac primũ aditus habet difficilimos, inter montes diuisa, in duo quasi cornua: uia maximè ardua, hac utiq; ingrediamini necesse est. Quòd si eas fauces pauci homines obsederint (neq; est enim mul- Paphlagoniæ situs.

tis opus) illis inuitis, quantæcunq; copiæ fuerint, penetrare non poterunt. Atque id ita se habere ex ipso loco ostendam, si quem de uestris eô mecum miseritis. At si in campos descenderitis, ibi equitatum offendetis, quem hostes regio equitatu multò meliorem ducunt: atq; eo maximè confisi, nuper euocati à rege, non sunt ad eum profecti, quin & maiores spiritus habet eorum princeps. Quòd si uel clàm penetraueritis, uel priores angustias occupaueritis, ac ipsos in cãpis equites prælio uiceritis: pedestres etiam eorum copias, quarum numerus nihilo est minor, quàm hominum centena, & amplius uiginti millia, fuderitis, ad flumina certè uobis perueniendum fuerit, atq; ad Thermodontẽ primùm, cuius latitudo cùm sit paß. LX, quàm facilè eum traijcere uobis liciturum sit, hostibus præsertim & à fronte resistentibus, & à tergo urgentibus, non est profectò difficilè existimare. Ad Irin deinde, cuius eadem omnino latitudo est: tum ad Alyn, qui cùm stadia ipsa duo, quà latus est, pateat, hunc certè sine nauibus nunquã transmittetis. Nauium uerò ecquisnam uobis copiam facturus est? Iam uerò Parthenius, ad quem uenietis, si Alyn traieceritis, nihilo is certè quàm hi, quos ante nominaui, facilius transiri potest. Ego mehercule his omnibus de causis terrestre iter, non modò difficiles exitus habiturũ, sed planè intercluſum uobis fore arbitror. Quòd si nauibus proficiscamini, primùm Sinopen appelletis, illinc Heracleam: ab Heraclea, siue classe, siue pedibus reliquum itineris conficere malitis, neutra uobis facultas defutura est, cùm ea ciuitas nauium luculentam sanè copiam habeat. Hæc cùm ille dixisset, non defuerunt qui uel Coryl æ gratia, cuius hospes erat, uel precio adductum, ita loquutum

quutum suspicarentur: existimarunt alij cauisse illum Sinopensium agris, ne scilicet detrimentis afficerentur, si Græcorum copiæ per eos transirent. Quæcunq; tamen ei in dando consilio mens fuerit, sciuerunt certè Græci suffragio suo mari cundum esse. Tum Xenophon: Sinopenses, inquit, milites nostri uestram in deligendo itinere autoritatem sequuti sunt: sed hæc quidem decreti nostri summa est: Si nobis ea fuerit nauium copia, ut nec unum relinqui necesse sit, classe utemur: sin aliqua nobis exercitus pars relinquenda est, naues neutiquam conscendemus: satis est enim illud nobis persuasum, integris copijs ubiuis gentium, neque commeatus nos desideraturos, neque de salute in dubium uenturos. Quòd si hostibus fuerimus inferiores, necesse certè fuerit tanquam mancipia, illorum nos imperata facere. Hæc cùm illi audissent, ut his de rebus ad ciuitatem suam legatos mitterent, hortati sunt. Missi sunt Callimachus Arcas, Ariston Athenienſis, Samolas Achæus, ac hi cum Sinopensibus profecti sunt. Interea Xenophon cùm in Græcorum copias intueretur, grauem armaturam sanè amplam, cetratos multos, multos item sagittarios ac funditores, equites præterea qui propter longiorem in Ponto commorationem, ex locorum peritia, ad res gerendas aptiores essent: ac planè intelligeret, non posse talem exercitum parua pecunia in posterum Græcis comparari: optimum factu duxit, eo tempore, eisq; copijs, uti ad Græcorum opes augendas, ac coloniam quampiam deducendam. Quam neque paruam fore putabat, cùm ad Græcorum numerum è Ponti accolis multos accessuros existimaret. Qua de re cùm per exta deos cõsulendos putaret, prius quàm quid in ani

mo haberet, cum quoquam de suis communicaret, ad Silanum Ambraciotem uatem, quo Cyrus usus fuerat, totam cogitationem refert. Ille enim uero, qui metueret ne hæc fierent, & alicubi remaneret exercitus, quò Daricos ter mille à Cyro olim acceptos, propter illam de X. diebus prædictionem, adhuc incolumes in patriam deportaret, quod de Xenophōte audierat, profert: addit Xenophontem gloriæ, potentiæq; suæ studentem, uelle ut exercitus in Ponto maneat. Hæc ille. Ex militibus uerò erant sanè multi, qui præ se ferrent, putare se non alienum id fōre rationibus suis: sed multò maior pars totum cōsilium repudiabat. Timasion quidem Dardanensis, & Bœotius Thorax cum mercatoribus quibusdam Heracleoticis ac Sinopensibus congressi, illis denunciant, fore ut, nisi exercitui stipendium eorum ciuitates pendant, & commeatus classi curent, omnes Græcorum copiæ in Ponto maneant. Illud enim, inquit, consilium init Xenophon, atque in eam ut nos sententiam adducat, operam dat: ac cùm iam naues præstò fuerint, sic nobiscum opinor aget. Iam Græci neque commeatus, neque nauales copias amplius desideramus. quid igitur? Nihil omnino iam impedit, quin aut domum redeuntes, nostros quibus rebus potuerimus, iuuemus, aut nouas nobis in quauis Ponti parte, quamlatè in ambitum patet, sedes deligentes, in his ipsis locis maneamus: quare me quidem autore, uel domum, qui uelit, abeat: uel maneat, qui suis ita conducere rationibus arbitratur. Naues certè, quo uobis cunque contendendum statueritis, iam non sunt defuturæ. Hæc ubi mercatores audierunt, ad suos deferunt, & cum illis unà Timasion Dardanensis, Erymachum itidem Dardanensem, & Thoracem

cem Bœotium mittit, ut ijsdem de rebus eas ciuitates doceant. Re audita, Sinopenses & Heracleotæ per nuncios agunt cum Timasione, ipse negocium ut suscipiat: atq; ei pecuniam se, ipsius arbitratu, daturos spondent, ubi primùm classe exercitus proficisci cœpisset. Id ubi ille accepit, in militum conuentu ita loquutus est: Nihil necesse est, milites, de mãsione cogitare: quid enim tanti est, quod pluris quàm Græciam facere debeamus? Atqui audio esse, qui hac ipsa de re deos per exta consulant, ac nihil ad uos referant. Ego uerò uobis, si hinc solueritis, ab ipso mensis initio polliceor Cizycenum unum, menstruum stipendium singulis: & uos quidem in Troadem deducam, unde sum in exilium pulsus: ibi ex mea uobis patria multa suppetent commoda: neque enim inuiti me ciues mei recipient. Deducã etiam uos in ea loca, è quibus pecuniam sanè multam cogere poteritis. Nulla enim est mihi uel Aeolidis, uel Phrygiæ, uel Troadis, totius denique Pharnabazi imperij ignota pars, neq; ob id magis, quòd in illa sum natus regione, quàm quòd in ea Clearcho & Dercyllidæ stipendia feci. Tum Bœotius Thorax, cui perpetua fuerat cum Xenophonte de principatu contentio, hoc amplius addidit: si è Ponto semel exissent, in eorum potestate Chersonesum, pulchram illam & opulentam regionem futuram, in qua uel consisterent, uel domum si ita mallent, quam facilimè se ex ea conferrent. Ridiculum uerò esse, cùm in ipsa Græcia agrum maximum & fructuosissimum possidere possent, ad Barbarorum fines spectare. Ego, inquit, etiam ipse, cùm eò perueneritis, uobis perinde ac Timasion, ac quantum ille, stipendium polliceor. Atq; hæc ille fidenter dicebat, quòd quæ Heracleotæ, ac Sinopenses Timasioni

promiserant, si ut exercitus è Ponto discederet effeciſſet, non ignorabat. Hactenus Xenophon tacitus hanc in se concitatam inuidiam tulerat. Sedenim cùm Phileſius & Lycon Achiui conſurrexiſſent, & graue ſibi uideri affirmaſſent, quòd cùm eſſet Xenophon antè priuato conſilio ad manendum milites adhortatus, ac ea etiam de re diuinam rem feciſſet, neque quid in animo haberet ad exercitum retuliſſet, eundem iam neque in præſentia pro concione quicquam purgandi ſui cauſa agere. Hîc ille criminoſis eorum uocibus coactus ad dicendum ſurrexit, atque hunc in modum loquutus eſt: Ego milites pro uestra meaq; ſalute, non deſino deos per ſacra conſulere, ac precari, ut quæ in mentem uenerint aut dicere, aut facere, ea uobis cunctis, mihiq; bene ac feliciter eueniant. Atque hoc ipſo tempore ob id ipſum ſacra feci, ut extis monentibus intelligerem, utrum eſſet ſatius, uobiſcum ea de re agere, quæ mihi in mentem uenerat, an uerbum omnino nullum facere. Enimuero Silanus aruſpex conſulenti mihi reſpondit, bona, quod caput eſt, exta eſſe: ſciebat enim non eſſe me omnino eius rationis, quæ ad exta pertinet, ignarum, quippe qui ſacris multum intereſſe conſueuerim. Tantum dixit, occultos in meipſum dolos, atque inſidias ſignificari: rectè ille quidem, qui iam cogitaret criminando me apud uos, in inuidiam uocare. Diuulgauit enim ſermonem, me hæc iam facere, cogitare, ſine uestra ſententia. Ego uerò ſi uos in difficultate uiderem eſſe, illud diſpicerem qua ratione fieri poſſet ut urbe capta, nauigaret qui uellet: qui uerò nollet, id tum demum faceret, cùm eas ſibi copias comparaſſet, quibus ſuos quiſque facilè iuuare poſſet. Verùm cùm mitti uobis ab Heracleotis & Sinopen-

nopensibus naues uideam, & certos esse homines, qui stipendiũ uobis polliceantur ab ipso mensis initio, nihil fieri posse arbitror elegãtius, quàm si incolumes in patriã restituti, cum ipsa incolumitate mercedem etiam accipiamus: ac ipse quidem pristinam cogitationem meam missam facio, & planè ijs omnibus qui me hac de re conuenerunt, dico missam esse faciendam: sic enim statuo, quoad uester iste exercitus integer fuerit, neque gloriam uobis, neque ullum commodorum genus defuturum. In uictoria est enim eorum bonorum, quæ in hostium antè potestate fuerant, uindicatio. Quòd si hæ copiæ dilabantur, comminuanturq;, neque uos arbitror commeatuum compotes futuros, neque satis honestè ex his locis discessuros. In Græciam igitur primo quoque tempore classe contendendum censeo: ac si quis hic manserit, aut suos deseruerit, antequam uniuersum agmen in pacatis tutisq; locis constiterit, hostis illum loco habendum. Hæc qui sua sententia rata esse uelit, manum tollat: manum cuncti sustulerunt. Hic Silanus aruspex reclamare, ac docere uelle, ius fasq; esse unicuique, quocunque uellet, à reliquis discedere: sed enim est eius oratio omnium militum clamore interpellata, qui sunt etiam homini interminati, se in illum acriter animaduersuros, si fortè fugientem retraxissent. Heracleotæ ubi compertum habuere, de discessu scitum factum esse, nauigia miserunt illi quidem: de pecunia uerò quam in exercitus stipendium Timasioni ac Thoraci promiserant, planè à fide data desciuerunt. Quare inopinata re perculsi, qui in eam spem milites adduxerant, metuere cœperunt, ne quis ab irata multitudine in se impetus fieret: quod periculum cùm deuitare uellent, assumptis ijs

ducibus, quibus cum res fuerat antè cõmunicata (qui planè omnes erant, præter Neonem Asinæum, qui absente Chirisopho subrogatus fuerat) ad Xenophontem ueniunt: Mutasse se aiunt sententiam, iamq; nihil consultius Græcis fore arbitrari, quàm si intra Phasin nauibus ingressi, Phasianorum agrum occuparent. Regnabat tunc in Phasianis Aeëtæ filius. Ad hæc respondet Xenophon, se non esse hac de re cum exercitu amplius acturum: ipsi, si ita uideretur, militibus in concionem uocatis agerent. Timasion Dardanensis negat se pro concione ea de re uerba facturum: sed centuriones suos quenq; conuenturum, daturosq; operam ut singillatim eos in hanc sententiam adducant: quod sanè ut re ipsa efficerent, elaborarunt. At milites iam hæc agi cognorant. Et Neon Xenophontem criminari, quòd duces in suam sententiam induxisset, ac iam illis assentiëtibus Græcos decipere meditaretur, quos non in Græciam, sed intra Phasis ostia deducturus esset. Id enimuero milites iniquissimo animo ferebant, ac cœtus iam fieri, & militum circuli: ex quo nonnihil erat metuendum, ne in duces uim facerent, neque alio penè modo quàm antè in Colchorum caduceatores, & annonæ præfectos, è quibus qui ad mare confugere non potuerunt, lapidibus obruti sunt. Quod ubi sensit Xenophon, non expectandum ratus usquedum tumultuose ultro concurrerent, milites in concionem conuocandos putauit. Dimisso itaque præcone uniuersos adesse iussit. Ac illi sanè simulatque denunciatum est, cupidissimè conuenerunt. Hic Xenophon duces qui se cõuenerant, nõ accusans: Audio, inquit, milites, nonnullos esse, qui me apud uos in inuidiam rapiant, cùm dicant operam me dare, ut intra Phasin uos dolo

dolo circumuentos deducam. Audite nunc me, per deos immortales uos obtestor, ac deinde si me scitis decretisq; uestris fraudem ullam facere iudicaueritis, nihil deprecor, quin antequam è uestro conspectu discedam, de me supplicium sumatis. Sin eos, qui me criminantur, planè cognoueritis id dare operam, ut me per calumniam euertant: illos ut dignum est tractate. Neminem omnino uestrûm esse opinor, qui ubi sol oriatur, atque ubi idem occidat, ignoret: aut qui non planè norit, eos qui in Græciam nauibus eant, ad occasum nauigare: contrà uerò ad ortum, qui in Asiam contendant. Ecquis obsecro in re tam perspicua uobis imponat, persuadeatq;, & ibi oriri solem ubi occidit, rursusq; occidere qua in parte oritur? Atqui & illud scimus omnes, aquilones in Græciam, austrum ad Phasim nauigantibus sequundum esse. Nam & inter uos illud crebrò usurpatur, flare nunc aquilonem: nauigia si parata essent, uehi uos in Græciam sequundissima tempestate posse. Quis igitur tam ad fallendum callidus & paratus, ut soluatis austro flante uos inducat? At uos tunc nimirum conscendere iubebo, cùm à uentis fuerit tranquillum mare. Atqui non pluribus ego nauibus quàm unà uehi possum, & uos ut minimum singulas naues in cohortes descripti occupabitis, quî posim igitur uos cogere, ut inuiti me sequamini? Sed esto, decepti à me, & quasi præstigijs quibusdam circumuenti, Phasidis ostia unà mecum intretis: quid cùm iam descenderimus? ex ipso regionis habitu non intelligetis credo, non esse eam Græciam. Ibi unus ero qui uos decepero: uos uerò decepti, ad X. millia hominum armati: & posim ego existimare me uobis meritas pœnas non daturum? aut in quem unquam

animaduertetur, si non in eum, qui ita sibijpsi, ac uobis simul male consuluerit? At sunt, mihi credite, hi sermones non stultorum magis, quàm inuidentium, quòd uident mihi à uobis honorem haberi: quo sanè nomine non iure mihi illi inuident. Cui enim ego obsisto, quò minus aut quæ rectè sentiat, liberè dicat: aut pro uobis, si uelit, pugnet: aut postremò res uestras uigilantia studioq; suo tueatur? Iam uerò cui ego aduersor, quin imperium suffragio uestro consequatur? Per me quiuis imperet licet, modò ut appareat antiquissimam illi uestrorum esse commodorum rationem. Atq; hæc quidem mihi contra maleuolorum crimina dicta sint. Quòd si quis uel se decipi iudicat, uel aliũ quemuis, prodeat, & uos apertè doceat. Nunc cùm de his satis, non antè uobis censeo discedendum, quàm quæ nuper acciderunt, cognoscatis: quæ si latius, uti cœperunt, serpserint, uobis primo quoque tempore salutare quodpiam consilium ineundum existimo, ne flagitiosissimi omnium ac turpissimi reperiamur, ac in deorum atque hominum, neque magis hostium, quàm amicorum offensionem incurramus. Hæc cùm audissent milites, quidnam hoc esset admirati, rem ut explanaret rogarunt. Hic rursus Xenophon: Scitis, inquit, in Barbarorum hisce montibus uicos esse in Cerasuntiorum fide, è quibus ad nos certi homines descendere, & uictimas uendere, atque alias huiusmodi res, quibus ipsi abundarent, soliti fuerant. Vestrùm etiam existimo nonnullos in proximum uicum aliquando nundinandi causa uenisse. Id cùm Clearatus centurio animaduertisset, ac planè uideret uicum cum & paruum esse, & nullis firmatum præsidijs, quòd à nobis incolæ nihil plus, quàm ab amicis metuebant, noctu, cùm nihil nostrùm cuiquam

quam ea de re dixisset, eò diripiendi spe impulsus contendit. Statuerat autem si uicum cepisset, neutiquam amplius in castra redire: sed cùm eius contubernales naui fortè proximum littus legerent, in eam præda omni imposita, è Ponto aufugere: atque eius consilij ijdem, quod nunc demum intelligo, contubernales participes erant. Quoscunque igitur potuit ad facinoris societatem adducere, cum ijs ad uicum oppugnandum perrexit. Sedenim cùm non potuisset ante lucem eò peruenire, patefactis insidijs, tota ea uicinitas ad propulsandam iniuriam concurrit, ac de superiore loco missilibus ac gladijs nostros reiecterunt: è quibus & Clearatum, & ex eius cohorte non paucos occidêre, multi Cerasuntem confugêre. Atque hæc eo ipso die gesta sunt, quo nos pedibus huc mouimus. Erant ex ijs qui adnauigabant nonnulli, qui Cerasunte nondum soluerant: cùm interea, quemadmodum Cerasuntij narrant, ex eo uico uenere legati tres de natu maximis, ad exercitum nostrum à suis missi: quem cùm illic non offendissent, apud Cerasuntios mirari se planè dixerunt, quid ita nobis in mentem uenisset sibi bellum inferre. Eos se docuisse aiunt Cerasuntij, non esse id commissum publico consilio: ac illos cùm id audissent lætatos, fuisseq; ad nos nauigaturos, ut de tota re nos docerent, atque ut cadauera, si reperissemus, ad sepulturam concederent. Id cùm resciscent, qui paulò antè ex illa clade Cerasuntem aufugerant, obseruato legatorum itinere, & ipsi priores in eos lapides iecerunt, & alios ut iacerent incitarunt. Tris itaque legati, grandes iam natu, lapidibus obruti sunt. Hæc cùm ita se haberent, ueniunt ad nos Cerasuntij, ac rem totam renunciant, omnes quidem duces uehementer commoti su

mus. Interea uerò dum de Græcis sepeliendis consultantes, cum Cerasuntijs extra præsidia nostra staremus, de improuiso ad aures tumultuosissima uox perfertur clamantium, cæde, cæde, iace, iace: ac simul multos incursantes uidemus, quorũ partim lapides iam arripuerant, partim humo tollebant. Cerasuntij nempe, qui quæ paulò antè apud se acta erant, adhuc quasi in oculis ferebant, cum trepidatione & cursu ad naues confugiunt: & planè ex nobis etiam fuerunt, qui nonnihil metuerent. Ego ad illos tamen accedens, quid rei esset quæsiui. Quorũ multi planè quid agerent nesciebant, cùm lapides tamen manibus tenerent: nactus tandẽ hominem rei nõ ignarum, ex eo audio, ab annonæ præfectis exercitũ iniuriosissimè tractari. Atque interea Zelarchum, qui è præfectis annonæ unus erat, quidam ad mare confugientem conspicatus, magna uoce cæteris signum dedit: uniuersi uerò, nõ aliter quàm aprum aut ceruum uenatores solent, hunc sunt insequuti. At Cerasuntij in se impetũ fieri arbitrati, cùm illos uiderent aduersum se currere, statim terga uertentes, nõ prius à cursu destiterunt, quàm se in mare abijcerent, quô & de nostris nonnulli irruerunt, ac planè omnes qui minus natare sciebant, periere. Quid autem eos peccasse putatis? id sanè metuerunt, ne illi in se quasi in canes rabie incitati ruerent. Quòd si in his conniueamus, facilè existimare potestis, qui sit status futurus uniuersi exercitus. Penes uos certè non erit amplius, aut suscipiendi contra quos uelitis, aut ubi uisum fuerit, finiendi belli autoritas: sed priuato consilio quilibet, quocunq; uoluerit copias ducet. Ac si qui populi ad nos, uel de pace, uel quauis alia de re legatos miserint, eos erunt qui antè opprimant, quàm quid afferant cogno-

cognoscere possimus. Ad hæc, duces uestris omniũ suffragijs creati, nullo loco erunt. Qui uerò seipsum ducem legerit, ac uocẽ ullam usurparit, iace, iace, is nostrùm quem uis, siue ducem, siue gregarium militem nactus, si modò sint qui ei pareant, ut nunc accidit, indemnatum de medio tollet. Ac nunc quid sit actum ab hisce, qui se autoritate sua duces crearunt, considerate. Zelarchus annonæ præfectus, si quid in uos commisit, impunè abiens iudicium subterfugit. Sin uos ille nihil omnino læserat, ueritus ne paucorum impetu sine ullo iudicio opprimeretur, fuga saluti suæ consuluit. Iam uerò qui legatos lapidibus obruerunt, nos planè solos è Græcis Cerasunte excluserunt, nisi fortè armis irrumpere conemur. Nam quod ad nostrorum cadauera attinet, quæ illi ipsi, qui cædem fecerant, ultro nos tollere ad sepulturam iubebant: ea certè, ne caduceum quidem præferentibus, repetere satis tutum futurum est. Quis enim ad illos audeat cum caduceo uenire, quorum caduceatores occiderit? At nos Cerasuntios ut cæsos sepelirent rogauimus. Hæc igitur rectè ne, atque ita uti ius fasq; sit gerantur, uos existimate. Nam si ita uisum fuerit, priuatim sibi quisq; ab hac hominum insolentia cauebit, ac quocũq; uenerit, ut superiore ac munitiore loco tabernacula habeat, operam dabit. Sin ferarũ hos esse mores, non hominũ statuitis, cogitare debetis quæ sit futura huius licentiæ coërcendæ ratio optima. Nam, ut nunc res est, quî aut rem diuinam facere bona cum spe, qui deorũ fidem ac religionẽ tam impiè ac nefariè uiolauerimus: aut cum hostibus alacriter ac fidenter pugnare possumus, qui nostros tam crudeliter opprimamus? Vel quæ nos ciuitas recipiet, cùm nostra fuerit omnibus testata immanitas? Et

quis nos iam ad forum suum admittet, quos rescierit nulla uerecundia absterritos, quin socios grauissimis iniurijs affecerimus? Postremò neque laudem opinor amplius, cuius fuimus semper maximè appetentes, ullam consequemur: quis enim talibus unquam hominibus laudis ullum genus impertiatur? Nos certè, satis scio, improbos ac sceleratos appellaremus, quos huiuscemodi culpæ affines fuisse intelligeremus. Hìc omnes una uoce acclamarunt, in autores animaduertendum, atque in posterum uidendum, ne quis impunè facinus susciperet, ac quicunque susceptisset, fraus ut ei capitalis esset. Iudicium his de rebus ac de omnibus iniurijs, quæ à Cyri interitu ad eum usque diem factæ fuissent, à ducibus ut constitueretur. Iudicãdi potestas centuriombus permissa est. Ad hæc, Xenophontis hortatu, atq; ex aruspicum responsis, placuit exercitum lustrari. Lustratio facta est, tum ut duces præteriti totius temporis rationem redderent, decretum est. Atque in ea reddenda, Philesius & Xanticles repetundarum damnati, quòd è Gaulitica pecunia, quam seruandam acceperant, minas XX. suppilassent, tantundem rependerunt. At Sophænetus quòd dux declaratus, munus recusasset, X. minis multatus est. Iam uerò Xenophontem erant nonnulli qui iniuriarum arcesserent, se ab eo pulsatos crimini dantes. At ille eum, qui primus id obiecerat, id primùm rogauit, quonam in loco se cæsum quereretur. Quo in loco, respondit ille, frigore penè exanimati, ac niue plurima oppressi fuimus. Enimuero in tanta hyemis, inquit Xenophon, quantam ipse prædicas, asperitate, cùm & cibaria deessent, ac ne tantum quidem uini haberemus, ut uel ipso eius odore recreari possemus: huc adde tam multis de nostrorum

numero

numero iam fractis labore, & propè confectis, hostibus ue rò assiduè urgentibus: eo, inquam, tempore, si quem iniuriæ ullo genere lacessiui, non possum non confiteri, uel asinis me atrociorem esse, quos præ atrocitate laborem sentire negant. Verùm dic quæso, quid me ut te cæderem impulit? De tuó ne quid petij, quod quia non dederis, te pulsarim? An meum quid repetij? An de amoribus mihi fuit ullum tecum certamen? An uerò uinolentus in te bacchatus sum? Horum cùm ille nihil in causa fuisse respondisset, rursus Xenophon: Quid, inquit, tu in graui ne armatura, an inter cetratos fuisti? Neutrum, respondit ille: sed contubernalium iussu, quanquam liber sum, mulum agebam. Hìc illum agnouit Xenophon: Ac tu, inquit, ille es qui ægrotum hominem auehẽdum susceperas? Quid ni? tu enim cogebas, respondit ille, qui contubernalium etiam meorum impedimenta dissipasti. Et cuiusmodi fuit, inquit Xenophon, dissipatio? Diuisi alijs illa comportanda: quæ cùm ad me postea relata fuissent, tibi ea reddidi, simulac hominem mihi, quem auehendum acceperas, ostendisti. Atque uti res se habuerit, audire operæpretium est. Vir quidam, quòd præ corporis infirmitate ingredi non posset, relictus fuerat: eum ego hactenus noram, quòd unum de nostris esse sciebam. Hunc coẽgi ut illum iumento impositum aueheret: sequebantur enim, si rectè memini, hostes. Nihil horum ille negauit. Quid autem? inquit Xenophon: nónne cùm te præmisissem, cum extremo agmine ueniens, offendi foueam aperientem, ut in eam hominem abijceres? ac proximè quidem accedens, te prius collaudaui. At cum multis circunstantibus, crus adduxisset, exclamassent q; qui aderant, uiuere illum: dixi-

sti tu, quæ uoluisti, Hunc ego hinc non aueham. Atque ibi ego te pulsaui, non inficior, quòd planè mihi uisus es nihil dubitasse uiuere illum. Sed quid, inquit ille, minus fortasse mortuus est, postea q̃ illum tibi reddidi? Sedenim, inquit Xenophon, & nos moriemur omnes, an idcirco uiuos defodi æquum sit? Hic est uehementer ab omnibus acclamatum, leuius illum quàm pro merito cæsum. Tunc alios dicere iusserunt, ob quam eorum quisque causam pulsatus esset. Cùm nemo iam uerbum faceret: Ego, inquit Xenophon, multos me fateor pulsasse, quòd ab illis ordinem deseri uidebam: quibus, si conseruato ordine pugnassent, quoties ita res tulisset, satis esse poterat, si uestra máximè opera salui essent. At illi, cùm maiorem quàm uos prædam asportare cuperent, sæpius excurrebant: quòd si idem fecissemus omnes, planè perijssemus omnes. Quin torpentem nescio quem ac desidentem cùm offendissem, qui'que se ultro hostibus præ inertia dediturus uideretur, illum ego pulsaui, seq; erigere ac progredi iussi. Ex meipso enim intelligebam, in magna hyemis acerbitate desidendo tanto inertiora ac pigriora corpora reddi: qui si fortè paululum commoratus essem, ut fit, eos qui sarcinas colligerent expectans, sentiebam crura præ frigore obtorpescere. Meo itaque periculo doctus, ubi se quem pigritiæ dedentem, ac quasi frigore stupentem uidissem, illum ego commouebam, quòd intelligerem motu, ac uirili quadam corporis exercitatione recalescere membra, & humorem euocari: contrà uerò efficere quietem & tarditatem, ut sanguis quasi gelu concretus intabescat, atque ex eo, quod ipsi multis accidisse scitis, pedum digiti obrigescant. Sed & alium, quem fortasse iner-

tia,

tia, ac torpore contractum, per quem neque principia agminis progredi, neque strenuè sequi poterant qui intergo erant, pugno uerberaui, ne hasta uidelicet ab hostibus confoderetur. Atque his quidem omnibus licet per me seruatis, si quid se læsos putant, à me pœnas repetere. Quòd si in hostium potestatem uenissent, quid tam graue essent passi, ut eo nomine eum, à quo uiolati essent, iudicio persequi possent? Postremò, si ut illis bene consulerem, fui in plectendo seuerior, nihil recuso, quin ijs eas dem pœnas, quas liberis parentes, pædagogi pueris: quandò & medici grauius laborantes, utilitatis causa urunt & secant. Quòd si me existimatis petulantia impulsum horum quenquã pulsasse, illud uobis attendendum est, quòd multò nunc prosperiore (quam dijs gratiam habeo) quàm per illa tempora, fortuna utor, quodq; quare confidam, plus iam est, ac plus certè uini bibo, neque tamen quenquam pulso, propterea quòd secundiore uos quasi tempestate uti uideo. Quid enim turbulentis tempestatibus, concitato mari, nonne uidemus irasci ijs qui in prora sunt, proræ magistrum: ijs qui in puppi sedent, gubernatorem, illi si quid uel in leuissimis rebus ad nutum minus respicientes, offenderint? ob eam nempe causam, quòd minima tunc peccata facilè omnia perdere ac pessundare possunt. Quid dicam & uos tunc tacitè iudicasse, iure illos à me cædi? Nam qui non suffragia tunc, sed arma habentes circunsistebatis, poteratis sanè, si ita uisum esset, iniuriam propulsare: sed neque cuiquam auxilio fuistis, neque mecum in peccantes animaduertistis: atque id minimè fuit ex usu uestro futurum. Ex eo enim improbissimus quisq;, uobis conniuentibus, existimauit licituri sibi

quem uellet iniuria afficere. Nihil enim dubito, quin si hominum facta notare uoluissetis, eosdem fueritis tunc ignauissimos, ac nunc petulantissimos cognituri. Atque huius rei documentum in promptu est. Boiscus pugil Thessalus, illis temporibus nos incusabat, quòd se cogeremus cum labore summo, scutum ferentem iter facere: idem nunc, uti ego audio, Cotyoritanorũ quamplurimos spoliauit. Hunc uos pro uestra prudentia, longè aliter quàm canes tractare debetis: nam ferociores quidem canes pleriq; interdiu uinciunt, noctu dimittunt. Hunc uos, si quod æquum est feceritis, nocte uinctum tenebitis, interdiu solutum dimittetis. Illud uerò uehementer miror, uestrûm quenquam, si qua in re se à me læsum putet, meminisse id, neq; omnino reticere: at si aut contrà frigoris uim aliquid repperi, aut hostium aduentum multò antè nunciaui, aut morbo laborantes uel inopia subleuaui, nemo id omnino recordatur: neque si quem etiam benemeritum laudaui, aut pro facultate mea honore ac præmijs affeci. At quãto fuit iustius, quantoq; optabilius, ac magis pium, beneficiorũ potius, quàm iniuriarũ meminisse? Ad hæc surrexere uniuersi, ac se memores esse testificati sunt. Atq; in posterum inita ratio est, ut multò omnia commodius gererentur.

XENOPHONTIS DE CYRI MINORIS EXPEDITIONE LIBER sextus, Romulo Amasæo interprete.

INsequenti dein tempore Græci, quandiu in illis locis commorati sunt, partim ex foro, partim uerò ex præda, quam è Paphlagonum finibus agebant, sibi uictum quæsierunt,

runt. Verùm nostros etiam, Paphlagones, aut dissipatos facilè spoliabant, aut paulò à castris longius tabernacula habentes noctu oppugnabant. Quo factum est, ut ex mutuis iniurijs, hostili iam inter se animo essent. Interea Corylas, qui tum Paphlagonibus imperabat, legatos ad Græcos mittit, pulcherrimis equis, ac preciosis uestimentis egregiè ornatos. Hi à Coryla renunciant, nõ esse illum Græcis iniuriam facturum, modò ut ipsi etiam desinant cum eo hostiliter agere. Quæ cùm audissent duces, de his se rebus exercitum consulturos responderunt. Hospitaliter quidem illos acceperunt: inuitarũt etiam ex eorum comitatu honestissimum quenq;. Cæsis uerò bubus, de ijs quos abegerant, atq; alijs hostijs, satis opulentè sunt conuiuati: lecti fronde strati sunt: poculis sunt in potando corneis usi, qualia scilicet in ea regione inuenere. Lcto autem fœdere, cum pæanem citassent, Thraces prius surrexere, & ad tibiam armati saltarunt: atq; altè quidem à terra se, summa cum agilitate attollebant, gladios tenentes, quibus ita alter alterũ uerberabat, ut planè omnes hominẽ percussum existimarent: sed erat ea ludendi ars quædam. Paphlagones uerò clamorem tollebant: sed ex gladiatoribus illis erat, qui arma iacenti detraheret, deinde Sidalca (qui patrius illis cantus fuit) cantans abiret. Item qui aliũ iam mortuum efferret, cùm & ille nulla ex parte nõ mortuus uideretur. Aenianenses deinde, & Magnetes in medium processere, eamq; saltationẽ in armis saltarunt, quam patria uoce Carpæan appellant. Hic eius ritus fuit: Eorum unus armis proximo loco positis, bobus iunctis serit aratq;, ac se sæpius tanquã metuens cõuertit. Insequitur prædo, quo ille conspecto arma illicò corripit, atq; ante iugũ pugnat.

Atq; hæc ad tibiæ certum numerum aguntur. Postremò prædo ille hominẽ uincit, ac boues abigit. Nonnunquam etiam arator prædonem cõprehensum, post terga reuinctis manibus, cum bobus ipsis coniunctum agit. Post hos Mysus prodijt, utraq; manu peltas tenens: ac primùm ita saltauit, ut eos qui cum aduersarijs duobus depugnãt, imitari uideretur. Deinde uerò peltas, quasi contra unũ duntaxat proijciebat, mox se circumagebat, peltasq; ueluti alterna quadam manuum prolusione uibrabat, ut planè ea saltatio spectantibus pulchra contigerit. Postremò complosis peltis, Persico more saltauit, ac in genua procumbens, se rursum erigebat: atque hæc etiam ad tibiæ modos fiebant. Consequuti sunt Mantinenses, & Arcadum alij, qui quamelegantißimè ad speciem armati, & ipsi in numerum, præcinente tibia, uti hi solent qui armati saltant, ingrediebãtur: ac pæane citato nõ aliter saltabant, quàm in deorum supplicationibus fieri consueuit. Hic Paphlagones cõmoti sunt, quòd neminem uidebãt nisi armatum saltare. Quod cùm animaduertisset Mysus, ac Paphlagonas ea saltationis forma attonitos intelligeret, ex Arcadibus cuidam persuasit, ut saltatriculam mimam, quam ille habebat, in medium produceret. Quam cùm bellißimè exornasset, atq; ei leue scutum dedisset, illa summa corporis agilitate Pyrrhicam saltauit. Cui cùm esset magnus ab omnibus plausus datus, quæsierũt Paphlagones, nunquid mulieribus etiam in pugna uterentur. Imò, Græci responderunt, hæ sunt quæ regem à castris reiecerunt. Atq; hic fuit eius noctis finis. Postero uerò die legatos in castra duces produxerunt: ibi scitum à militibus factum est, sibi in posterum cum Paphlagonibus pacem esse expedire: ac legati

gati tunc abierunt. Græci cùm iam naues adessent, neque pauciores quàm opus erat, conscenderunt: ac relicta ad læuam Paphlagonia, diem eum atque item noctem sequundißimo uento usi, postridie Armenen appulerunt, qui uicus in Sinopensium ditione est. Sinopenses ipsi in Paphlagonicis finibus sunt, Milesiorum coloni. Hi Græcis munera hospitalia misere: farinæ medimna ter mille, uini amphoras M.D. Atq; huc Chirisophus cum triremibus uenit: quem cùm boni aliquid allaturũ milites putarent, cupidè expectabant. Ille uerò nihil omnino attulit: id unum renunciauit, ab Anaxibio nauarcho, atq; item alijs omnibus uehemẽter Græcos laudari, atq; eundem Anaxibium Græcis polliceri, si è Ponto exisset, stipendium se illis daturum. Exercitus Armenæ dies quinque commoratus est. Cumq; ad Græciam propius accedere se intelligerent, ibi iam ea cogitatio homines solicitos habere cœpit, quî secũ domum aliquid afferrent. Ad continendum autem in officio exercitum, rem multò accommodatißimam existimarunt, abrogato tam multis ducibus imperio, ad unum duntaxat summam potestatem deferre: quòd illum uniuersi sequuti, uel die, uel nocte, aut quod opus esset capere, aut cælare, aut postremò anteuertere, multò possent facilius ac celerius. Quantum enim temporis multorum inter se consultationibus impendi solitum esset, id si unius mandatis obeundis daretur, multò certè plus profici posse. Adhuc enim omnia multitudinis suffragijs, ducibus rogantibus, scita fuerant. Id cùm omnes approbassent, atq; in Xenophontem maximè studia hominum propenderent, illum centuriones adeunt, ordinum animum, ac uoluntatem exponunt: ac pro se quisq; summam in eum be-

neuolentiã declarantes, delatum ab exercitu honorem ut ſuſcipiat, rogant. Hic Xenophon cum ſecum cogitaret, magno id ſibi honori fore, ac nomen ſuum cùm apud amicos, tum apud ciues multò fore illuſtrius ac glorioſius: ac fortaſſe illas copias, ductu ſuo rem poſſe multò præclarius gerere: enimuero ad negocium capeſſendum incitabatur, ac nihil iam malebat, quàm ſe imperatorem ſumma poteſtate renunciari. Contrà uerò cùm in mentem ueniret, incertißima eſſe homini rerum eucnta: ac timeri etiam poſſe, ne partam iam gloriam aliqua offenſione perderet, non poterat conſilij exitum reperire. In tam ancipiti deliberandi quaſi momento, deos ſibi conſulendos ſtatuit. Duobus itaque ſacerdotibus adhibitis, Ioui regi ſacrificauit, quem ex Delphico oraculo in primis ſequutus fuerat: atque ab hoc olim ſomnium ſibi miſſum putauit, cùm primũ cœpit imperia capeſſere. Recordabatur præterea, ſibi Epheſo ad Cyrum iter habenti augurium oblatum, uocem dextræ aquilæ, illius quidem ſedentis: ac tunc ſe ab augure, cuius autoritatem maximè ſequebatur, monitum, magnum illud auguriũ eſſe, ac minimè plebeium: omnia tamen fore laboris pleniſſima, propterea quòd in ſedentem aquilam aues reliquæ impetum facere conſueuiſſent. Neq; uerò ex eo augurio eſſe quòd ſibi lucri quicquam polliceretur: circumuolitantem etenim aquilam, ea quibus alitur, rapere ſolitam. Eodem tempore eiuſdẽ dei per exta mens declarata: neq; illum imperia petere, neq; delata ſuſcipere oportere. Atq; hoc ita planè cecidit. At exercitus in unum conuenit, ac primùm ſciuerunt unum deligi oportere: deinde unum omnes Xenophontem depoſcere cœperunt. Quare cùm ille animaduertiſſet, ſi militum

litum consensum tacitus comprobaret, ad se proculdubio rerum summam delatum iri, surrexit, atque in hunc modum loquutus est: Ego, milites, magnopere lætor, cùm tantum mihi uideo à uobis honorem haberi: siquidē humano sensu præditus sum, ac uobis sanè gratiam habeo: deosq; oro, ut mihi eam facultatē dent, ut uobis quamoptimè aliquando consulere possim. Sed enim mihi nō uideo cur studeatis imperium decernere, cùm Lacedæmonium hominem habeatis: id uerò ego si accipiam, neque è uestra, neque ex mea re fore arbitror. Nam & uobis (si fuerit aliquando ad Lacedæmoniorum opem confugiendum, quòd se hoc facto læsos interpretabuntur) minus illi se æquos præbebunt, & ipse quî potero hanc inuidiam sustinere? Equidem Lacedæmonios uideo non antè desijsse patriæ meæ bellum facere, quàm armis nosipsos etiā sibi parēre coēgerunt: ubi uerò imperata facere non recusauimus, à bello illi gerendo, atque obsidenda urbe destiterunt. Quæ cùm me non prætereant, si nunc ea in re, quæ arbitrij mei est, eorum officerem dignitati, illud sanè mihi magnopere esset metuendum, ne me illi facilè intra ordinem redigerent. Quòd uerò facilius multò cōtineri in officio militem posse existimatis, unius quàm multorum imperio, illud uobis persuasum uelim, quemcunq; summæ rerum præfeceritis, nullam me in ullum unquam seditionem concitaturum. Nam qui in bello contra imperatorem suum seditionem concitat, is in suam ipsius salutem seditiosus est. Quòd si mihi imperium deferretis, nihil omnino mirarer, si quamplurimi & mihi & uobis offensiores existerent. Hæc cùm milites audissent, eo maiore contentione ac clamantes surrexere: illum omnino expedire, imperium

ſuſcipere. Ac Stymphalius quidem Agaſias: Perinde, inquit, ridiculum eſſet, nobis ſi Lacedæmonij iraſcerentur, ac ſi ijs conuiuis ſuccenſerent, qui cùm Lacedæmonij non eſſent, magiſtrum deligerent. Nam ſi ſolis eſt Lacedæmonijs imperãdum, nihil omnino cauſæ eſt, quin & nos cùm Arcades ſimus, centuriatu nos abdicemus. Eius orationem cuncti cum fremitu comprobarunt. Tum Xenophon cùm intelligeret non poſſe, quod imponeretur oneris, recuſare, ni apertius reſiſteret, in medium procedens: Vt rem planius cognoſcatis, deos, inquit, deasq; omnes, milites, iuro, ſimulatque ueſtra mihi uoluntas perſpecta fuit, per exta me à dijs quæſiſſe, conduceret'ne uobis mihi imperium mandare, ac mihi illud accipere: Illos uerò tam apertis clarisq; ſignis mentem mihi ſuam explanaſſe, ut nemo in extis iudicandis tam rudis ſit & indoctus, quin fuerit, ſi ea inſpexiſſet, cogniturus, mihi ab hoc imperio abſtinendum. Hæc res milites flexit, qui ſtatim Chiriſophum crearunt. Et ille in medium productus: Ego, mehercule, inquit, etiam ſi alium quemuis delegiſſetis, nullam omnino ſeditionem feciſſem. Sed enim bene Xenophonti, quòd eum non delegiſtis, conſultum fuit: nam acriter cum nuper Dexippus apud Anaxibium inſimulabat, me certè illi ſilentium imperante. At ille ſe exiſtimare dicebat, Xenophontem, Timaſionem Dardanenſem, qui fuerat de Clearchi cohortibus, quàm ſe, qui Laco eſſet, collegam habere malle. Sed cùm hoc mihi imperium detuleritis, dabo equidem operam, ut quantum maximè poſſim, ueſtris commodis atq; utilitatibus ſeruiam. Nunc paratos uos eſſe oportet, ut ſi fuerit cras ad nauigandum idonea tempeſtas, hinc ſoluamus. Et erit Heracleam primùm

mùm cõtendendum, quò ut perueniamus est nostrum unicuique in præsentia elaborandum. Illic de reliquo itinere consilium capiemus. Hæc tunc ille. Posterò uerò die soluerunt, ac biduum sequundißimo uento oram legentes, Iasonium littus prospiciebant, ubi Argo nauim ferunt in anchoris stetisse: & multorum fluminum ostia, Thermodontis primum, deinde Halis, ac Partheniy: quem præterueCti, Heracleam appulerunt, urbem Græcam, Megarensium coloniam, in Mariandynorum finibus sitam. Expositi sunt in Acheruſiaden peninsulam, quo in loco descendisse Herculem ad Cerberum canem rapiendum memorant incolæ: atque eius descensus monimentum ostendunt, specum haud minus quàm stadia duo subsidentem. Hic Heracleenses Græcis hospitalia munera misere: Farinæ medimnûm MMM. Vini amphoras MM. Boues XX. Oues C. Per hanc regionem Lycus fluuius labitur, latitudine paß. XL. Hic cùm in unum milites conuenissent, de reliquo itinere consultabant, & illud primum, è Ponto mari ne, an pedibus proficiscendum esset. Cùm Lycon Achæus, Demiror, inquit, quid sit quòd duces nobis uiaticum non conficiunt: nam quæ hospicij nomine missa sunt, ne triduo quidem ex his exercitus ali posßit: neque planè est unde ipsimet nobis frumentemur. Mihi sanè optimum factu fore uidetur, si per legatos stipendium ab Heracleensibus postulemus, haud hercule minus quàm Cyzicenos ter mille. Atque alius, quin X. inquit, ut minimum millia Cyzicenorum menstruum stipendium postulandum censeo, & legatos quam primum cùm postulatis, dum hic commoramur, mittendos: qui cùm quid renuncient cognouerimus, ex eo consilium capiemus. Cùm

de legatis ageretur, dux ipse Chirisophus primus deligitur: fuere qui Xenophontem etiam nominarẽt: sed ambo uehemẽter resistebant, quòd utriq; minimè æquum esse uidebatur, Græcam et sociam ciuitatẽ, inuitam ad ea quæ ipsa nollet danda, cogere. Quare cùm ab ea causa alienio res uiderentur, Lycona Achæum, Callimachum Parrhasium, & Agasiam Stymphalium miserunt. Hi cùm ad Heracleenses uenissent, legationem exposuerunt. Lyconem minas etiam addidisse ferunt, nisi ea omnia facerent: quibus cõmoti socij, tunc quidem se ea de re deliberaturos respondêrunt: statim uerò ex agris copias omnes intra oppidum cõportandas curarunt: mercatũ submouerunt, ac clausis portis cum armis ad muros accursum est. Tunc hi ipsi, qui socios irritarãt, duces, quòd causam prodidissent, criminari, Arcades & Achiui seorsum iam à cæteris cœtus habere: eos Callimachus Parrhasius, et Achæus Lycon incitare, à quibus uoces seditiosæ iactabantur: Indignũ esse Athenienſem unũ, Lacedæmonijs ac Peloponnesijs imperare, præsertim cùm nullam is in exercitũ manum contulisset: se labores tolerasse, alios fructus capere, ac se omnino salutẽ cæteris dedisse. Præ Arcadibus enim & Achæis reliquũ exercitũ nihil omnino esse (& sanè erant hi haud minus quàm dimidia exercitus pars) quòd si à cæteris desciscerent, propriosq; sibi duces deligerent, iter ex sententia facere posse, ac certi alicuius commodi spem sequi. Hæc cùm essent omnium consensu cõprobata Chirisophum deserunt & Xenophontem, hi etiam ex Achiuis & Arcadibus qui eos ad eum usq; diem sequuti fuerant. Imperatores uerò suffragijs sibi X. pristino more creârunt. Atq; ita summum illud imperium sexto uel septimo die

die Chirisopho abrogatum est. Xenophon cupiebat unà cum illis proficisci, quòd multò tutius fore existimabat, si simul omnes, quàm si cum suis tantũ singuli iter facerent. Sed ab ea sententia Neonis oratione deductus est: se enim ille de Chirisopho audisse dixit, Cleandrũ, qui præfectus Lacedæmoniorum Byzantij erat, uenturum cum triremibus intra Calpes portum: enauigandi commoditate solos cum suis copijs duces usuros. Chirisophus ipse cùm rei indignitate commotus milites odisse cœpisset, Xenophontem iubet arbitratu suo omnia administrare: ac ipse omni negocio reiecto, ad solam iam nauigationem spectabat. At Xenophon cùm sacrificium Herculi duci feciſſet, deosq; per exta consuluisset, utrum consultius futurum esset expeditionem quampiam suscipere, an cum ijs qui remanserant militibus soluere. expeditionẽ suscipiendam exta significarunt. Exercitus trifariam diuisus est. Arcades & Achiui fuere quater mille & quingenti. Chirisophus adhuc M. & CCCC. habebat grauis armaturæ. Peltatos Thracas ex Clearchi ordinibus ad DCC. Xenophon grauis armaturæ M. fermè & DCC. Paltatos CCC. ac solus equitatum ducebat, equites plus minus XL. Arcades primi, acceptis nauigijs ab Heracleensibus, soluerunt: eam maximè ob causam festinantes, ut cùm repentè ad Bithynos ueniſſent, ab ijs quamplurima, auferrent: peruenerunt q; in Calpes portum, qui in media fere Thracia est. Chirisophus ab ipsis Heracleensium mœnibus per eorum fines pedibus iter fecit: deinde cùm Thraciam attigisset, ac iam ualetudine infirmiore uteretur, nauem conscendit. Xenophon quoque maritimo itinere in eos fines uenit, qui Heracleensium & Thraciæ agros terminãt, ac

deinde per mediterranea progressus est. Expositum iam est, & quemadmodum imperium Chirisopho sit abrogatum, & diuisæ sint Græcorum copiæ: iam uerò quomodo sit à singulis partibus res gesta, exponendum uidetur. Arcades cum in Calpes portum noctu descendissent, ad uicos proximos, qui stad. L. longè à mari aberant, contenderunt: ac cùm iam illuxisset, uicos eos duces sortiti sunt. Quòd si uicus amplior esset, in eum cohortes binas adducebant. Tumulum etiam designarunt, quem ad castra ponenda maximè idoneum existimabant. Captiuos, ut qui de improuiso impetum fecissent, multos abduxerunt: multas item oues cepere. Ibi Thraces qui antè in fugam se dederant, atque hi, qui cum sola pelta è manibus grauis armaturæ elapsi fuerant, cùm in hostem congregati se conuertissent, primùm Smicretem Arcadum ducem, qui cum sua cohorte in locum, qui ei obtigerat, multa cum præda se recipiebat, adorti sunt. Græci fortiter pugnantes processerunt, usque dum ad alueum torrentis cuiusdam uentum est: quem cùm traijcere conarentur, cum duce suo ad unum cæsi sunt. Ex Hegesandri uerò centurionis cohorte, qui iam unus erat de decem ducibus, octo duntaxat cum ipso duce seruati sunt. Tum centuriones omnes partim salua, partim amissa præda, in unum conuenerunt. Thraces clamore inter se, rem bene gestam significarunt: ijdemq; ea nocte tam multi congregati sunt, ut manè ex omni parte tumulum in quo Græci castra habebant, acie cinxerint: multi erant equites, peltati item multi, atque in horas plures confluebant: ac tutò in grauem Arcadum armaturam inuadebant. Cùm enim neque sagittarium ullum, neque ferentarium Græci haberent, in eos cursu

cursu hostes irruebant: si repellerentur, impunè ad suos refugiebant. Deinde alij ab alia parte adoriebantur: ac nostrorum quidem multi uulnerabantur, Thracum uerò ne unus quidem. Ibi Græci ita circunsessi sunt, ut ne pedem quoquam possent ex eo colle mouere: ad aquam etiam illis aditus intercluſi. Quare summis circumuenti difficultatibus, de compositione cum hostibus agere coacti sunt. In conditiones est utrinque consensum. Obsides tantum postulantibus Græcis, non dedere Thraces: confecta igitur res non est. Arcadum ita se res habebant. Interea Chirisophus sine ulla offensione, nauibus Calpes portum intrarat. Xenophon per mediterranea iter faciebat: cuius equites cùm ex interuallo præcurrerent, legatos quosdam offenderunt, incertum quò iter haberent: & eos illi ad Xenophontem adduxerunt. De quibus cùm quæsisset, ecquid de Græcorum exercitu scirent, cognouit quæ gesta erant omnia: circunsideri eos à Thracibus in quodam tumulo, atque ita ut nulla ex parte non incincti, atque intercluſi essent. Hic Xenophon eos homines diligentißimè asseruandos curat, ut ijs itineris ducibus, si res ita ferret, uteretur: ac X. speculatoribus constitutis, milites ad concionem uocauit, atque huiusmodi ad eos uerbis usus est: Milites ex Arcadibus multi iam perierunt, alij in tumulo quodam obsidentur: quòd si deleti fuerint, neque nos arbitror in tanta hostium multitudine, atq; audacia, incolumes hinc euadere posse. Optimum igitur fore existimo, si quamcelerrimè nostris subsidio ueniamus, ut si adhuc uiuunt, cum illis coniuncti cõtra hostes pugnemus, ac ne eorum præsidio destituti, soli periclitemur. Ac statim eundũ censeo; neq; prius castra locanda,

quàm cœnæ tempus fuerit: quantisper uerò iter faciemus, Timasion cum equitatu anteeat, ac quæ opus est omnia prospiciat, ac speculetur ne quid nos lateat. Præmisit etiã ex leui armatura expeditissimum quenque in latera, ac montis iuga, ut hi quicquid speculati essent, significarent: atque ijs imperat ut quicquid offendissent, quod incendi posset, urerent. Quô enim, inquit, si fugerimus, redeamus? Longè hinc abest Heraclea, si fortè eô redire cogitemus: neque posßimus breuiore uia Chrysopolin accedere: & hostes proximè adsunt. Atenim in Calpes portum (quô Chirisophum, si modò is adhuc incolumis est, peruenisse putamus) uia est multò breuissima: uerum neque naues illic sunt, quibus auehamur: neque in unum duntaxat diem, si commorati fuerimus, commeatus suppetent. Huc accedit, quòd si qui nunc obsidentur perierint, cùm sola Chirisophi manu pericula nobis fuerint adeunda: sin seruati fuerint, rursus congressi, communiter salutis rationem aliquam inibimus. Quin ita comparatis animis proficiscinos oportet, ut uel gloriosam mortem oppetamus, uel magni & præclari alicuius facinoris nobis laudem, cùm tam multos Græcos seruauerimus, comparemus. Atque haud scio an quis fortasse deus eorum arrogantiæ uindex, in hoc eos discrimen impulerit, ut nos qui deorum auspicia semper sequuti fumus, multò illis clariores redderet. Sed maturandum iam est, atque illud in primis uidendum, ut diligenter quæ imperata fuerint, exequamini. Hæc loquutus, agmen ducere cœpit. Equites modicis excursionibus præeuntes, atque eos sequentes peltati in longum directis ordinibus, quicquid incendi potuit, inflammarunt: ac si quid reliqui illi fecissent, id subsequẽs

agmen

agmen cremabat. Tota itaque ea regio ardere, & magnæ esse copiæ uidebantur. Postremò iam nocte aduentante, collem subeuntes castra locarunt, è quibus hostium ignes conspicere poterant: neque enim longius, quàm stad. XL. aberant. Et hostes ipsi quamplurimos potuerunt ignes incendebant. Iam uerò cùm milites corpora curassent, signũ datum est, ut ignes extinguerent: ac deinde eam noctem dispositis custodijs somno dederunt. Prima autem luce sacris ritè peractis, non aliter quàm si pugnam inituri essent, composito agmine, iter quanta maxima potuerunt celeritate ingressi sunt. Timasion cum equitatu duces sequutus, in eo tumulo ubi Græci obsidebantur, prius quàm se eò uenisse animaduertisset, constitit: ubi neque hostium, neque sociorum ullas copias inuenerunt, aniculas tantum quasdam, & paucos senes, ouiculas præterea & boues ab hostibus relictos. Quod cùm Xenophonti renunciassent, res primum cunctis admirationi fuit: deinde ex ijs qui relicti fuerant, cognouerunt Thracas, primis se intendentibus tenebris, de loco abisse: Græcos item bene mane, incertum quò discessisse. Quæ cùm Xenophontis milites audissent, curatis corporibus, uasa conclamarunt: cupientes quamcelerrimè ad Calpes portum cum suis congredi. Neque ita multum processerant, cùm in ea ipsa uia quæ ad Calpem iter erat, Arcadum & Achæorum globos conspexerunt. In eandem igitur iam uiam cùm descendissent, læti ac gratulabundi, non aliter se mutuò, quàm si germani fratres essent, complexi sunt. Quæsierunt de Xenophontis militibus Arcades, quá nam de causa ignes extinxissent. Nos, illi inquiunt, ubi amplius uos non uidimus, noctu in hostem impetum facturos putauimus.

Neque aliud metuentes barbaros discessisse iam suspicamur: eo enim ipso tempore abierunt. Cùm autem tempus illud, ad quod uos expectabamus, non obissetis, arbitrati sumus cognouisse uos, quo loco res nostræ essent, ac ipsis iam uobis timentes, ad mare fugisse. Statuimus itaq; eòdem nobis, uobiscum ut congrederemur, properandum. Tunc simul diem illum in eo littore egerunt, quod è regione portus est. Ea regiuncula, qui Calpes portus dicitur, in Thraciæ est ea parte quæ Asiæ attribuitur: cuius initium est intra Pontum nauigantibus, ab ipsius Ponti ostio Heracleam usque: ab Heraclea uerò Byzantium, diei unius, illius quidem quamlongissimi cursu, triremis, remis duntaxat acta, traijcere possit. In medio nulla est neque socia, neque Græci nominis ciuitas. Thraces & Bithyni oram eam totam incolunt, qui Græcos uel tempestate aberrantes, uel quouis alio casu in ea loca delatos, iniurioßissimè tractare dicuntur. Portus ipse, medium se ab Heraclea Byzantium nauigantibus præbet. Locus in mare eminet, cuius quæ pars mare spectat, abrupta est petra: altitudo eius, qua minima est, nihilo est XX. paßuũ minor. Quæ uerò terra, quasi ceruix quædam ad littus pertinet, lata est paß. fermè LXXX. Ager qui in ea ceruice est, decem hominum millia facilè capere possit. Sub ea de qua iam diximus petra portus se aperit, cuius littus ad occasum uergit. Fons dulcis & abundantis aquæ, ex ipsa ferè maris alluuie erumpens, agrum irrigat. Lignorum magna copia, cùm aliorum generum, tum eorum è quibus classes ædificantur, quæ plurima eius in maritima loci parte & pulcherrima sunt. Mons supra portum se attollit, continentem uersus

Calpes portus regiunculæ descriptio.

XX.

XX. propè stad. excurrens, terrenus totus, ac minimè saxosus. Pars eius quæ in mare est exposita, cõdensa est multis ac magnis cuiusuis generis arboribus. Campestris pars est, & aspectu, & amœnitate pulcherrima: & late sanè patet, multiq; sunt in ea & frequentes uici. Nam fert ager ordeum, triticum, leguminum quoduis genus, panicum, sesamum, ficos quamplurimas, uites item multas, & suauissimi uini feraces, atque alias huiusmodi copias, præter oleas tamen. Hic loci situs, & natura. Milites castra in littore locarunt: oppidi mœnibus se propterea nõ crediderunt, quòd ne quo dolo circumuenirentur ueriti sunt, ab ijs, quos deducendæ coloniæ cupiditate accensos existimabant. Neq; enim ex eo numero multi erant, qui uictus quæritandi causa è Græcia ad Cyri stipendia nauigassent: sed eorum partim Cyri uirtute allecti, ad eam quam impenderant pecuniam, uiros etiam secum traxerant: partim ab ipsis parentibus aufugerant: nonnulli etiam liberos reliquerant, futurum rati, ut rem illis augerent, deinde redirent, cùm multos audissent Cyri fidem sequutos, rem optimè gerere. Qui igitur ea semper mẽte fuissent, iam nihil malebant, quàm in Græciam se incolumes quãcelerrimè restitui. Iam dies unus, postquã rursus conuenerant, transierat, cũ Xenophon de educendis copijs deos sibi per sacra consulendos censuit: educẽdæ enim omnino erant, cũ nulla iam cibaria suppeterẽt. Vrgebat mortuos etiã sepeliendi cura. Cum exta bona fuissent, sequuti Arcades sunt, ac multos, eo ipso quo ceciderãt loco, humarũt: quinto enim iam die ita cõtabuerãt, ut tolli nullo pacto possent: aliquot tamẽ è uia sublatos pro præsenti copia honestissimo funere extulerũt. At ijs quorũ cada

uera non inuenerunt, inane sepulchrum excitarunt: magnos etiam rogos extruxerunt, coronisq; eos ornarunt. His ritè transactis, in castra reuerterũt, ac, quod iam tempus suadebat, cibo ac somno corpora curarunt. Postero die milites in concionem, ab Agasia Stymphalio inprimis, & Eleo Hieronymo centurionibus, atque alijs natu maximis ex Arcadum cohortibus uocati, uenerunt. Ibi scitum fecere, qui primus de exercitu diuidendo in posterum mentionem feciſſet, fraus ut ei capitalis esſet: ac, ut in eos quique ordines, quos ante diſsidium tenuerant, redirent: ijdemq;, qui antè duces, ut rerum summæ præessent.

Chiriſophi obitus.

Iam Chiriſophus cùm febri laboraſſet, ſumpto medicamento diem ſuum obierat: in eius locum ſurrogatus est Neon Aſinæus. Tum Xenophon milites his uerbis alloquutus est: Iam nobis milites, pedibus iter faciundum esſe, ſatis res ipſa declarat: nullæ enim naues præstò ſunt. Et ſanè ut hinc proficiſcamur, ipſa nos neceſsitas cogit: neque enim hìc est uſpiam, unde nobis commeatus comparemus. Nos itaque hoſtias cædemus: uos ita parati eritis, ut eos esſe oportet, quibus ſi alio unquam tempore, nunc maximè pugnandum ſit: qua enim ſint hoſtes cõfidentia, planè noſtis. Tum duces hoſtias immolarunt. Aruſpex adfuit Arexion Arcas: nam Silanus Ambraciotes ex Heraclea conducta naui, ſe ſubduxerat. Conſulentibus de profectione exta minimè læta fuere, quare eo die ibidem manſerunt: nec ueriti ſunt nonnulli dicere Xenophontem, illum propter cupiditatem deducendæ in proximæ inſulæ agrum coloniæ, aruſpicem corrupiſſe, ut ad diſcedendum negaret ſequunda exta esſe. Tum Xenophon cùm edicendum curaſſet, ut quicunque uellet die craſtini ſacris

cris interesset, atque ut quicunq; extorum peritiam profiteretur, exta inspecturus, sacrificij tempus obiret, hostias mactauit multis spectantibus. Sacrificium trifariam factum, neq; usquam litatum. Quæ res uehemẽter militum animos conturbauit: relictis enim ijs quos habuerant commeatibus, huc uenerant, neque uspiam nundinandi copia fiebat. Hos cum rursus conuocasset Xenophon, in hunc modum loquutus est: Extorum, uti uidetis milites, à profectione abhorret significatio. Commeatuum uerò penuria interea laboramus: hac ipsa igitur nobis de re dij cõsulendi. Tum à media concione quidam: Quid, inquit, mirum si litatum nõ est? audiui ego heri de certis hominibus, qui fortuitu nauigio huc uecti sunt, Cleandrum Byzantij præfectum, multis cum nauigijs ac triremibus aduentare. Id cùm milites audissent, expectandum censuerunt. Sed erat utique cõmeatuum causa quopiam excurrendum: est itaque de integro trifariam immolatum, neq; meliora quàm antè exta fuerunt. Tum milites cum clamore ad tabernaculum Xenophontis concurrerunt, sibi quærentes nulla iam cibaria superesse. At ille se negabat eos quoquam eductum, nisi prius fuissent exta cõmodiora. Postridie sacra repetita, cùm militum corona (uti fit in communi omnium solicitudine) circunstetisset, ostiæ defecerunt. Duces interea eduxerunt, cùm antè in unum milites non conuocassent. Tum Xenophon: Hostes, inquit, fortasse cõgregati sunt, & necesse fuerit pugnare: nihil igitur opinor erabimus, si relictis munito quopiam loco impedimentis, bene instructi paratiq; ad pugnã proficiscamur: ac tunc fortasse erunt exta, qualia maximè uelimus. Hic est ab uniuersis militibus uehementer acclamatum, non expedire

quoquam diuertere, sed quam primùm diuinæ rei operam dandum. Pecudes iam omnes consumpserant, bouem itaque de plaustro emptum mactarunt. Xenophon Cleanorem Arcadem parare interea omnia iussit, ut si bona exta fuissent, nihil iam esset in mora. Sedenim idem fuit extorum habitus. Tum Neon, is qui in Chirisophi locum successerat, cùm milites cibariorum inopia uehementer premi uideret, cumq; cognouisset ex Heracleota quodã, è proximis uicis cibaria sumi posse, ut ab exercitu gratiam iniret, edixit, ut qui sibi cibaria in promptu esse cuperent, se sequerentur. Homines arreptis hastis, utribus, saccis, & multis uasorum generibus, ad bis mille eum secuuti sunt. Hi in eos, quos ille monstrarat, uicos profecti, statim ad prædam discurrerunt. Ibi palantes Pharnabazi equites adorti (hi enim se cum Bithynis cõiunxerant, quò Græcos aditu Phrygiæ prohiberent) ex eo numero non pauciores quingentis trucidant: reliqui in montes confugerunt. Id cùm unus ex ijs qui fugerant, in castra renunciasset, Xenophon, cui eo die litatum non fuerat, boue de plaustro immolato (neq; enim erant aliunde hostiæ) ad ferendum auxilium aduolat: quem omnes militari ætate, ad quinquagesimũ usq; annum sequuti sunt: ac cæteris etiam assumptis, in castra peruenit sole fermè cadente, ubi milites rebus suis magnopere diffidentes, cœnã sibi curabant. At Bithyni in excubias, per syluosos & auios saltus impetum fecerunt: multos occiderunt, alios usq; ad castra persequuti sunt: clamore ac tumultu Græci excitati ad arma accurrerunt, sed neque hostem insequi, neque castra noctu mouere tutum fore uisum est: in tam syluestribus locis armati pernoctarunt, ac certum hominum numerũ in præ-

sidijs

sidijs ante castra collocarunt, qui hostium impetum sustinerent: atque eam quidam noctem ad hunc modum egere. A diluculo statim duces in munitum castellum militem traduxerunt. Sequuti omnes sunt cum armis, uasisq; suis quisque: atque antequam cibum caperent, quà erat ad castellum aditus fossam duxerunt: omnia solo æquarunt, tribus tantùm portis relictis. Interea ab Heraclea nauis uenit, in ea frumentum, hostiæ, & uinum comportatum. Manè Xenophon cùm esset castra moturus, hostias cædit: læta fuerunt primæ hostiæ exta. Ac peractis iam sacris, Arexion Parrhasius cùm aquilam, faustissimam alitem uolantem conspexisset, Xenophontem iubet agmen ducere. Ibi milites fossam traijciunt, arma ponunt, edicuntq;, ut cùm pransi essent, armati exeant denunciatur: turba omnis, & captiui in castris manere iussi, duces exierunt, præter Neonem: expedire enim uisum est eum cum præsidio in castris relinquere. Sed qui relicti fuerant, sibi dedecori fore putantes, quòd eos qui exierant sequuti non essent, eos tantũ reliquerunt, qui XLV. annorũ maiores essent: ipsi iter sunt ingressi. Nondum stadia XV. processerant, cùm cæsorum cadauera inuenerunt: ibi sinuato in caudæ formam cornu, quoscunque ambire potuerunt, sepeliere. Rursum progressi, atq; eodem modo cornu in caudam reflexo, quoscunq; repererunt, sepulturæ mandarũt: cumq; iam in eam uiam ueniissent, qua ad uicos iter erat, quo in loco coaceruata iacebant cadauera, omnia unũ in locum comportata humarunt. Iam appetente meridie, ultra uicos progressum Græcorum agmen, commeatibus pro ea, quæ se ostentasset copia, cogendis intentum erat, quum repentè in aduersa uiæ parte, per colles descendentes

instructa phalange hostes magno cum equitatu ac peditatu prospexerunt. Venerant enim Spithridates, & Rathines, à Pharnabazo cum magna manu. Hi cum Græcos uidissent, stadiũm ferè XV. spacio in medio relicto, constiterunt. Tum Arexion uates rem diuinam facit: primæ hostiæ læta exta fuere. Hic Xenophon: Censeo, inquit, milites ex interuallo, secundum phalangem subsidiarias cohortes locandas, ut si fortè inclinarit, illæ subsidio accurrant, atq; ut hostes turbatis ordinibus in integram ac bene instructã aciem incidant. Eius sententia est omnibus comprobata. Vos igitur agmen, inquit, in hostes ducite, ne stemus, quãdoquidẽ & conspecti sumus, & hostem uidimus. Ego mox extremis ordinibus constitutis, cõsequar: nisi uobis fortasse aliter uidetur. Illi nihil cunctati lentè procedere cœperunt. Xenophon ad extremos ordines constituendos se cõuertit, sibiq; socios tres asciuit. Ducenũm militũ tres ordines fecit, atq; ex his unũ, cui Samolam Achæum præfecerat, consequi iussit XX. pass. interuallo, secũdum cornu dexterũ. Post mediã aciem alter cõsequebatur, duce Pyria Arcade. Iam uerò tertius, cui Phrasias Atheniensis præerat, citra læuum se cornu continebat. Cùm autem ad magnum & arduum saltum, qui præcesserant uenissent, substiterunt, incerti nunquid saltus superari posset. Centuriones & duces, ut præstò sibi essent, monuerunt. Xenophon admiratus antè fuerat quid accidisset, quòd progredi desisserent: iam uerò ad primum monitum in principia aduolat. Quo cum Sophænetus congressus, qui è prætoribus natu erat maximus, se censere dixit, non esse in tam difficilem saltum ascendendum. Ad hæc continuò Xenophon: Hoc uobis, inquit, milites persuasum uelim,

me

me quidem prudentem nullius uobis periculi autorem fore: neq; enim gloriam iam uobis, sed incolumitatē expetendam intelligo. Sed ita se res habet. Non est quòd speremus sine pugna nos hinc euasuros: etenim si hostes nō adoriamur, illi nos, cùm hinc retrocedemus, à tergo urgebunt. Considerate utrum uobis satius esse uideatur, aduersos ne uos in hostem arma inferre, an uerò auersos urgentium impetum excipere. Illud certè dubitare nō debetis, qui ab hostibus discedūt, eos nihil honestum facere uideri: qui fugientes insequantur, sæpe ex ignauis alacres & fidentes reddi. Ego mediusfidius multò malim cum dimidio minore manu insequi, q̄ discedere cum duplo maiore. Et illud etiam satis scio, nihil uos metuere, ne nostrā illi impressionem sustineāt. At cui dubium esse possit, ausuros nihil magis, quàm discedentes insequi? Erit præterea, si saltum superauerimus, eius nobis difficultas à tergo relicta, magno utiq; auxilio, cum pugnandum fuerit: qua sanè cōmoditate cupidè uti debemus. Nam hostib. equidem uelim omnino transitu facilem locū uideri, ut discedant. Nos uerò etiā à loco doceri oportet, nō aliunde q̄ ex uictoria spem salutis ostendi. Nihil autē magis miror, q̄ esse quibusdam saltum hunc formidolosiorē, quàm tam multi fuerunt, quos antè superauimus. Est utiq;, nisi equitatū hostium uicerimus, difficilis ex tam importuno loco exitus. Quid autem? quales tandem, quos adhuc superauimus, montes fuerunt? quī poterimus tam multos à tergo urgētes peltatos effugere? Sed fac ad mare incolumes redeamus, quantus deniq; saltus ipse Pontus est? Vnde uerò naues, quibus auehamur? Vnde frumentum, quo, si manserimus, alamur? Erit, mihi credite, quamprimum illuc uenerimus, frumentatū nobis exeun-

dum : quanto uerò melius nunc pransos pugnare nos, quàm cras ieiunos? quid, quòd pulchra exta fuerunt? sequunda deorum auspicia? ac bellissimè litatum est? Agitè uiri fortissimi, in hostem alacriter eamus: nõ est ferendum cœnare eos hilarè postquã nos omnes uidẽrũt, neq; quo loco ipsi uelint pernoctare. Finem dicendi fecerat, cùm centuriones (neq; enim contradixerat quisquam) ut se duceret postularunt: ac ille quidem ducere cœpit, cùm antè denunciasset omnibus, ut qui cuiq; locus obtigisset, ex eo in aduersum saltum eniterentur: sic enim celerius multò uniuersum agmen traijcere posse putauit, quàm si per pontem, qui diuersas saltus partes iungebat, se explicassent. Cùm iam traiecissent, modò hanc Xenophon, modò illam phalangis partem adibat, atque his propémodum uerbis suos incitabat: Recordamini milites, quot prælijs antè, deorum ope freti, hostem uiceritis. Considerate quibus incommodis, qui fugiunt, afficiantur. Cogitate nos ad ipsas iam Græciæ portas uenisse. Agitè, Herculem ducem sequimini, ac uicissim uos cohortamini. Iucundum certè futurum est, apud quos maximè uelitis, præclarè dicta factáq; uestra testata relinquere. Hæc præteruehens loquutus est, ac deinde in aciei se frontem contulit. Peltati in duas alas diuisi, rectà in hostes uadebant. Iusserat Xenophon, ut hastas dextero humero portarent, usq; dum tuba signum dari iussisset, tunc ut infestis hastis in hostem modicis passibus ingrederentur, neminem cursum ut insequerentur. Tum tessera data, Iupiter seruator, Hercules dux. Hostes primùm loco plurimum confidere uisi sunt. In eos peltati cùm iam propè accessissent, antequam signũ daretur, cum clamore & cursu impetum fecerunt. His hostium

ſtium equitatus, & Bithynorum globus occurrit. Ac primo congreſſu peltati terga uerterunt. Vbi uerò grauis armaturæ phalanx celeriter incedens ſubſidio uenit, atque eodem tempore claſsica cecinerunt, & pæanem ac bellicum clamorem milites ſuſtulerunt, haſtaſq; in hoſtem intentarunt, enimuero illi iam in fugam uerſi, facilè ſe ad Græcorum impetum ſuſtinendum impares eſſe declararunt: fugiẽtes Timaſion cum equitatu inſequutus, quammultos parua manu potuit, cæcidit. Læuum hoſtium cornu, qua parte Græcorum equites urgebant, diſſipatum eſt. Dexterum, quod fuerat multò leuius perculſum, in collis cuiuſdam ſe uerticem recepit. Illam itaq; manum cum ibi conſtitiſſe Græci animaduertiſſent, nihil arbitrati ſunt eſſe facilius ac tutius, quàm ſi in eam illicò inuaderent. Citato igitur pæane impreßionem fecere: impetum illi non ſuſtinuerũt. Inſequuti peltati ſunt, uſq; dum dexterũ cornu fugum eſt, pauci ſanè cæſi. Hoſtiũ enim equitatus, qui pleniſſimus erat, Græcos retardauit. Atenim cum Pharnabaze equitatũ adhuc ſtare uiderunt, & ad illos Bithynos equites confugere, qui quæ gerebantur omnia è montis uertice ſpeculabãtur: etſi iam erant labore cõfecti, in illos ſibi tamen eundũ ita, uti poſſent, ſtatuerũt, ne darent hoſti ad reſpirandũ, ac uires recipiendas quicq̃ laxamenti. Inſtructi itaq; ierunt. At illi per decliuia nihilo fugerũt lentius, q̃ ſi ab equitibus fugarentur. Saltus enim excipiebat eos, id quod neſciebant Græci. Quare cùm iam adueſperaſceret, in eum locũ pedem retulerunt, ubi primũ concurrerant, ac trophæo excitato, occidente iam ſole, ad mare redierunt: aberant enim caſtra haud minus quàm VIII. M. paß. Tunc hoſtes ad ſua conuerſi, ſeruitia, res que ſuas

omnes quamlongißimè abduxerunt. Græci Cleandrum cum triremibus ac nauigijs expectabãt. Interea uerò quotidie cum iumẽtis & mancipijs exeuntes, metu iam omni liberati, in caſtra triticum, ordeum, uinum, legumina, panicum, ficos comportabant. Erat enim ea regio optimarum quarunq; rerum copijs, excepto tamen oleo, refertißima: ac licebat, ubicunque exercitus quieſcendi cauſa cõmoraretur, ad prædam exire: neque unquam niſi onuſti reuertebantur. Quòd ſi copiæ omnes exiſſent, quicquid ſeorſum ab alijs quis occupaſſet, id quaſi publicum habebatur. Iam copioſa erant & prolixa omnia. Vndiq; in caſtra ex Græci nominis ciuitatibus multi, cũ rebus uenalibus confluebant: ac qui ultro citroq; nauigabant, libenter eò appellebant, quippe qui oppidum cum portu Græcos munire audiſſent. Miſerunt etiam uicini hoſtes ad Xenophontem legatos (illum enim ex rumoribus acceperant nouæ urbis condendæ autorem eſſe) qui ex eo quærerent, quonam officij genere efficere poſſent, ut ſe in amicitiam reciperet. Eos Xenophon ad milites reiecit. Interea Cleander cum duabus triremibus uenit, nauigium uerò nullum adduxit. Fortè eo ipſo tempore, quo ille appulit, milites ad prædam aliò alius excurrerant. Pecoris autem magnum utique numerum abegerant: quod ne ſibi eriperetur metuentes, Dexippum, qui paulò antè cum naui remorum L. è Trapezunte aufugerat, rogant ut eius pecoris partem ſumat, reliquum ſibi incolume redditum curet. Tum ille ſtatim allegat factionis ſuæ populares, qui publicum illud pecus eſſe affirment: & ipſe ad Cleandrum ueniens, renũciat Græcos ad prædas agendas ſe cõuertiſſe. At ille ut ad ſe, qui de prædonibus capi potuiſſent adduceren-

cerentur, mandat. Hic cùm unus ad illum traheretur, Agasiæ interuentu, quòd erat ei manipularis, eripitur. Qui tunc fortè aderant milites, in Dexippum, proditorẽ eum appellantes, cœperunt lapides iacere. Quare perterriti, ex remigibus multi ad mare confugerunt: ipse etiã Cleander fuga se è periculo eripuit. Xenophon atque alij item duces tumultũ sedare conabantur: Cleandrum docebant, nihil esse quòd metueret: in causa ut id fieret, exercitus quoddam decretum esse. At ille, quòd & eum Dexippus incenderat, & erat grauiter præsenti periculo cõmotus, se cum sua classe abiturum minitatur: atq; edicturum omnibus ciuitatibus, ne earũ ulla Græcos ad se uenientes exciperet: eo enim tempore planè Græcis omnibus imperabant Lacedæmonij. Id enimuero maximè solicitos Græcos habebat, atque idipsum maiorem in modum deprecabantur. At ille, certum sibi esse, neque se prius sententiam mutaturum, quàm sibi is deditus fuisset, qui primus lapides iaciendos curasset, quiq; eum qui comprehensus fuerat, suis ademisset. Erat Agasias, quem ille postulabat, Xenophonti summus & constantissimus amicus, atq; ex eo Dexippus eum criminatus est. In tam ancipiti rerum statu in concionem milites uocantur. Ibi censentibus multis, non esse eorum, quæ Cleander diceret, rationem habendam: minimè dissimulandum aut contemnendum negocium Xenophonti uideri: qui cùm ad dicendum surrexisset, Ego, inquit, milites, nihil existimo minus rationibus nostris conducere, quàm si Cleander hinc tam abalienato quàm nunc est à nobis animo, abeat. Vicinæ sunt Græci nominis ciuitates: Græciæ nunc imperium penes Lacedæmonios est: summa est eorum cuiusuis in qualibet

urbe potestas. Quòd si nos iste Byzantij aditu prohibuerit, ac deinde præfectis alijs denunciarit, ne nos quoquam intrare patiantur, quòd à Spartanorum fide per summam iniuriam discesserimus, ea certè fama ad Anaxibij nauarchi aures peruadet: quam difficilè tunc nobis futurum sit, uel manere, uel classe proficisci, non est cuiquam nostrûm difficilè iudicare: terra enim mariq; hoc tempore Spartani imperant. Non est igitur nobis committendum, ut unius & alterius hominis gratia, reliqui omnes patria careant: sed Lacedæmonijs certè, quicquid illi iusserint, parendum: quorum eæ etiam urbes, in quibus nati sumus, imperata faciunt. Equidem audio Dexippum Cleandro dixisse, non fuisse, quæ fecerit, Agasiam facturum, nisi me ducem sequutus esset. Hic ego cùm uos, tum Agasiam ipsum culpa omni liberabo. Nam si me Agasias huius facinoris autorem fuisse dixerit, nihil deprecabor, quin si me autore aut lapidatio, aut quid aliud peruium factum fuerit, ipse extremo supplicio afficiar. Eodem modo censeo, quemcunq; ille arcessierit, eum se oportere Cleandri iudicio subijcere: id enim unum uos uniuersos præsentis periculi metu eximet. Nam, ut nunc res se habet, indignissimũ certè futurum est, nos, quibus pro rerum gestarum magnitudine, laudum & honorum ab uniuersa Græcia spes proposita esse uidebatur, ne pari quidẽ cum cæteris conditione esse posse: nempe quibus Græciæ ciuitatibus interdictum sit. Surrexit tunc Agasias: Et testor, inquit, milites deos deas q; omnes, neq; Xenophontem, neq; uestrûm alium quenquam mihi, ut illum hominem eriperem, autores fuisse: sed cùm uiderem manipularẽ meum, spectatũ hominem trahi, ultrò illum me fateor eripuisse.

Neq;

Neq; profectò est quòd uos illum ad supplicium dedatis, ego meipsum, uti Xenophon censet, Cleandro tradam: de quo ille arbitratu suo statuat. Vos hac de causa non est quòd bellũ cum Lacedæmonijs geratis, aut quò minus incolumes quò quisq; uestrûm uelit, perueniatis. Vos modò nunc deligite de uobis aliquot, qui mecum ad Cleandrum ueniant: ac si quid à me prætermissum fuerit, ipsi pro me dicant, agantq;. Tunc permisit exercitus, ut secum quos ipse maller, adduceret. At ille duces deligit. Agasias itaque, ac simul is quem ille eripuerat, cum ducibus ad Cleandrum ueniunt. Ibi duces: Misit nos, inquiunt, ad te exercitus, ac iussit ut quoscunq; depoposcisses, uel omnes, uel unum, duos ue, aut plures, in potestatem tuam traderemus, quò his, cùm eos iudicio conuiceris, arbitratu tuo utare. Quòd si quem nostrûm in crimen uocas, ipsi præstò sumus: sin aliũ quenquã, eum nobis ædito: ac tibi persuade, neminẽ non in potestate tua futurum, qui in ditione nostra sit. Hæc illi. Agasias uerò in mediũ prodiens: Ego, inquit, ille sum, uiri, qui eum hominem, quem Dexippus trahebat, eripui, quiq; in Dexippum iussi lapides conijci. Illum enim uirum bonum ac fortem esse noram. At Dexippum cum esse, qui cùm ab exercitu L. remorũ naui, quam à Trapezuntijs impetraramus, præfectus fuisset, ut ea ad nauigia colligenda, quibus in patriam aueheremur, uteretur, fugiens socios prodiderit, quibus cum huc incolumis uenerat. Itaq; istius scelere apud Trapezuntios, quos L. remorum naui spoliauimus, sempiterna nobis perfidiæ nota inusta est: ac præterea per eum non stetit, quin periremus omnes: audierat enim æquè ac nos, q̃ futurum esset difficile pedibus iter facientes fluuios traijcere, atque in

Græciam incolumes redire. Huic igitur ita de nobis merito, quem cemprehenderat, eripui. Quòd si uel tu illum hominem cõprehendisses, uel de tuis quiuis, modò is à nobis non profugisset, nolito existimare me tale quicquam factum fuisse. Illud uerò cogites uelim, si me istius causa occideris, ignaui te, ac nequã hominis causa, bonũ ac fortem uirum occisurum. Ad hæc Cleander: Se quidem, si illa commisisset, Dexippum minimè laudare: sed quocunq; ille se scelere obligasset, non oportuisse de indemnato pœnas sumi, sed dicta causa quemadmodum uos nunc postulatis, inquit, ut uobis liceat iudicio constituto causam dicere. Nunc ad uestros redite, isto uno relicto: iudicij uerò diẽ cùm uobis denunciaro, facite obeatis. Neq; uerò aut exercitum, aut alium quenq; in crimẽ uoco, cùm hic se fateatur fraudem cõmisisse. Tunc ille ipse qui fuerat ereptus: Ego, inquit, uiri, etsi Cleander me iniuriam alicui intulisse putat, neq; percussi quenquam, neq; iaculatus sum, tantum dixi pecus publicum esse: scitum enim erat militũ, ut cùm milites prædatum exissent, quod quisq; prædæ egisset, id publicum ut esset. Id tantum dixi. At ille non aliam ob causam me comprehendit, quàm quòd uoluit metu cæteros deterrere, ne quid quis indicaret: prædæ uerò partẽ ipse ut posset contra edictum prædonibus diuidere. Tum Cleander: Et uerò tu, quando tam es argutus, hic remane, quò de te etiam aliquid statuamus. Post hæc cum suis cibum cepit. Xenophon interea exercitum coẽgit, ac retulit de mittendis ad Cleandrum, qui pro ijs qui illi traditi erant, deprecarentur. Decreuerunt milites ut ad Cleandrum duces, centuriones, cumq; ijs Dracontius Spartanus, ac si qui alij idonei uiderentur, uenirent, ac illum, ut eos sibi uiros

bi uiros condonatos uellet, rogarent. Cùm iam ad eum uenissent, in hunc modum loquutus est Xenophon: Hos tu quidem uiros Cleander detines, ac eos in tuam potestatem exercitus tradidit, ut non magis de illis quàm de seipsis, ita ut esset tibi uisum, statueres. Idem nunc te exercitus obsecrat, atque obtestatur, ut eos sibi remittas, ac ne eos capite euertas: multis enim ante hoc tẽpus meritis, ac laboribus hanc sibi exercitus gratiã pepererunt: ijdemq; si hoc à te impetrauerint, promittunt ac spondent, pro isto beneficio, si dux sibi esse uolueris, re ipsa demonstraturos (dij modò propitij sint) & moderatos se esse, ac ducum suorum dicto tam audientes, ut dijs freti, nunquam sibi hostem metuendum putent. Illud nunc te orant, ut cùm in fidem se tuam, ac potestatem receperis, periculum facias de Dexippo, seq; & alijs, qua quisque fide ac uirtute sit, atque ut pro merito cuique suo honorem habeas. Hæc cùm Cleander audisset, Per, inquit, deos uobis respondere nihil cunctabor. Viros uobis reddo, ipse etiam ubi opus fuerit, adero: ac si per deorum auspicia licitum fuerit, uos in Græciam reducam. Est enim oratio uestra ab ijs, quos apud me nonnulli sermones habuerunt, longè diuersa: aiebant enim illi, exercitum uos à Lacedæmoniorum fide abducere. Hæc cùm Cleander respondisset, ad suos uiri illi quos antè detinuerat, redierunt. Cleander rem diuinam ad suscipiendum iter fecit, & cum Xenophonte planè amanter ac familiariter congressus est, atque inter se hospitium iunxerũt. Multò uerò magis Græcis ducem se præbere optauit, posteaquam rato certoq; ordine ab illis, quodcunque mandaretur, effici animaduertit. Sedenim cùm triduũ immolasset, litatũ non est. Hic

ille ducibus conuocatis. Non potui, inquit, qualia optabam exta nanciſci. Vos uerò nihil eſt quòd hac de cauſa animum deſpondeatis. Veſtram hanc dij gloriam eſſe uolunt, ut hunc exercitum in Græciam reportetis: proficiſcimini igitur. Noſtrûm erit cùm Græciam attigeritis, uos illic quambelliſſimè accipere. Ibi milites publicum pecus Cleandro donandum cenſuerunt. Quod cùm accepiſſet, rurſus illis reddidit, ac deinde quamprimum ſoluit. Græci frumento, quod undecunque comportarant, diuiſo, atque item reliqua præda, per Bithynos iter facere cœperunt. At ubi rectà proficiſcentes, neminem omnino offenderunt, neque quò in pacatum agrum diuerterent ſe habere uiderunt, retrocedentes, diem unum ac noctem totam in itinere fuere. At multos quidem interea cùm homines, tum oues ceperunt. Sexto denique die Chryſopolim, quæ Chalcedoniæ ciuitas eſt, uenerunt, ibi ſeptem dies in uendenda præda occupati fuere.

XENOPHONTIS DE CYRI MINORIS EXPEDITIONE LIBER ſeptimus, Romulo Amaſæo interprete.

QVAE geſta ſint à Græcis in expeditione Cyro duce ſuſcepta, uſq; ad prælium: ac deinde poſt Cyri mortem in itinere, donec in Pontum uenere: ad hæc, quem admodũ è Ponto partim nauibus, partim uerò pedibus egreſſi ſint, uſque quo Chryſopolin Aſiæ urbem extra Ponti oſtium ſitam, acceſſerunt, in ſuperioribus commentarijs expoſuimus. Hæc uerò poſtea conſequuta

sequuta sunt. Pharnabazus cùm metueret ne copiæ illæ in suam prouinciam inuaderent, legatis ad Anaxibium nauarchum, qui tunc Byzantij erat, missis, ab eo contendit, ut nostrum exercitum quamprimum ex Asia traijciendũ curaret, pollicitus se quicquid ad eam traiectionem pertineret, administraturum. Itaque Anaxibius, duces & centuriones Byzantium euocat, ac se illis stipendium, si traiecissent, daturum pollicitus est. Ibi cùm alij tempus sibi ad deliberandum sumpsissent, Xenophon respondit, à reliquo exercitu statim se discessurum, ac Byzantium uenturum. Anaxibius uerò affirmabat, non antè ei discedendum, quàm cum cæteris traiecisset: neque sibi ille secus faciendum statuit. Interea Seuthes Thrax, per Medosadem nuncium suum Xenophontem hortatur, ut ad traijciendum quamprimum militum animos incitet: quod si fecerit, præclarè cum ipso actum iri. At qui, ille respondit, traiectionem non posśim ego utiq; præstare, quare hoc nomi ne neque mihi, neque alij quicquam Seuthes pendat: postea uerò quàm exercitus transportatus iam fuerit, ego sanè me seiungam. Cum ijs autem qui manserint, quos ex re usuq; suo fore putarit, perinde ac ei cõmodum fuerit, ita agat. Exinde Byzantiũ uniuersi milites transmiserũt. Quibus non modò stipendium Anaxibius non pendit, sed edixit etiam, ut cum armis impedimentisq; quamprimum exirent, simulans ille quidem se, censu habito, illos statim remissurum. Quod sanè factum Græci molestissimè tulerunt, atq; eò maximè quòd pecunia ad uiaticum nulla reliqua erat. Lentè igitur, & cõtracto quodammodo animo se ad iter comparabant. Xenophon cùm Cleandri urbis præfecti hospitio usus esset, ad eum uenit, ac hominẽ com

plexus, ut qui amicos digredientes ualere iubent, se statim soluturum præ se tulit. At ille: Ne feceris, inquit, ne tibi sit grauis inuidia sustinenda: non desunt enim qui per te stare dicant, quò minus quamcelerrimè exercitus exeat. Ego uerò, inquit Xenophon, culpa omnino uaco: id enim est unum militibus impedimento, quòd in promptu uiaticum non habent: atque ob hanc causam & animi anguntur, & cunctantur. At ego, inquit ille, suadeo, ut rebus omnibus ad iter faciendum cõparatis, unà cum cæteris exeat: deinde cùm totũ agmen extra portas iam fuerit, licebit quò uoles abire. Ad hæc Xenophon, se ita factarum, simulac Anaxibium conueniisset, respondit. Re audita Anaxibius, ut cum rebus suis quamprimũ exeant, imperat: ac ut suos moneant, quemcunque in recensendo abesse norit, illum se hostis loco habiturum. Exierunt itaque primi omnium duces, tum reliqui consequuti sunt, ac iam intra mœnia reliqui erant pauci. Eteonicus ad portas stabat, ut simulac exissent, portas oppositis uectibus occluderet. Anaxibius ducibus & centurionibus aduocatis: Commeatus, inquit, ex Thraciæ uicis uobis sumetis: est enim ibi & ordei, & tritici magnus numerus, atque eorum quæ ad uictum pertinent omnium, præclara sanè copia: quæ cùm acceperitis, in Chersonesum uobis eundum est, illic Cyniscus stipendium dabit. Hæc uel quòd milites aliquot subaudissent, uel quòd de centurionum numero quis eum sermonem protulisset, ad cunctorum sanè aures permanarũt. Quare dum duces diligenter ex Anaxibio quærunt de Seuthe, amici ne loco, an hostis esset habendus: & an per sacrum montem, an uerò per mediam Thraciam longiore ambitu iter esset faciundum: interea dum hæc illi percontantur,

tantur, arreptis armis milites ad portas cursu redeunt, ac rursus intra muros irrũpere contendunt. Quod ubi Eteonicus, quiq; cum eo erant, animaduerterunt, cõfestim portas oppositis uectibus occludunt. At milites repagula perfringere conabantur, clamantes magna se iniuria affici, quòd hostibus obijcerentur: portas uerò se effracturos minabantur, nisi eas illi sua uoluntate aperuissent. Accurrunt alij ad mare, ac iuxta ipsa portus latera, quæ, quòd curuatis utrinque molibus prominent, chelas, id est *acetabula Græci uocant, muris superatis intra oppidum desiluere: cùm interea, qui intus relicti fuerant, cùm ea quæ ad portas gerebantur, uiderent, dolabris, uectibus, et claustris perfractis, suis aditũ patefaciunt, illi uno omnes impetu irruerunt. Quod ubi Xenophon uidet, ueritus ne ad prædam exercitus se conuerteret, ac quæ expiari facilè non possent flagitia (futura proculdubio & ciuitati & sibi ac militibus perniciosa) cõmitterentur, & ipse accurrit, & intra portas unà cum ipso agmine euadit. Byzantij ubi uident tanto cum impetu agmen introrumpere, deserto fõro ad naues alij, alij domũ confugere: qui intus essent, fõras exire: triremes nonnulli, quibus periculum maximè se effugere posse putabant, deducere. Nemo planè erat, qui quasi capta ab hostibus urbe, extrema omnia nõ metueret. Eteonicus in promontorium proximũ, Anaxibius ad mare cõfugit, ac piscatorio nauigio circumuectus in arcem ascendit, atque inde ex Chalcedone auxiliarios accersit: neque enim quod erat in arce præsidium, Græcorum impetum sustinere posse uidebatur. At milites cùm Xenophontem uidissent, ad eum frequentes accurrunt, Ac nunc, inquiunt, tibi Xenophon uirtutis declarandæ

*uel ungulam, sic fortasse rectius.

tempus datum est. Vrbem, habes, habes classem, habes pecuniam, habes uiros tam præstantes: nunc si uelis, & nos tu subleuare, & te nos magnũ & glorioſum reddere possumus. Ad hæc ille: Præclarè, inquit, dicitis, atq; ita facia: sed si id ut faciam cupitis, redite quamprimum cum armis in suos ueſtrũm quisq; ordines. Hoc ego consilio dixit, ut concitatã multitudinem à tumultu ad officium reuocaret. Ac dimisit quidem qui milites monerent, ut in ordines redirent: atque illi statim per se suum quisq; locum occuparunt. Grauis armatura in quinquagenos dispertita est: pel tati utrunque cornu statim tenuerunt. Vrbis regio in qua consiterunt, cui Thracius campus nomẽ est, ad aciem instruendam omnium maximè idonea, ut quæ plana sit & domibus uacua. Tumultu iam compreſso, Xenophon multitudine ad concionem uocata, in hunc modum loquutus est: Quòd iraſcimini milites, ac planè quòd decepti fueritis, acerbum & iniquũ ducitis, nihil sanè miror. At si iracundiæ obsequentes, & ex Lacedæmonijs eos qui nunc adsunt, ab illis deluſi ulciſcamur, & ciuitatem nulli affinem culpæ diripiamus, quæ consequutura sunt, certè prouidere debetis. Primùm enim effugere nullo pacto possumus, quin à Lacedæmonijs & eorum socijs hoſtes publicè iudicemur. Qua uerò conditione bellum cum illis gesturi simus, non erit difficile existimare, si noſtrum hunc statum cum superioribus temporibus contulerimus. Nos Athenienses, bellum contra Lacedæmonios suscepimus, cùm triremes partim iam deductas, partim in armamẽtarijs haberemus, haud minus quàm quadringentas: pecunia uerò & ex ærario abundè suppeditaret, & ex uectigalibus quam aut populares, aut externi penderent, annua

nua talenta mille caperemus. Iidem insulis ferè omnibus imperaremus: urbes quoque in Asia multas, & in Europa cùm alias, tum hoc ipsum, ubi nunc sumus, Byzantium teneremus. Debellati tamen sumus, uti planè omnes scitis. Hoc autem tempore quorsum euasuros conatus nostros putatis, quo Lacedæmonij cum Achæis societate cõiuncti sunt? Athenienſium uerò ac omnium, qui socij illis antè fuerant, res propè sunt afflictæ, ac perditæ? Tissaphernes & cæteri, qui maritimæ oræ imperant, nobis hostes sunt, ac omnium maximè superioris Asiæ rex, cui & imperiũ & uitam simul ereptam uoluimus. Hæc cùm nobis simul omnia aduersentur, quis est tam rerum omnium imperitus, qui nos incolumes hinc euasuros existimet? Ne per deos immortales insaniamus, ne turpissimè nos perditum eamus, ipsis propè parentibus atq; amicis ac necessarijs nostris bellum inferẽtes. Et cogentur illi quidem, unà cum suis eorum quisque ciuitatibus, contra nos arma capere: neque iniuria. Nos enim cùm nullam planè ex Barbarorum urbibus occupare uoluerimus, atq; id aliquoties in potestate nostra fuerit, quamprimũ Græcorum urbem attigerimus, eam diripiemus? Ego mehercule antequã hæc fieri uideã, opto infra terram passuum X. millia detrudi. Nunc eo uos in patriam animo esse oportere censeo, ut si possitis, eos qui urbi huic præsunt, precibus & adhortationibus, ut officio in uos suo fungantur, adducatis. Id si minus possitis, Græciæ tamen urbibus neutiquam uobis interdictum esse uelitis. Ac nunc ad Anaxibium mittendos censeo, qui doceant, in hanc urbem redijsse nos, non ut iniuria quenquam lacessaremus, sed ut ab ea commodi aliquid caperemus: id si minus consequuti essemus, ut non

fraude electi, sed uoluntate dimissi uideremur. Idem est omnibus probatum. Mittunt igitur Hieronymum Eleum, Eurylochum Arcadem, Philesium Achæum, qui cùm iam abissent, in eodem adhuc loco permanentibus militibus, superuenit Cyratades Thebanus. Is non exilij causa, sed imperij cuiusp iam cupiditate Græciã peragrabat, se omnibus uenditans, qui fortè in quauis gente aut oppido, ducis operam expetissent. Accedens itaq; se paratum dixit eos deducere ad Delta Thraciæ regionem, è qua multa essent eis, quæ ad usum ualde expeti solent, præstò futura: interea uerò se illis esculenta, ac poculenta omnia exhibiturum. Hæc auscultarunt milites: neq; minus ea quæ polli cebatur Anaxibius. Siquidem legatis responderat, si ut discederent sibi in animum induxissent, fore ut nihil eos pœniteret: se enim eos ciuitatum principibus commendaturum, & seipsum quàm posset optimè eorum cõmodis consulturum. Eo sermone adducti milites, Cyrataden exercitui præesse iubent, ac rursus extra muros exeunt: Cyratades se postridie eius diei affuturum cum hostijs, aruspice ac cõmeatibus pollicetur. Vbi illi exierũt, Anaxibius portas claudit, edicitq;, quicunq; militum intra muros deprehensus esset, eum emptori se addicturum. Postero die Cyratades præstò fuit cum hostijs & aruspice. Cum eo unà uiri XX. farinam, totidem uinum, tres oleum, alliorum unus quàm poterat maximam sarcinam, item alter ceparum, cõportantes. Quæ cũ in castris deposita essent, mox omnia diuisurus, sacra primũ facere instituit. Hic Xenophon accersit ad se Cleandrum, ac rogat ut per eum sibi liceat oppidum intrare, atque inde enauigare. Cleander cùm redisset, Vix, inquit, impetratũ est: Anaxibius enim absur-

absurdum sibi dicit uideri, esse milites ad muros, Xenophontem uerò intus, præsertim uerò exulceratis seditione Byzantiorum animis. Introire tamen iubet, si in animo habeat unà secum enauigare. Xenophon itaq; militibus salutatis cum Cleandro introijt. Cyratades postero die cùm sacrum feciſſet, non litauit, neq; quos attulerat commeatus inter milites partitus est. Postero uerò die cũ iam ad aram hostiæ adductæ essent, & cum corona astitisset immolaturus Cyratades, in medium progressi Timasion Dardanensis, Neon Asinæus, Cleanor Orchomenius, negant se Cyrataden immolare passuros, nisi prius commeatus militibus diuisisset. Ille cùm ut æquabiliter omnia diuiderentur imperasset, facilè intellectum est, multum abesse ut milites uel in unum tantum diem, ex ijs quæ attulisset Cyratades, cõmeatus haberent: quo factum est, ut cum suis ille hostijs depositò imperio discederet. Permansere in castris Neon Asinæus, Phryniscus Achæus, & Timasion Dardanensis. Hi cum exercitu profecti, in proximis Byzantio uicis castra locarunt. Ibi inter duces dissideri cœptum. Cleanor & Phryniscus ad Seuthen transeundum putabant: fuerant enim ab eo muneribus deliniti, cum eorum alteri equum, alteri mulierem donasset. Neon ut in Chersonesum cõtenderent, hortabatur. Existimabat enim si in Lacedæmoniorum fines peruenisset, se uniuersi exercitus imperium obtenturum. At Timasion operam dabat, ut omnes in Asiam traijcerent, quòd se ita in patriam restitutum iri putabat: neq; id milites nolebant. In hac deliberandi mora, milites partim armis diuenditis, per proximos uicos, ut poterant, enauigabant: partim uerò per eosdem uicos diuisis, in urbes ciuibus permisti introibant.

Anaxibius cum dilabi exercitũ ac dissolui intelligeret, magnam uoluptatem capiebat. Nam quòd sua id maximè opera accidisset, in eo se gratiam eximiam à Pharnabazo initurum putabat. Huic cùm è Byzantio discessisset, Cyzici Aristarchus, cui erat Byzantij prætura in Cleandri locum decreta, obuius factus, propediem Polum nauarchum, ut ei succederet, in Hellespontum uenturum nunciat. Anaxibius Aristarchum hortatur, quotcunq; è reliquijs Cyri copiarum Byzantij offendissent, omnes ut uenderet. Nam tantùm abfuerat ut quenquam Cleander uenderet, ut per ædes etiam inuitis dominis distributos, ægros curare uoluerit. At Aristarchus ut primùm Byzantium attigit, nihilo sanè pauciores quàm CCCC. uendidit. Anaxibius cùm Parium appulisset, misit qui Pharnabazum docerent, esse Byzantij quæ imperasset omnia confecta. Ille ubi resciuit Byzantij prætorem futurum Aristarchum, Anaxibio classis imperium abrogatum, hunc sanè nihili pendit, ac quæ de Cyri copijs illi antè imperarat, eadem Aristarcho denũciat. Quod ubi animaduertit Anaxibius, Xenophontem ad se accersit, ac eum iubet qua poßit arte, quamq; celerrimè ad exercitum uenire: milites aut retinere, aut iam dißipatos, quàm poßit plurimos ad officium reuocare, cumq; ijs Perinthum contendere, atque inde in Asiam quamocyßimè traijcere: ei & triginta remorum nauem, & epistolam dat, simulq; certum hominem mittit, qui Perinthijs iubeat, ut Xenophonti equos, quibus ad exercitum uehatur, præbeant. Xenophon celeriter classe transuectus, cùm in castra peruenisset, magna cum lætitia est à militibus exceptus, & eum magno sanè studio sequuti omnes sunt: eo duce è Thracia in Asiam traie-

traiecturi. Scuthes cùm Xenophontem redijsse ad exercitum audisset, statim maritimo itinere Medosadem misit, qui rogaret ut cum exercitu ad se ueniret. Is cùm omnia esset pollicitus, quibus hominẽ quamfacilimè adduci posse putaret, Xenophon respondit, id sibi nullo pacto licere. Cùm ille igitur abisset, milites Perinthũ profecti sunt: quò cùm peruenissent, Neon cum DCCC. militibus, quos à reliquo exercitu auellerat, seorsum castra habuit: reliquæ omnes copiæ simul, atque eodem in loco, ad Perinthiorum muros constiterunt. Ibi cùm Xenophon naues cogeret, quibus in Asiam quamcelerrimè milites transportarentur, superuenit Aristarchus cum triremibus duabus. Is Pharnabazi studio adductus, edicit naucleris, ne Græcos in naues recipiant: addeinde in castra ueniens militibus, ne in Asiam traijciant. Atqui, inquit Xenophon, sic iussit Anaxibius, & una hac de causa me huc remisit. Anaxibius, inquit ille, nauarchus non est: ego uerò prætor hoc oppidũ obtineo: quòd si quem uestrûm hinc abeuntem deprehendero, in mare deijciam. Hæc cũ dixisset, in oppidũ introijt. Ac postero die duces ac centuriones ad se accersit: qui cùm ad muros iam accessissent, Xenophontem monet quidam ne introeãt: fore enim ut comprehendatur, & aut eo ipso in loco plectatur, aut Pharnabazo dedatur. Quare Xenophon audita, cæteros quidem deducit, ipse per sacra se deos consulturum dicit: atque à cæteris digressus, consuluit an permitterent, ut exercitum ad Seuthen duceret: siquidem uidebat minimè tutum esse traijcere, cùm is qui uetaret, triremes haberet. Neque uerò si in Chersonesum uenisset, se illic facilimè intercludi posse non intelligebat, omniumq; rerum penuria exer-

citum laboraturum, ubi & prætori parêre necesse foret, neque commeatuum quicquam habiturus esset exercitus. Dum hæc ille agitaret, redeunt ab Aristarcho duces, ac renunciant non esse se tunc admissos, sed iussos uespèri redire. Ex quo magis intellectum est insidiosè ab illo agi. Xenophon cùm exta significassent tutum ipsi & exercitui ad Seuthen iter fore, sumpsit Polycratem Atheniensem centurionem, atq; item accepit à ducibus uno excepto Neone, singulos quibus ille fidem haberent maximam, cumq; ijs noctu ad Seuthe castra contendit. Aberant ea LX. ferè stad. Cùm propius accessisset, turres quasdam desertas uidit, atque ex eo primum suspicatus est Seuthen castra mouisse. Verùm cùm fremitum quendam audisset, & significantium inter se uoces, planè intellexit non aliam ob causam ignes multò ante castrorum excubias accensos, nisi ut qui in statione essent, in tenebris conspici nõ possent: contraq; quicunque accederent, per ignium lumina facilè cernerentur. Quod cùm animaduertisset, interpretem præmisit, quem secum fortè habebat, qui iuberet uigiles Seuthæ renunciare, adesse Xenophontem, uellecq; eum cum Seuthe congredi. Tunc quæsierunt illi, nunquid Athenienſis esset is Xenophon, atque è Græcorum castris uenisset: ubi affirmatum est, cum exultatione ad Seuthen accurrerunt. Neque multò pòst adfuerunt peltati ferè CC. qui acceptum Xenophontem, eiusq; comitatũ ad Seuthen deduxerunt. Continebat se ille intra ualde munitum propugnaculum. Stabant circunquaque frenati equi. Nam propter metum interdiu equos pascere, noctu ad custodias paratos esse uolebat. Aiebant enim Teren unum de huius maioribus, in illis ipsis aliquando finibus

cùm

cùm magnas copias haberet, ab ijsdem hostibus magna clade affectum, castris etiam exutum. Erant autem hi hostes Thyni, gens quæ una omnium ad nocturnas excursiones & pugnas aptißima ferebatur. Cùm ad fores iam Græci astitissent, iubet Seuthes Xenophontem cum duobus quibus malit comitibus ingredi. Cùm intromißi essent, post primos complexus & salutationes, Thracio more Græcis in corneis poculis uinum propinatum est. Aderat Medosades, qui Seuthe in legationibus ubique operam nauabat. Hic priore loco ita dicere orsus est Xenophon: Ad me Seuthe huncce Medosadem Chalcedona misisti, qui me tuo nomine rogaret, ut cum ipso unà operam darem, ut ad te Græcorum copiæ ex Asia traijcerent: quod si feciſsem, gratiam te relaturum. Idem affirmabat Medosades. Rogauit Medosadem, an ita se res haberet: maximè, respondit ille. Rursus Xenophon: Cùm iam traiecissem è Pario, redijt in castra Medosades, ac pollicitus est, si Græcos ad te adduxissem, me non amici tantum, uerumetiam fratris loco habiturum, ac ea quæ mari proxima poßideres, oppida concessurum. Quæsiuit denuò an ita secum egissem: egisse, Medosades respondit. Agè nunc, inquit, huic expone quid tibi cùm Chalcedone essemus, ad ea respondero. Respondisti, inquit ille, exercitum Byzantium uenturum: huius rei causa, neque tibi, neque alij quicquam pendi opus esse. Vbi Byzantium peruentum esset, te à cæteris discessurum. ac planè quod dixisti, effectum etiam reddidisti. Quidnam, inquit ille, dixi, cùm Selymbriam peruenissem? necesse tibi fore Perinthо in Asiam traijcere. Nunc igitur, inquit Xenophon, adsum, & mecum unà de ducibus unus Phryniscus, de centurionibus uerò Polycrates.

Sunt foris præterea à singulis ducibus singuli, illis coniunctißimi & fideliſsimi, præterquam à Neone Lacedæmonio. Quòd ſi firmam & ratam inter nos pactionem eſſe uis, & illos accerſi iube. Ac tu, inquit Polycrates, illis dic meo nomine, ut arma deponant, & ipſe etiam enſe depoſito cum illis unà ingredere. Tum Seuthes, nemini ſe dixit, qui modò Athenienſis ſit, non fidem habere: ac ſcire ſe, Athenienſes conſanguineos eſſe: amicos uerò illos, & animo in ſe optimo eſſe exiſtimare. Cùm introiſſent qui fuerãt accerſiti, quæſiuit primùm Xenophon de Seuthe, cui uſui ipſi Græcorum eſſet exercitus futurus. Ad hæc ille inquit: Meſades mihi pater fuit, ſub cuius imperio Melandeptæ fuere, Thyni, & Tranipſæ. Is è regno per Odryſorum ſeditionem pulſus, morbo interijt. Ego patre orbatus, apud Medocum qui nunc regnum obtinet, educatus ſum. Vbi uerò adoleui, cùm ad alienam mihi menſam uiuendum eſſe indigniſsimè ferrem, ad eius ſolium, dum in curru ſederet, acceſsi, meq; ad eius genua aduolui, obſecra uiq; ut mihi quàm poſſet magnum numerum hominum concederet, quò & eis à quibus eiecti eſſemus, malum inferrem, ſi quod poſſem, & mihi non eſſet perpetuò ad alienam mẽſam, perinde ac canes ſolent, reſpiciendũ. Precibus itaq; ille meis cõmotus, & milites mihi eos, & equos tradidit, quos cùm illuxerit, uidebitis: cum his ego uitam traduco, & cum his è paterno agro prædas ago: quòd ſi ueſtro auxilio uti licitũ fuerit, dijs fretus, me imperiũ paternũ recepturũ confido. Qua igitur in re ueſtra opera mihi uſui eſſe poſsit intelligitis. Iam uerò, inquit Xenophon, ſi tecũ ſocietatem coierimus, nobis expone quid milites, duces ac centuriones abs te accepturi ſint, ut hi qui mecum huc uenerunt,

nerunt, certi aliquid cæteris renuncient. Tum ille militibus menstruũ stipendium Cyzicenos singulos, centurioni binos, quaternos prætoribus pollicitus est: agri, quantum uellent, iumenta, munitũ ad mare oppidũ. Ad hæc Xenophon: Si periclitatus nihil effecero, & à Lacedæmonijs nobis quid fuerit metuendũ, erit ne locus apud te ijs, qui huc se receperint? Imò, inquit, illos fratrũ loco habebo, atq; in currus mei partem recipiã, cumq; his quicquid bello partum fuerit, cõmunicabo. Tibi uerò Xenophon filiam collocabo: ac si ulla tibi filia est, eam Thracia lege emã: ubi uerò habites, Bisantem tibi tradam, qui mihi locus est matrimonium omniũ pulcherrimus. Cùm hæc audissent Græci, dextras iunxerunt: atq; ita firmato fœdere, ante lucem in castra reuersi, ijs à quibus missi fuerant, rem omnẽ ordine exposuerunt. Prima luce rursus Aristarchus duces & centuriones accersit. At illi eundum neutiquam esse, ac statim milites in concionem conuocandos censuerunt. Cùm omnes, præter eos quos Neon ducebat, conuenissent, his eos uerbis Xenophon allocutus est: Iam nõ licet nobis, milites, quò constituerамus hinc enauigare. Aristarchus enim cũ triremes habeat, nobis obstat, neq; satis tutò naues possumus conscendere: ac idem imperat, ut per sacrũ montem in Chersonesum proficiscamur. Quòd si itineris difficultate superata eò peruenerimus, iam neq; uenditũ nos, neq;, uti Byzantij euenit, circumuentũ iri promittit: illic enim stipendia nos accepturos: neq; causæ quicquã fore, quin commeatus in promptu nobis sint. Sic ille quidẽ affirmat. Rursus Seuthes cùm ad se ueneritis, spondet benigna uobis omnia apud se & prolixa fore. Vos itaq; uel prius quàm hinc discedatis, decernite, uel ad quærendos com-

meatus iam proficiscimini. Mihi quidem, quoniam neque pecuniam habemus, qua quod opus est mercemur, neque nobis, quæ uitæ usus postulat, ab his gratis dantur, optimum factu uidetur, ut in uicos reuersi, quæ opus sunt ab ijs sumamus, quos facilè uel cogere, uel adducere possumus, ut ea nos sinant asportare, quæ nostrùm quisque ad usum suum expetit: atque id arbitrij uestri sit: cui tamen idem uidetur, is manum tollat. Manum cuncti sustulerũt. Agitè igitur, inquit Xenophon, ita uos cõparate, ut cùm datum fuerit signũ, statim ducem sequamini. Xenophon dux fuit, eum secuti omnes sunt, neque aut Neon, aut alij qui ab Aristarcho summissi fuerant, à proposito alios deducere potuerunt. Cùm iam stad. circiter L. progressi essent, Seuthes obuius factus est, quem cùm Xenophon uidisset, procedere intra cohortes Græcorum iussit, ut quæ ille diceret pro Græcorum utilitate, audirent quamplurimi. Quod cùm ille feciſſet, tum Xenophon: Iter, inquit, habemus in ea loca, unde milites cibaria capere possint: ibi cùm à te & à Lacedæmonijs propositas conditiones audierimus, id sequemur quod ex usu maximè fore uidebitur. Quòd si nobis tu ad commeatus comparandos dux extiteris, planè hospitaliter nos acceptos existimabimus. Ad hæc Seuthes: Possum, inquit, indicare uobis uicos multos, densos & rerum omnium copia abundantes, à nobis eatenus distantes, ut hinc digressi illic suauiter prandere possimus. Eô duc igitur nos, inquit Xenophon. Quod cùm ille feciſſet, uesperi quò ille dixerat peruentum est: cumq; in unum milites conueniſſent, in hunc modum Seuthes loquutus est: Ego uestra opera Græci, in bellicis rebus indigeo: quam mihi si præstiteritis, singulis Cizycenum

num unum militibus dabo menſtruum ſtipendium, ac centurionibus & ducibus quod æquum eſt. Ad hæc unicuique pro merito & dignitate honorem habebo. Cibaria quidem uobis ex agro, uti nunc, ſuppeditabunt. Quæ capietis reliqua, ea ut penes me ſint, æquum eſſe ſtatuo, quò ex ijs uobis ſtipendia pendam. Accedentes ſanè & fugientes, ſatis idonei erimus, qui perſequamur atque inueſtigemus: ſin erunt qui reſiſtant, eos ueſtro auxilio fretus, ut in poteſtatem meam redigam, operam dabo. Tunc Xenophon: Quàm longè, inquit, à mari, ut hic te exercitus ſequatur, poſtulas? Nuſquam, reſpondit ille, longius, quàm ſeptem dierum itinere, ſæpè uerò multò minus. Facta eſt deinde poteſtas omnibus qui uellent, dicendi. Dixerunt itaque multi, quantiuis æſtimanda quæ Seuthes dixiſſet. Hyemem iam eſſe, neque idoneam ad nauigandum tempeſtatem. Hybernare in amicorum finibus minimè expedire, ubi non niſi de rebus emptis exercitus ali poſſet. In hoſtili uerò agro ſtatiua habere, ac ſibi commeatus comparare, in magna rerum copia, multò fore tutius unà cum Seuthe, quàm ſi ab eo diſceſſerint. Quòd ſi ſtipendium etiam ab eo accipiant, lucrum uideri. His auditis, ſi quis, inquit Xenophon, eſt, qui his uelit contradicere, dicat iam is licet: ſin his omnes aſſentimini, ſciſcite. contradidixit nemo. Scitum igitur factum eſt. Tunc Seuthes ſibi illos dixit in bellicis expeditionibus ſocios fore. Poſt hæc alij quidem in ordines deſcripti, caſtra poſuerunt: centuriones & duces ad cœnam uocauit Seuthes, cùm non longè ab uno de proximis uicis abeſſet. Interea dum ad fores omnes aſtarent, ut cœnatum intromitterentur, adfuit Heraclides quidam Maronites: is ad eos, quos aliquid

habere existimabat, quod Seuthe dare possent, accedebat, ac primùm quidem ad Parianos, qui ea de causa uenerant, ut cum Medoco Odrysorum rege de pace agerent, ac cùm ei tum uxori eius dona attulerant: Quid, inquit, Medoco ista potius dabitis, qui à mari duodecim dierum itinere abest? cur non potius Seuthe, qui hoc iam sibi adiuncto exercitu maritimæ oræ quamfacilimè imperiũ obtinebit, ac uobis uel prodesse, uel obesse tam finitimis, plurimum poterit? Quin uos huic quæcunq; affertis, si rebus uestris bene consultum uolueritis, non ei dabitis, qui longissimè à uobis abest. Et sanè, ut ita facerent, persuasit. Ad Timasionem deinde Dardanensem cùm accessisset, quem audierat & pocula, & Barbaricos tapetas habere: Ita, inquit, more maiorum traditum est, ut qui à Seutha inuitantur, pro copijs suis ei dona dent: hic certè si imperiũ suum auxerit, facilè aut domũ te reducere, aut si hic manere malueris, te locupletare posit. Hæc separatim cum singulis agebat. Ad Xenophõtem etiam cùm ueniisset, Ex magna, inquit, tu ciuitate es, et percelebre tuum est apud Seuthen nomen: & fortasse & oppidum & agrum (ut antè etiam de maioribus tuis nonnulli) in regione nostra uoles habere: per igitur æquum est, luculenter Seuthen à te ornari: atque hæc tibi amicus, ut qui maximè, suadeo: mihi enim persuasum habeo, quò illi maiora dederis, eò te ab illo maiora, ac præclariora accepturum. Hic Xenophon quid ageret dubitabat: è Pario enim soluerat cum unico puero, neque plus pecuniæ habebat, quàm pro uiatico esset. Cùm iam essent omnes ingressi ad cœnam, è Thracibus qui tunc aderant, nobilissimus quisque, duces deinde ac centuriones Græcorum, & à quacunque ciuitate missæ legationes, in

orbem

orbem accubuere. Sunt omnibus tripodes appositi, nõ pau ciores quàm XX. carnibus refertißimi: & cum carnibus confixi panes fermentati, prægrandes. Hospitibus autem præ cæteris, mensæ patrio ritu apponebantur. Seuthes primus omnium appositos sibi panes in frusta discîdit, atque eos quibus uisum est proiecit: eodem modo & carnes à se duntaxat prægustatas. Atq; itidem cæteri, quibus mensæ appositæ fuerant, fecere. Erat in eo cõuiuio Arcas quidam, Aristus nomine, edacitate maximè insignis: is ritum illum dißipandi, ac distrahendi cibaria, nihil ad se pertinere arbitratus, ingenti pane correpto, carneq; multa genibus imposita, epulabatur. Cumq; uini cornua, quæ circumferebantur, omnes à pincerna accepissent, ac iam Xenophon epulari desisset, Aristus, illi, inquit, propinato: cessat enim iam, ego uerò neutiquam. Eam uocem cùm audisset Seuthes, de pincerna quæsiuit, quid ille diceret: id cùm indicasset, Græcè enim aliquid sciebat, risus est abomnibus consecutus. Cùm omnes iam potu exhilarati essent, introijt Thrax quidam album equum ducens, sumptoq; uini pleno cornu, Tibi, inquit, propino Seuthe, atq; hunc equum dono do, super quo & quencũq; uolueris facile assequêre, ac si retrocedere cõtigerit, à tergo relictum hostem non metues. Alius puerum, eodem modo propinans, dedit: uestimẽta alius, ad uxoris usum. Timasion argenteã phialam, & tapetium, non minoris precij minarũ X. Surrexit hic Gnesippus Athenienſis, ac, Prisca, inquit, lege, qui habent, regi dona dant: qui non habent, eos à rege æquum est accipere, ut ego quoque inquit habeam quo te donem atque honorem. Hæc ille. At Xenophon quid agendum sibi esset, uehementer dubitabat. Sedebat ille

quidē in proxima regi, atqueadeò honoratißima ſella. Et Heraclides pincernā ut cornu ei præberet monuerat. At ille cùm antè accumberet, poculo ſumpto alacriter ſurrexit: Et tibi ego, inquit, Seuthe, meipſum, & ſocios hoſce meos amicos trado atque dedo, & eorum neminem inuitum: nemo eſt enim qui non æque atque ego à te gratiam ſtudeat inire, tibiq; amicus eſſe cupiat: ac nunc adſunt, ut gratis tua cauſa & labores ſuſcipiant, & pericula adeāt: quorum auxilio, dijs fauentibus, & patrium regnum recipies, & alienos etiam agros imperio tuo adijcies, multos præterea equos, uiros, fœminas in poteſtatem rediges: è quorum finibus nihil erit neceſſe prædas agere: ipſi enim tibi ultro dona afferent. Tunc Seuthes ex prouocatione bibit, & de more cornu in eum qui proximus erat, effudit. Poſt hæc Ceraſuntij ingreßi ſunt, qui tibijs, tubisq; è bubulis oßibus, in numerum, ut qui magade canunt, ſignum dedere. Ad eum cantū primus omnium Seuthes excitatus, bellicum quiddam uociferatus eſt, ac peragiliter uitantis iaculum geſtum egit. Adfuerunt etiam ſaltationes. Sole uero iam cadente, ſurrexerunt Græci, ac Seuthen monuerunt tempus eſſe excubias diſponendi, ac teſſeram dandi: rogarunt etiā ut ediceret, ne quis è Thracibus noctu in Græcorū caſtra intraret: quòd ſanè de fide illorum nihil ſe dubitare dicerent, quanta uero Thracibus habenda eſſet, nondū ſe ſcire. Cum Græcis unà ſurrexit Seuthes, nulla ebrietatis ſigna præ ſe ferens: atq; exiens, ducibus ad ſe uocatis, Nondum, inquit, hoſtes de noſtra ſocietate quicquam reſciuerunt: quòd ſi eos adorti fuerimus, antequam aut ſibi caueant, aut auxilia contra nos comparent, facilè & prædam multam agere, & homines quamplurimos

plurimos capere poßimus. Id eſt ducibus uehementer probatum, ac ſe ut duceret, rogarunt. Vos igitur, inquit ille, parati ad rem gerendam, me expectabitis: ego cùm tempus idoneum uiſum fuerit, ad uos ueniam, ac cùm cetratos aſſumpſero, dijs fretus, uobis me ducem præbebo. Tunc Xenophon: Atenim, inquit, cõſideres uelim, nunquid ſi de nocte nobis iter faciendum ſit, præſtet Græco more agmen inſtruere: nam ſi de die eundum, ex locorum duntaxat ratione, aut grauẽ armaturã, aut peltatos, aut equitatum præire oportet: de nocte uerò cùm iter ſuſcipitur, Græco ritu impeditiſſima quæq; exercitus pars agmen ducit: ſic enim minimè agmen diuiditur, neq; facilè, qui fugam cogitent, alios latêre poſſunt: & profectò ſæpe accidere conſueuit, ut diſſipati per errorem in ſuos inuadant, ac magnæ utrinque offenſiones fiant. Rectè, inquit Seuthes, dicis, ac ueſtro iſti inſtituto parendũ cenſeo. Vobis itaque duces homines natu maximos, & eoſdem locorum peritiſſimos dabo: ego poſtremus cum equitatu conſequar, ac cùm opus fuerit, quãcelerrimè ad principia præſtò ero. Teſſeram Athenienſes cognationis ius dedere: atque his ita conſtitutis, quietè corpora curarunt. De media uerò nocte præſtò fuit Seuthes, ſecumq; loricatos equites adduxit, & cetratos ſuis armis inſtructos & ornatos: ubi æditi duces ſunt, grauis armatura agminis primam partem, ſecundam cetrati tenuerunt: equitibus tergi cuſtodia mandata eſt. Vbi uerò illuxit, Seuthes in frontem agminis promouit, ac Græcorum inſtitutum magnopere collaudauit: Sæpe enim ſe nocturnis itineribus in paruo agmine, cum equitatu, à pedeſtribus copijs aberrauiſſe. Nunc uerò ita, uti maximè opus eſt, uniuerſi prima luce eodem

in loco consistimus: sedenim quantisper ad uos aliquid spe culatus redeo, hic requiescite. Ac statim uiam montanam ingressus, cùm niuem multam offendisset, ad hominum ma ximè uestigia attẽdit, auersá ne illa essent, an aduersa. Vbi uiam uidit minimè tritam, ad suos reuersus, Rectè, inquit, modò dij faueant, omnia: homines, mihi credite, opprime- mus. Sed procedam cum equitatu, ut si quem fortè in uia uidero, eum antè comprehendendum curem, quàm hosti- bus quicquam significet: uos consequimini: ac si fueritis à tergo relicti, uiam uobis equorum uestigia monstrabũt. certè his montibus superatis, in uicos perueniemus mul- tos & opulentos. Hora ferè sexta iam erat, cùm ipsa mon tium iuga tenebat: unde cùm uicos despiceret, incitato e- quo ad grauem armaturã uenit: ac immittam, inquit, equi tem in campos, peltatos in uicos: uos uelim quamcelerri- mè consequi, ut si qui restiterint, opem feratis. Hæc cùm Xenophon audisset, ex equo statim desiluit. Ad quem Seu thes: Quid tu, inquit, descendis, cùm sit accelerandum? Scio, inquit ille, te non mea unius opera indigere. Grauis uerò armatura multò maiorem celeritatem suscipiet, cũ me etiam ipsum pedestrem agmen ducentem uiderit. Cum eo profectus etiam Timasion, cum Græcis equitibus circi ter LX. Xenophon ijs, qui annorum L. minores essent, imperauit, ut à centurionibus digressi, expediti in primũ agmen transirent: ac cum his ipse raptim aduolauit. Clea nor Græcos ducebat. Vbi in uicos peruentum est, recur- rens cùm L. haud amplius equitibus Seuthes: Ita, inquit, est, uti antè dixisti Xenophon: equites longè iam à nobis abierunt, ac soli huc illuc excurrunt: illud uerò metuo, ne hostes globo facto eos inuadant. Oportet itaque uestrũm partem

partem aliquam, circa hos uicos in præsidijs esse: sunt enim hominib. refertißimi. Atenim ego, inquit Xenophon, cum meis iuga occupabo: Tu uerò Cleanora iube per eam pos phalangem in uicos extendere. Cùm id ita factum esset, capti sunt homines non pauciores quàm M. boues bis mille, ouium propè X. millia: ac tunc quidem ibi pernoctarunt. Postero uerò die Seuthes cùm uicos totos exuri iußisset, atque ita ut nulla domus reliqua fieret, ut cæteri, nisi paruissent, quid metuendum sibi esset intelligerent, pedem retulit, ac prædam Heraclide tradidit, ut eam Perinthi uenundandam curaret, quò ex ea pecunia, quæ inde coacta esset, stipendiũ militi dißolueretur. Ipse cum Græcis in Thynorũ campis castra posuit. Ex hostibus qui euadere potuerant, in montes confugerant. Erat in illis locis niuis magna uis, ac frigus adeò uehemens, ut quam ad cœnam ferebant aqua, quin & in dolijs uinũ congelasceret, multis etiam Græcorũ nares & auriculæ solo tactu prærigore auellerentur. Ac tunc planè nostris est intellectum, quanam de causa Thraces uulpiũ pellibus capita, ad imas usq; aures uelarent. Sed ijdem non solum pectora, sed femora etiam tunicis muniunt: atque in equis sedentes, talaribus lacernis, non chlamydibus utuntur. Seuthes quibusdam è captiuorum numero in montes dimißis, iußit illis, qui illuc confugerant, renunciare, nisi in pristinas sedes quamprimum redissent, ac se in eius potestatẽ dedissent, se uicos eorum inflammaturum, corruptoq; omni frumento, fame eos necaturum. Fecit hic nuncius ut mulieres tantum, pueriq;, ac seniores descenderent: iuniores uerò in uicis, qui sub monte erant, consederunt. Quod cùm Seuthes resciisset, Xenophontẽ iußit cum ualentißima grauis

armaturæ parte se sequi. Nocte è castris egressi, cũ prima luce in uicos uenerunt. Ex illis uerò quamplurimi diffugerant in proximos montes: quicũq; deprehensi sunt, eos omnes iaculis Scuthes confixit. Erat in Græcorum exercitu Epistheneſ quidam Olynthius, puerorum amator: is eximia pulchritudine puerũ, tunc primum pubescentem, pelta tum primùm armatum conspicatus, cùm propè iam esset ut occideretur, Xenophontem obsecrauit, ut puero tam pulchro auxilio esset. Et ille quidem deprecatione suscepta, primùm Scuthen docuit, Epistheneſ ijs moribus hominem esse, ut non aliam ob causam aliquando centuriam unam conscripserit, nisi ut eorum qui forma præstarent, delectum haberet, ac uirtutis unà cum illis documenta daret. Tunc Scuthes ad eum cõuersus: Quid tu, inquit, Epistheneſ, inducás ne tibi in animũ, ut pro isto moriare? Tunc ille iugulum ostentans, Feri me, inquit, si ita puer iubet, atq; id est gratum ei futurum. Puerũ deinde rogauit, nunquid hunc uellet pro se cædi? at ille negans, pro se ac pro illo simul deprecabatur. Hic Epistheneſ cùm puerum dono accepisset, Iam paratus, inquit, sum, si ita res ferat, pro hoc certare, neq; ego hunc unquam dimittam. Subridens Scuthes, hæc omisit. Statuit autem castra eo ipso in loco ponere, ne, qui se in montes recepissent, ex illis uicis ali possent: ac ipse quidem plano loco tabernacula sua constituit. Xenophon cum lectissimo quoque in supremo qui erat sub monte, uico, alij uerò Græci in montanis (sic enim appellantur) Thracijs, non longè à cæteris. Quibus in locis cùm dies paucos cõmorati essent, ex montibus ad Scuthen legati uenerunt, tanquã de conditionibus & obsidibus acturi. Atq; eodem tempore Scuthen Xenophon monuit,

monuit, non esse satis bono loco castra locata, quòd ea facile possent tam propinqui hostes inuadere: ac certè fuisse potius munita loca, quam angusta deligenda, in quibus non longè à summo periculo abessent. Iubet Seuthes eum bono animo esse, ac simul obsides ostendit. Nonnulli etiam ex ijs, qui è montibus descenderant, Xenophontem ipsum rogare cœperunt, sibi ut conditiones conficeret. At ille ita se facturum spopondit, in suamq; eos fidem recepit, nihil omnino affirmans incõmodi passuros, si Seuthæ se dedissent. Verùm illi ut specularentur uenerant: nocte enim ea quæ diem, quo hæc acta sunt, consecuta est, Thyni impetu facto nostros adorti sunt. Duces erant domorum singularum domini, quòd alij in uicis, domus per tenebras agnoscere non potuissent. Domus ipsæ firmißimis erant uallis ad pecoris custodiam circunseptæ. Ad earum tunc fores cùm uentum esset, alij mißilia intrò iaciebant: alij lora quædam, ac tanquam scuticas uibrabant, quibus ad præcidendas hastarum cuspides utebantur. Erant qui faces immitterent: ac Xenophontem quidem, eum nominatim appellantes, exire iubebant ad necem, aut se illum intus crematuros minabantur: ac iam ad culmen ignis euaserat, & qui sub tecto erant, cum Xenophonte loricas & galeas ceperant, cùm Silanus Macestius, adolescens annos natus decem & octo, tuba signum dedit: quo audito, repentè ex omnibus tugurijs districtos enses tenentes Græci eruperunt: Thraces uerò, qui ipsis mos est, in fugam se dederunt, peltis in tergum reiectis: & ex illis non pauci, qui uallum ascenderant, peltarum loris implicati, de ualli sudibus pependerunt: alij, cùm in tanta trepidatione exitum non reperirent, occisi sunt. Græci fugientes ultra ui-

cum insecuti sunt: contra quos Thynorũ quidam conuersi, in tenebris, nonnullos qui ardentem domum prætercurrebant, uulnerarunt, missilibus ex tenebris in lumẽ iactis, & inter Hieronymũ Enodiam, & Locrensem Theagenem, centuriones: uerùm nemo perijt. Multorum arma igni consumpta. Et Seuthes quidem cum equitibus tantum septem auxilium laturus uenit, ac secum tubicinem Thracium adduxit. Vbi in cõspectu fuit, quãdiu auxiliatus est, tamdiu cornua cecinerunt: quæ res hostibus magnum terrorem iniecit. At ille Græcos cõplexus, se timuisse dixit, ne multos cæsos reperiret. Hic Xenophon rogat ut obsides si bi tradat: ac se pollicetur cum illo ad montem oppugnandum profecturũ: sin minus, eò se mitti postulat. Postero die Seuthes obsides tradidit, grandiores natu homines, quos omnibus montis incolis aiebant dignitate præstare: ac ipse etiam est cum copijs suis profectus. Habebat iam Seuthes exercitum triplo maiorem. Ex Odrysis enim multi fama rerum à Seuthe gestarum commoti, ut eius essent expeditionum participes, descenderant. At Thyni cum grauem armaturam tantam, tamq; multos peltatos & equites uidissent, supplices pacem petere, & se imperata facturos polliceri, ac ut à se pignora fidei acciperẽt, rogare. Quare Seuthes accersit Xenophontem, atq; ei exponit quæ illi attulissent: seq; negat ullo pacto pacem petentibus daturum, si statuisse ipsum intelligat, impetũ, quem illi paulò antè fecerant, ulcisci. Atqui, inquit Xenophon, mihi hercule satis magnas pœnas dederint, si qui liberi antè fuerunt, in seruitutẽ rediganturr: censere tamen se, ab illis obsides accipiendos: atq; eos in primis, qui ad faciendam iniuriam instructiores, ac paratiores esse uiderentur: seniores

niores uerò domi relinquendos. Horum illi nihil recusarunt. Hinc ad Thracas, qui Delta incolunt, quæ regio supra Byzantiũ est, transeunt. Iam locus hic ad Medosadæ imperium nihil attinebat: nam ueteris cuiusdam Terei Odrysorum regis ditione continebatur. Hic Heraclides cum pecunia de manubijs adfuit: & Seuthes cum iuga tria iumẽtorum, quòd plura non habebat, boum uerò alia produxisset, ut à se dona ea acciperet, Xenophontem rogat: alia uero quæcunque, ut prætoribus & centurionibus diuidat. Hæc Seuthæ offerenti, respondet Xenophon, satis sibi fore, si alio tempore accipiat, in præsentia, inquit, ista ducibus & centurionibus, qui me huc secuti sunt, donato. Accepit itaque Timasion Dardanensis iugum unum, unum Cleanor Orchomenius, unum Phryniscus Achæus: boum uero iuga inter centuriones partitus est. Cumq; iam mensis exisset, XX. duntaxat dierum stipendium pendit. Heraclides enim se de præda nihilo maiorem pecuniam coẽgisse affirmabat. Quare Xenophon commotus, Heraclide, inquit, non uideris mihi satis diligenter, quæ ad Seuthæ utilitates pertinent, curare: attulisses enim tu quidem stipendium integrum, ac si aliter non potuisses, uel fœnori accepta pecunia, aut ipsis tuis uestimẽtis diuenditis. Hæc oratio uehemẽter Heraclidæ animum offendit, cùm non parum metueret, ne ex eo amicitiæ loco, quem apud Seuthen obtinebat, deturbaretur. Exinde itaque quàm potuit maximè Xenophontem cœpit apud Seuthen insimulare. Milites cum Xenophonte expostulabant, quòd stipendio fraudarentur. Seuthes ægrè ferebat se toties ab eo appellari. Atque hactenus quidem semper erat solitus dictitare, se ubi ad ma-

re ueniſſet, Xenophonti traditurũ Biſantem & Ganon, & nouũ murum. Sed ab eo tempore, nihil iam eorum cõmemorabat. Nam & illud Heraclides, quò Xenophontẽ in ſuſpicionem & inuidiã adduceret, dictitabat, nõ eſſe ſatis tutũ in poteſtatem hominis exercitũ habentis, munita loca tradere. Quæ res effecit, ut Xenophon deliberãdum ſibi putaret, an perſiſteret in ea ſocietate. Heraclides interea duces alios ad Seuthen adduxit, ijſq; perſuadere conatur, ut profiteantur ſe in exercitu ductando, nihilo quàm Xenophontẽ imperitiores fore: ac ſe illis intra dies paucos pollicitus eſt, mercedem duũm menſium curaturũ, manerent modò in officio. Ibi Timaſion omniũ primus: Ego uerò, inquit, ne ſi menſium quinq; ſtipendium capiã, ſine Xenophonte, ut in ſocietate hac permaneã, adduci poſſum. Ac ſe idem in animo habere Phryniſcus & Cleanor affirmarũt. Tunc Seuthes Heraclidem obiurgauit, quòd Xenophontem nõ accerſiſſet. Accerſitur itaq; unus Xenophon: qui cùm Heraclidem intelligeret operã dare (ut erat malitioſus) ut ſibi apud cæteros duces inuidiam conflaret, uenit cum ducib. & centurionibus: quibus cum perſuaſum eſſet ne à Seuthe deficerent, caſtra mouerunt, ac primũ ad dexterã, regione relicta eorũ Thracum qui Melinophagi (id perinde eſt, ac ſi panico ueſcentes dicas) appellantur, Salmydeſſum peruenerũt. Ad ea littora è mari, in breuia & quaſi æſtuaria quædã impactæ naues quãplurimæ, in Pontũ uenientes, frangũtur: eas Thraces prædantur, diuiſis inter ſe littoribus, columnis per interualla erectis: nam antequam id fieret, de præda inter eos cædes plurimæ fiebant. Ibi lecti multi, et arcæ item multæ reperiæ ſunt: multæ papyri, & alia multa, quæ in ligneis uaſis repo-

repoſita nauiculatores habere conſueuerũt. His omnibus direptis abierunt. Iam copias Seuthes Græcorũ exercitu maiores habebat: ex Odryſis enim longè plurimi deſcenderant, qui omnes Seuthæ fidem ſecuti ſunt. Caſtra ſupra Selymbriam habebãtur, in campis qui à mari abſunt quinquaginta circiter ſtadia: ſtipendium omnino nullum pendebatur. Et milites Xenophonti ſuccenſebant, quòd ab eius familiaritate & conſuetudine iam Seuthes refugere uidebatur: nam ad eum quoties ueniret, ſe ille negocijs diſtineri cauſabatur. Interea cũ iam mẽſes duo abiſſent, Charminus Laco, & Polynicus à Thimbrone miſſi, nunciant decreuiſſe Lacedæmonios bellũ Tiſſapherni inferre. Iam cum claſſe profectum Thimbronem, qui exercitum inuitaret, menſtruum ſtipendium militibus ſingulis Daricum pollicens, centurionibus duplicatum. Quod ubi Heraclides cognouit, Seuthæ ſuadet, conducere eum exercitũ tradere Lacedæmonijs. Illi, inquit, eo indigent, tibi nihil opus eſt: & ſanè illis non parum gratificabere. Stipendiũ uerò hi abs te non exigent: quamprimum enim è noſtris finib. decedent. His ille perſuaſus iubet legatos introduci, ac legatione audita, ſtatim ſe exercitũ illis tradere reſpondit, amicum q; ſe & ſocium Lacedæmoniorum futurum. Legatos etiam hoſpitaliter inuitatos accepit magnificè, neque Xenophontem aut aliorum ducum quenquam uocauit. Cum autem Lacones quæſiſſent, qui uir eſſet Xenophon: reſpondit ille, non omnino malum eſſe, ſed militum amantiorẽ ferè quàm opus eſſet, ac ſibi propterea minus utilem. Nunquid, illi inquiunt, popularem ſe militib. præbet? Vnus omniũ maximè, reſpondit Heraclides. At illud uerendum eſt, dicunt illi, ne hunc nobis exercitum abdu-

cere cupientibus, aduersetur. Verũ, inquit Heraclides, illis uos in unum congregatis stipendiũ si promiseritis, Xenophonte non magnifacto, uos proculdubio sequentur. Sed quonã possint modo congregari? inquiũt illi. Cras, respondit Heraclides, uos ad eos deducam: neq; dubito quin simulac uos uiderint, concursuri sint. Et his quidem sermonibus dies exemptus est. Postero uerò die à Seuthe & Heraclide deducti sunt ad exercitum legati. Cum in unum omnes cõueniissent, Lacones duo his uerbis locuti sunt: Lacedæmonijs uisum est bellum Tissapherni inferre, à quo iniuriam acceperunt: uos nobiscum si societatem coieritis, & cõmunem hostem ulciscemini, & Daricum uestrũm unusquisq; mensibus singulis capiet, centuriones uerò duplum, quadruplũ duces. Hæc milites audierũt sanè quàm libenter. Ac statim ex Arcadibus quidam surrexit, & Xenophontem acerbè cœpit accusare. Aderat Seuthes: ut planius enim cognosceret quorsum res euaderet, propius accesserat, & eo loco constiterat, adhibito interprete, è quo facilè omnia posset audire. Sed multa etiam Græcè sciebat. Arcas ita locutus est: Nos iampridem ad uos ueniissemus Lacedæmonij, nisi Xenophontis oratione inducti huc diuertissemus, ubi & hyemem importunißimam, & asperrimam egimus: et militaria munia obeuntes, neq; diem, neq; noctem unam quieuimus. Ille uerò fructus nostrorum laborum præripit, & eum sanè Seuthes donis expleuit, nos nostro stipendio fraudat. Quòd si, idem inquit, lapidibus illum obrutum, & pœnas pro eo quòd nos tandiu uexauit, dantem uideam, planè integram mihi uidear mercedem accepisse, neq; erunt, quæ passus sum, ulla ex parte amplius grauia. Surrexit deinde alius, & subinde alius.

alius. Quibus commotus Xenophon, sui purgandi causa ita locutus est: Nimirum nihil est quod homini metuendum non sit, cùm eas uos mihi res crimini esse uelitis, in quibus mihi conscius sim, cura studioq; summo, uestris rationibus quamoptimè consultum uoluisse. Diuerti ego uobiscum, cum iam nihil, quàm domum redire mallem: non sanè quòd existimarem posse me uos magno aliquo beneficio afficere, sed cùm urgeri uos rerum omnium penuria uiderem, ut uos qua possem ope subleuarẽ. Ac cùm per nuncios Seuthes hicce me solicitaret, ac mihi quiduis pollicere tur, si ut uos ad se ueniretis effeciſſem, testes uos ipsi esse potestis, non potuisse me adduci. Deduxi igitur uos eum in locum, unde quamfacilimè in Asiam traijcere possetis: quod maximè uobis conducere existimabam, & uos esse in eam partem propensiores cognoscebam. Verùm cùm Aristarchus cum triremibus uenisset, ac nos traijcere uetuisset, ad uos ego, sicuti res postulabat, de eo quod faciendum esset retuli. Quo tempore cùm Aristarchus, ut in Chersonesum ueniretis imperaret, ac Seuthes ad societatem inuitaret, nónne dixistis omnes ad Seuthen eundum, atque id uestris etiam sententijs declarastis? Dicite igitur obsecro, inquit, nunquid ego eo uos læserim, quòd uestræ uoluntati obtemperans, uos, quò ipsi manimè uoluistis, duxerim? Postea uero quàm Seuthes, neglecta quam dederat fide, cœpit uos mercede fraudare, si mihi eius factum probatur, iurè uos quidem & accusatis me, & odio habetis: sin contrà ab eo nunc maximè cui fui coniunctissimus, dissideo, quánam de causa: qui in uestra esse, quàm illius potestate malim, nunc à uobis in inuidiam & crimen rapior? Quòd si illud dicitis, posse me stipẽdijs uestris

interuersis, in causa uestra apud Seuthen præuaricatũ: illud certè perspicuũ est, quod si quid mihi Seuthes pendisset, non posset utiq; ferre, ut et eo careret, & insuper aliã uobis pecuniam penderet: pendisset enim ille, ut minore mihi pecunia data, tanto maiorem uobis non daret. Quòd si aliter existimatis, si mercedem uestram nunc à Seuthe exegeritis, facilè utriusque nostrum artem reddetis irritam. Quis enim dubitet repetiturũ à me Seuthen quæ dederit, si pactus quod fuerim, precio corruptus, ei nõ præstitero? Sedenim multum abest, ut uestra ego uos mercede fraudarim: ac per deos omnes deasq; iuro, Seuthen neque ea mihi dedisse, quæ priuatim promiserat: adest ipse, atque hæc audiens, si mentior, perurij me tacitus condemnat. Ac quod magis miremini, illud etiam adiuro, minus me multò accepisse, quàm cæteros duces, ne dicam quàm de centurionibus nonnulli. Quæ uerò me res, ut id facerem adduxit? Existimabam, quò eum magis in aduersis rebus iuuissem, tanto fore mihi in sequundis amiciorem. Sed simul eius & res secundas uideo, & animum cognosco. Quid igitur, dicat aliquis, non erubescis cùm te sentis tam fuisse improuidum, ut ludibrio te habuerit? Ego uerò planè erubescam, si ab hoste me deceptum sentiam. Verum quicunque sub amici nomine alterum fallit, is, meo iudicio, multò est, quàm qui fallitur, turpior. Nam si qua est aduersum amicum cautio, eam uos sedulò adhibuisse satis scio, ne causa ei esset, quamobrem ea uobis non daret quæ promisisset: neque enim hunc nos aut læsimus quicquam, aut ullo per ignauiam nostram detrimento affecimus, neque ullum, quod ipse nobis proposuerit, certamen refugimus. Verùm dicatis fortasse, pignora fuisse postulanda, ne

nos

nos posset cùm uellet fallere. Ad hæc auscultate: quæ sanè reticuissem, nisi uos aut minus peritos rerum iudices, aut meorum erga uos meritorum immemores cognouissem. Recordamini quo loco res uestræ essent, cùm uos ad Seuthen deduxi. Perinthum cùm intrare uelletis, non patiebatur Aristarchus: qui occlusis portis, uos sub diuo, hyeme summa, statiua habere cogebat: foro uero eo utebamini, in quo prætenues erant copiæ, neq; uobis unde emeretis, quæ opus erant, ualde suppeditabat. Necesse uerò erat in Thracia permanere: triremes enim excursionibus assiduis, quò minus traijceremus obstabant. Quòd si statiua in hostili agro habuissemus, in quo erat magnus equitum numerus, magnus etiam peltatorum, cùm grauem tantum nos armaturam haberemus, potuissemus fortassis uniuerso agmine in uicos inuadere, & inde non ita multum commeatuum quærere. At cùm neque equitatum, neq; peltatos ullos à uobis accepissem, neq; persequi, nec retinere, uel homines, uel pecora potuissemus. Tam dubijs igitur rebus, si uobis gratis Seuthen conciliaui, hominẽ & equitum & peltatorum copijs ualde instructum, uideor, uestram fidem obtestor, uobis ego male cõsuluisse? Vos certè dum eius societate usi estis, & frumenta in uicis, quos effuse fugientes præ metu Thraces deseruerant, reperistis, & pecoris ac mancipiorum participes fuistis. Præterea postea quã equestres copias habere cœpimus, nulli nobis hostes in conspectum uenerunt, cùm antè nos & equitatu, & peltatorum suorum globo acriter urgerent, semperq; impedimento essent, quò minus parua manu largiores uobis cõmeatus acquirere possetis. Is igitur, per quem hanc estis securitatem cõsecuti, quòd magnam præterea uobis

mercedem non penderit, quasi uos magna aliqua calamitate affecerit, ad necem deposcitur? Considerate uerò quæ futura fuisset abeundi facultas, nisi hyemem in summa rerum omnium copia egissetis, ac nisi aduentitiũ quasi quiddam & superuacaneum à Seuthe accepissetis. Quæ enim hostibus eripueratis, iam prorsus erant consumpta: et interea uestrũm omnino neminẽ neq; cæsum, neq; bello captum amisistis. Ad hæc, si quid in Asia præclarè gessistis, nónne ea uobis gloria integra atq; incolumis manet? & ad eam nouam hanc in Europa, deuictis contra quos bellastis Thracibus, addidistis? Ego mehercule ita statuo: pro ijs quorum mihi causa irascimini, magnam à uobis dijs immortalibus, per quos maximorum bonorum compotes fuistis, gratiam habendam. Atq; hic fuit rerum uestrarum exitus. Nunc, quàm mecum sit præclarè actum, cognoscite. Ego si domum statim rediissem, primùm laudem sanè magnam, quam mihi tunc omnes impertiebamini, reportassem, ac per uos fuisset gloriæ meæ apud alias Græciæ gentes aditus patefactus: fidem uerò mihi habuissent Lacedæmonij, quando illi me ad uos remiserant: Nunc ad ipsos Lacedæmonios, in summam à uobis inuidiam adductus, proficiscor. Vestra etiam causa cum Seuthe inimicitias suscepi, quem meo uestroq; merito sperabam, aut mihi aliquando, aut liberis meis, si ita usu uenisset, memorem se & gratum præbiturum. Ac ipsi uos, quorum ego causa, tanto quàm ego sum, potentiorum hominum odia subij: quiq; ab ijs, quas saluti uobis fore existimem, actionibus nondum tamen desistere possum, isto in me animo estis. Sed quid uerbis opus est? iam me habetis, neque fugientem neque deprecantem. Atqui si in me, uti minamini, sæ-

mi sæuieritis, hominem certè tolletis, cuius toties uigilantia seruati estis, qui multa uobiscum gesit, multa pericula adijt, cùm suam, tum alienam uicem, officio suo functus: quiq; dijs fauentibus, ac uestra adiutus uirtute, multa de Barbaris trophæa erexit. Eum præterea, qui quantum maximè potuit, semper plurimum contendit, ne cùm ulla Græcorum natione uobis bellandum esset. Ac certè, amoto iam metu, quò uobis libet, terra mariue licet proficisci. Vos uerò rebus iam sequundißimis fruentes, cùm expedita iam sit, quod iampridem cupistis, nauigandi facultas: ac uestrûm sibi potentißimi auxilium expetant: stipendium in promptu sit: ultro se uobis Lacedæmonij duces præbeant, qui facilè præstare cæteris uirtute & imperio existimantur: tempus iam, quo me occidatis, idoneum nacti estis. At quàm, perditis et afflictis rebus, alium erga me animum præ uobis ferebatis, cùm me, ô maximè omnium memores, parentem appellabatis? cùm meorum erga uos meritorum semper sanctam atq; inuiolatã memoriam fore promittebatis? At neq; sunt rerum imperiti hi, qui nunc ad uos uenerunt: quare nisi me animus fallit, nihilo uos certè meliores de uestro isto in me facto iudicabunt: Hæc Xenophon. Qui cùm peroraſſet, surrexit Lacedæmonius Charminus: Et mihi sanè, inquit, non iurè milites huic succẽsere uidemini: possum enim eum ego quoque meo testimonio subleuare. Nam cùm ego & Polynices quæsissemus de Seuthe, quid de Xenophonte sentiret: aliud ille nihil habuit quod accusaret, nisi quòd eum dixit nimis propenso esse in milites animo: ac propterea cum eo deterius & à nobis Lacedæmonijs agi & ab ipso Seuthe. Surrexit deinde Eurylochus Lysiates Arcas: Ac ui-

detur mihi, inquit, Lacedæmonij, nihil nobis antè auſpicijs ductuq; ueſtro gerendum, quàm Seuthes, uelit nolit, quæ nobis debet ſtipendia penderit: neq; omnino hinc antequam ea receperimus, diſcedendum. Ad hæc Polycrates Atheniensis Xenophontis cauſam agens: Video, inquit, milites adeſſe Heracliden, qui pecunia, quam magnis noſtris laboribus partam nobis debebat Seuthes, interuerſa, & Seuthen ipſum, & nos ea fraudauit. Itaque ſapiemus ſi ipſum comprehenderimus. Neque enim Thrax eſt, ſed Græcus male de Græcis meretur. Hæc cùm audiſſet Heraclides, uehementer territus eſt: & ad Seuthen accedens, Nos, inquit, ſi ſapimus, hinc abeuntes, ex horum nos poteſtate ſubducemus. Vterque igitur citatis equis, in ſua caſtra redierunt. Mittit inde Seuthes Ebozelmium interpretem ſuum ad Xenophontem, ac ſe illi ſpondet, & maritima illa loca, et reliqua quæ promiſerat, daturum, ſi apud ſe cùm grauis armaturæ militibus mille permanſerit. Addit tanquam arcanum, audiſſe ſe de Polynice, illum ſi in Lacedæmoniorum poteſtatem ueniſſet, proculdubio à Thimbrone occiſum iri. Ac ſanè hoſpites multi Xenophontem per nuncios monebant, ut concitatam ſibi multis criminationibus inuidiam caueret. Ea re commotus Xenophon, hoſtias duas Ioui regi immolat, conſulitq;, acquiescendum ne Seuthæ conditionibus, an uerò cum exercitu diſcedendum. Diſcedendum exta nunciarunt. Interius Seuthes caſtra locauit, Græci uerò in uicis: unde frumento plurimo coacto, ad mare deſcendere in animo habebant. Hos uicos Medoſadæ Seuthes tradiderat. Medoſades itaque, cùm à Græcis abſumi pagana uideret, moleſtiſſimè id ferebat. Aſſumpto igitur ex Odryſis, qui illuc deſcen-

deſcenderant, homine potentiſsimo, ac quinquaginta ferè equitibus, ad caſtra propius accedit, & Xenophontem ad ſe accerſit: qui cum centurionibus & honeſtis aliquot hominibus uenit. Tunc ita Medoſades locutus eſt: Iniuriam uos quidem Græci nobis facitis, qui uicos noſtros populamini: uobis itaque edicimus, ego pro Seuthe: hic qui adeſt, pro Medoco ſuperioris Thraciæ rege, ut ex his finibus quamprimum diſcedatis: quod niſi feceritis, iniurias ueſtras nullo pacto feremus, quin tanquam hoſtes uos ulciſcemur. Ad hæc ita reſpondit Xenophon: Tibi quidem, ad ea quæ dicis, eſt omnino difficilè reſpondere. Verùm iſtius adoleſcentis cauſa dicam quæ opus eſt, ut quales uos ſitis, quales item nos, facilè cognoſcatis. Nos antequam uobis amici eſſemus, per hos fines quocunque libitum eſſet, uel populantes, uel etiam urentes excurrebamus: ac tu quoties legatus ad nos ueniſſes, intra caſtra receptus, hoſtes planè nullos metuebas. Vos uerò in hos agros nunquam ueniebatis: aut ſi quando ueniſſetis, ut inter eos, qui uiribus præſtarent, frænatis equis pernoctabatis. Poſtea uerò quàm uobis amicitia nobiſcum intercedit, & noſtra maximè opera agrum hunc tenetis, eijcitis nos ex ea regione, quam noſtra uoluntate captam habetis. Vt enim ipſe noſti, nos certè hoſtes eijcere non potuiſſent. Tantum uerò abeſt ut donis ac beneficijs optimè de uobis meritos proſequaris, ut caſtris etiam locum capere prohibeas. Neque, dum iſta dicis, aut deos uereris, aut iſtum ipſum hominem, qui te iam diuitem conſpicit, cum antè, ut ipſe profitebare, antequam ad amicitiam te noſtram applicaſſes, è latrocinijs tibi uictitandũ eſſet. Verùm quid hæc mecum agitis? cur non potius cum Lacedæ-

monijs? quibus abducendum exercitum, ô uiri omnium præstantißimi tradidistis, re mecum neutiquam communicata, ne uidelicet eam inuidiam, quam mihi his copijs ad uos adductis concitaram, si nunc illis eas ipse reddidissem, extinguerem. Hæc cùm Odrystus ille audisset, ego, inquit, Medosade, infra terram præ pudore, cùm hæc audio, me abdere cupio: & profectò si hæc antè scissem, te huc nullo pacto secutus essem. Verùm iam abeo: satis enim scio me apud Medocum reprehensione carere non posse, si me intelligat bene de nobis meritos homines è finibus pellere. Hæc locutus equo citato abijt, & cum eo equites omnes, præter quatuor, aut ad summum quinq;. At Medosades, ut qui æquo animo ferre non poterat agrum populationibus uastari, Xenophontem iubet in consilium legatos Lacedæmoniorum uocare. At ille assumptis lectißimis quibusque, ad Charminum & Polynicem uenit: tum, uos, inquit, accersit Medosades, idem quod nobis imperaturus, ut è finibus abeatis: uobis itaq; nunc ea potestas est, ut Græcis debitum à Seuthe stipendiũ auferatis, si ita huic responderitis, rogare Græcos, ut se adiuuetis in sua, à Seuthe uel uolente, uel inuito, mercede recipienda. Atque eos quidem polliceri alacriter se, sibi si non defueritis, uobis operam nauaturos. Videri uobis illos æquum poscere: ac uos iam promisisse, non antè discessuros, quàm suum ius milites obtinuerint. Id cùm Lacones accepissent, se ita dicturos affirmant, atque hanc causam quamaccuratißimè acturos: ac statim ad Medosadem, cũ ijs, qui maximè idonei uisi sunt, comitibus uenerunt: & priore loco Charminus, Adsumus, inquit, Medosade, si quid uelis nobiscum agere: nam & nobis, quod tecum agamus, non deest. Ad

hæc

hæc Medosades perquàm demisse: Ego, inquit, & Seuthes rogatos uos uolumus, ne qua in re nostram amicitiam uioletis. Nam cùm hos calamitate afficitis, ea certè in nos iniuria redundat. Sunt enim nostri. Atenim (Lacones respõderunt) si hi, quorum ista maximè opera possidetis, suam à uobis mercedem acceperint, quam primũ hinc abibimus. Sin aliter, & ijsdem uenimus auxilium laturi, & in eos acriter animaduersuri, qui hos, iurisiurandi religione neglecta, uiolarunt: quo de numero si uos estis, istinc primũ pœnas expetemus. Adiecit Xenophon: Velitis ne Medosade, his permittere (quandoquidem uestros amicos esse dicitis, quorũ in finibus nos sumus) suffragio suo declarare, utrũ nos, an uos potius, malint hinc abire? At ille id sibi nõ placere respondit: tantũ Lacones hortatus, ut ad Seuthen secum uenirent, & cum eo de mercede agerent: sin ipsi id recusarent, ut Xenophontẽ secum mitterent, ac se ei auxilio fore promisit. Interea rogauit, uicos ne urerent. Mittitur Xenophon, & cum eo, qui maximè idonei comites ui si sunt. Qui cùm ad Seuthen accessisset: Adsum, inquit, nõ ut à te quicquã repetam, sed ut doceã, qua possim ratione, mihi te non iure succensere, quòd militibus, quæ tua summa uoluntate pollicitus es, à te exigam: siquidem tibi semper magis conducere ea reddere duxi, quàm illis recipere. Illud enim satis scio, te illos, secundũ deos, illustrem reddidisse, qui tam ampli regni te compotem fecerint, ac tam magnum hominum numerum potestati tuæ subiecerint, ut nullum iam, aut honestum, aut turpe factum tuũ, obscurum esse possit. Quare cùm ita se res tuæ habeant, tua permagni arbitror referre, nõ uideri te homines tam bene de te meritos, tam inhumaniter dimisisse. Neq; uerò

paruifaciendum est, hominum te VI. millium laudibus celebrari. Nam certè illud est tibi omnium maximè expetendum, neque irrita, neque uana uideri, quæ dixeris. Video enim leuium & inconstantium hominum orationem, futilem & inanem haberi, ac temerè huc atque illuc errare, sine põdere ullo, aut honore. Cõtrà uerò cùm fidei quempiam rationem habere maximam constiterit, eius orationem, si quid rogarit, nihilo minus ualere, quàm aliorum uim: eundum si quenq; ad officium uelit reuocare, minãdo id facilius, quàm alios puniẽdo cõsequi posse: ac postremò plus proficere promittẽdo, quàm alios statim dando. Recordare uerò cũ nos tibi socios asciuisti, an præ manu aliquid nobis dederis: certè tu quidem nihil, sed tuam duntaxat fidem secuti sumus: & ea una tot homines cõcitasti, quorum maximè auxilio & opera tibi id imperium partum est: quod multis partibus pluris æstimandum, quàm ea L. talenta, quæ à te nostri repetunt. Primùm fides (quæ tanti fuit, ut tibi etiam regnum parauerit) à te ista pecunia uenditur. Iam uerò quanti, obsecro te, æstimares istarum te rerum potiri posse, quæ in tua nunc potestate sunt? Mihi profectò dubium esse non potest, quin ista, quæ tibi effecta reddidimus, multò maiori, quàm quãtam nobis debes, pecuniæ fueris prælaturus. Mihi certè & dedecus multò maius esse uidetur, parta non tueri, quàm quæ in aliorum sint potestate, non uindicare: quanto scilicet grauius est è diuite pauperem fieri, quàm omnino ab initio diuitem non fuisse: quantoq; sit acerbius è regno eijci, quàm non esse regnum unquam cõsecutum. Et illud etiam non ignoras, eos qui nunc tibi parent, non amicitia cõciliatos, sed ui parêre coactos: aq; eos si quod

Viri constantis oratio quid ualeat.

recipien-

recipiendæ libertatis tempus nacti fuerint, neq; ullo fuerint metu retardati, facilè rebellaturos. Vtro igitur modo facilius in officio cõtineri possint, si milites hosce eo erga te animo esse uideant, ut uel si iubeas maneant, uel cùm opus fuerit quamprimum ad te redeant, atque id eos audiant prædicantes, tuo se merito tibi ubiuis locorum præstò futuros: an uerò si spem in perfidia tua positam habuerint, neque aliunde manum ullam tibi auxilio uenturam, neque hos quibus es usus, tibi quicquam fore quàm ipsis amiciores? Neque uerò illi quòd nostris copijs numero inferiores essent, subacti sunt, sed quòd plane duces nullos habuerunt. Quid futurum igitur est, si aut ex ijs, qui iniuria se lacessitos putant, dux illis unus aliquis exiterit? aut etiam ex melioribus, uidelicet Lacedæmonijs? quibus cum milites alacriores in bello futuros se polliciti fuerint, si in repetenda sua se adiuuerint mercede, certè cum exercitu indigeant, id illis concedent. Quòd autem, qui sub imperio tuo sunt Thraces, multò sint alacrius contra te, quàm tecum arma sumpturi, ex eo non est difficile coniicere, quòd te regnum obtinente, seruitus: eiecto, libertas illis parata est. Iam uerò si regioni huic, tanquam tuæ, bene consulendum est, utro tandem modo eam integriorem fore iudicas: si milites hi sua mercede, cuius tibi causa irati sunt, recepta, pacati abeant, an uerò, si & hi agrum populationibus infestum reddant? & maiorem tu, quam his opponas, manum comparare coneris, cui erunt nihilominus commeatus curandi? Et pecunia utra tandem ratione maior erogabitur, si quod his debes dissolueris, an uerò si & his uno tempore debeas, & alius tibi sit uel hoc maior exercitus alendus? Atenim hæc pe-

cuniæ ſumma, Heraclidæ, quod ex eius oratione cognoui, per hercle magna uidetur: ſed certè decem partibus minor tibi, uel reddenti uel accipienti, uideri debet, quàm ea, quam, cùm ad te uenimus, poſſidebas. Neque enim numero, quãtum quis uel det, uel accipiat, ſed hominis ipſius facultate metiendum eſt. Tu uerò nunc maiores quotannis fructus capis, quàm quanti omnis antè pecunia tua cenſeretur. Atque id ego tibi tanquam integra amicitia noſtra ſuadeo, quò & ipſe deorum tam multis beneficijs dignus habeare, & mihi non ſit concitatæ multitudini capitis pœna luenda. Qui eſt enim in præſentia militum in me animus, neque ego his copijs inimicum ulciſci, neque iterum ſi uelim, tibi opem ferre poſſem. Atqui & ipſum te, & deos, quos nihil latére poteſt, teſtes cito, nihil me, eo nomine, quòd tibi Græcos conciliarim, abs te accepiſſe: neque unquam quæ illis deberentur, mihi ut dares poſtulaſſe: quando neque ea repetij, quæ tu mihi ultro promiſiſti. Illud etiam iureiurando affirmo, nihil me abs te acceptum fuiſſe, niſi et milites ſuum recepiſſent. Quid enim turpius, quàm meis ipſius rebus ex animi ſententia tranſactis, eorum cauſam negligere, qui me maximè ornatum & honeſtatum uoluerunt? At Heraclides nugas eſſe arbitratur omnia, præterquam argentum quouis modo partum habere. Ego uerò Seuthe nihil homini cuiuis, ac præcipuè ei, qui in alios imperium habeat, ullas opes exiſtimo pulchriores, aut honeſtiores, quàm uirtus ſit, iuſtitia, animi magnitudo: quæ qui poſſideat, cùm ei tam multi amici ſint, ac tam multi eſſe cupiant, non poteſt non diuitijs plurimùm abundare: neque omnino ijs in ſequundis qui gratulentur, in aduerſis qui opem ferant, requirit. Quòd

ſi neq;

si neq; ex ullo facto meo satis perspectum habes, me tibi ex animo amicum esse, neque id etiam potes ex oratione mea cognoscere, ueniat tibi quæso in mentem eorum, quæ à militibus ipsis dicta sunt: audisti enim cùm dicerent uituperatores mei, dum apud Lacedæmonios me insimularent, te pluris multò à me, quàm Lacedæmonios fieri: méque accusarent, quòd tuis, quàm suis rationibus bene consultum mallem: ac ijdem accepisse me abs te pecuniam obijcerent. In quam suspicionem unde putas eos uenisse? An quòd me potius hostili, quàm prompto & beneuolo in te animo esse animaduertebãt? Ego mehercule ita existimo, neminem à quoquam, nisi beneuolentiam erga illum præ se ferat, munera accipere. Ac tu quidem, antequam de te quicquam bene mererer, & uultu & uoce me, hospitalibus etiam donis liberalissimè accepisti: promittendi uerò nullum finem faciebas: posteaquam uoti compos factus es, ac quantum ope, operaq; mea fieri potuit, creuisti, nihil quòd militibus nostris contemptui sim, ad te pertinere arbitraris? Atenim confido, ex tempore ipso consilio capto, te quod debes dissoluturum. Nam adduci non possum ut credam, te semper bene de te meritorũ hominum querelas pro nihilo habiturum. Te igitur rogatũ uelim, ut cùm satis militibus feceris, me etiam apud eos, in quem accepisti, locum restituas. Hæc ubi Seuthes audiuit, male ei precatus est, cuius suasu adductus Græcis iampridem stipendium non pendisset (illum nimirum Heracliden fuisse omnes suspicati sunt) Mihi enim, inquit, nunquam, ut milites sua mercede fraudarem, in mentẽ uenire potuisset, ac iam quod debeo dependam. Tunc Xenophon: Si certum est dependere, per me istud agito: neque me negligas in eum,

quem cùm ad te ueni, tenebam apud milites, gratiæ & honoris locum restituere, cùm præsertim eum, dum plurimum tua causa uolo, amiserim. At nihil, respondit ille, mea causa uolo apud tuos de tua existimatione detractũ. Ac si mecum maneas, cum mille duntaxat grauis armaturæ peditibus, & regiones tibi maritimas tradam, & quæ pollicitus sum omnia. Ad hæc Xenophon: Non est id, inquit, iam mihi integrum, quin tu nos quamprimum dimittito. Tunc ille: Atenim certò scio, si manseris, multò id tibi tutius futurum. Quòd mihi, inquit rursus Xenophon, cautum uelis, agnosco humanitatem tuam: sed non est id planè arbitrij mei. Verùm quicquid mihi honoris accesserit, id uelim existimes, ex re usuq; tuo magnopere futurum. Ibi Seuthes, Mihi, inquit, in præsentia argenti in promptu nihil plus est, quàm talentum unum, & illud iam tibi pendam. Boues uero DC. oues ter mille, mancipia centum & uiginti penes me sunt, hæc omnia auferto: & eos simul, qui te læserunt, à me obsides cape, ac quò libet abi. Subrisit Xenophon: & quid, inquit, si quæ aufero omnia integram mercedem conficere non possunt, cui nam talentum dabitur? Nonne satius fuerit, quod ab inimicis mihi imminet, periculum deuitare? audisti enim eorum minas. Ac tunc simul noctem eam peregerunt. Postero uerò die quæ promiserat Seuthes tradidit, ac simul qui præ omnia agerent misit. Interea uulgò inter Græcos oratio ea iactari cœpta, non redituru amplius Xenophontẽ: sed apud Seuthen ablatis ijs, quæ ille promisisset, mansurum. Quare ubi uenientem uiderũt, lætati magnopere sunt, ac ei cum gratulatione occurrerũt. Is uerò ubi Charminus & Polynicus in conspectu fuere,

Hæc

Hæc, inquit, opera uestra recepta sunt, quæ nunc uobis trado, uos ea arbitratu uestro diuidite. Illi magistris uenditionis constitutis, omnia uendiderunt: neq; omnino inter uersæ pecuniæ suspicione carere potuerunt. At Xenophon ab omni iam se cura abduxerat, neq; ulla de re magis, quàm de reditu cogitare uidebatur: nondum enim ei populi suffragio erat Athenis exilij pœna constituta. Hic ad eum homines è toto exercitu longè honestißimi accesserunt, ac multis cum precibus, ut non antè discederet contenderunt, quàm copias illas Thimbroni traderet. Cùm se igitur ille exorari siuisset, è Thracia classe Lampsacũ omnes traiecerunt: ibi Xenophonti obuius fit Euclides Phlia sius uates, Cleagoræ illius filius, qui in Lyceo somnia pinxit: ac de reditu gratulatus, quæsiuit quantum auri attulisset: iurauit Xenophon se ne uiaticum quidem habere quantißper domũ perueniat, nisi equum & sarcinas uendat: quod ille ut crederet adduci non poterat. Sed cùm Lampsaceni hospitalia dona misissent, adhibito Euclide Apollini Xenophon immolauit: inspectis uerò extis, se iam credere dixit Euclides nullam Xenophontem pecuniam habere. Atenim uideo, inquit, etiam in posterum ad pecuniam cogendam semper tibi aliquid impedimento futurum, si nihil aliud, temet tibi. Assensus est Xenophon. quid ni, inquit ille, cui aduersarius sit Iupiter placabilis? Quæsiuit rursus, nunquid ei sacrum feciſſet aliquando, uti ego, inquit, domi uobis consueram & immolare & uictimam adurere. Negauit Xenophon, se unquam illi deo toto peregrinationis tempore rem diuinam feciſſe. Persuasit igitur ille, ut sacrum ei faceret, ac secundiora futura deinde omnia affirmauit. Postero itaq; die Xenophon sub

Ophrynij mœnibus porcos mactat, & patrio ritu adurit. Litatum quidem est. Eodem ipso die adfuere Biton & Euclides, pecuniam militibus daturi: & inuitarunt illi quidem Xenophontem, & equum, quem Lampsaci uenunderat (suspicati numorum egestate coactum illum uendidisse, cùm alioquin equo audissent eo plurimũ delectatũ) redemptum illi reddiderunt, neq; precium recipere uoluerunt. Hinc profecti per Troiam, Ida superata Antandrum perueniũt: inde per oram Lydiæ in Thebes cãpos. Illinc prætergressi Adramytium, Certoniũ, Atarnum, & Caici campos, Pergamum Lydiæ oppidum intrant. Xenophon ab Hellade Gongyli matre hospitio acceptus, ex ea cognoscit, Asidaten hominem Persam in campis commorari. Hunc, inquit, si noctu, uel cum trecentis tantũ hominibus adoriare, facilè cum uxore & liberis opprimes, ac tota eius pecunia, quam planè luculentam habet, potiere. Ac ne ducem desideret, mittit Daphnagoram patruelem suum, hominem quem plurimi faciebat. Xenophon militibus iam coactis, rem diuinam facit. Agasias Eleus uates, læta esse exta nunciat, ac hominem posse capi. A cœna itaque iter ingressus est, assumptis ex omni centurionum numero amantissimis ac fidelissimis quibusque, quos nempe suo beneficio præ cæteris ornatos uellet. In eum tamen se militum delectum DC. ferè alij intrudere conati sunt, quos centuriones repulerunt, ne cum illis prædam, quam sui iuris futuram pro certò habebant, communicarent. Peruenerunt autem media ferè nocte ad Asidatæ munitiones: ibi cùm & mancipia, & res item multæ extra munimenta essent, de manibus omnia sunt elapsa, propterea quòd ad unum Asidaten, & eius pecuniam occupandam,

dam, animum adiecerant. Cùm uerò munimenta iam oppugnare cœpissent, neque turrem quandam capere possent, quòd præalta erat, ac firmissimis propugnaculis, & lectissimis hominib. instructa, eam aggressi sunt subruere. Erat muri latitudo, quantam fictilium laterum octonum structura efficere potuerat: opus tamen prima luce confectum. Sedenim cùm iam turris peruia esset, ex ijs qui intus erant quidam, de nostris eum qui sibi proximus erat, ueruto transfodit: ac reliqui sagittis iaciendis effecerunt, ne cui esset uel præterire tutum. Cumq; ijdem clamore, & ignium significatione auxilium implorassent, præstò fuit cum suis copijs ex Comania Itabelius. In ijs erat grauis armatura, præsidiarij equites Hyrcani, omnes regis mercenarij, numero LXX. reliqui cetrati, haud minus DCCC. Accurrerunt item ex Parthenio alij, alij ex Apollonia, & ex finitimis locis tam multi, ut iam nostris non de oppugnando, sed pedem referendo cogitandũ esset. Coactis igitur in medium quadrati agminis bobus, ac reliquo quod abegerant pecore, atq; item captiuis, pedetentim retrocedere cœperunt, non iam prædam inhiantes, sed unum id agentes, ne discessus similis fugæ uideretur, si partam iam prædam relinquere cogerentur, atque ex eo hostibus audacia crescceret, sui animis deficerent. Ac planè ita retrocessum est, ut pugnam de præda tuenda inituri uiderentur. Iam rescierat Gongylus Græcos ab hostibus numero superari: quare matre inuita, & ipse cum copijs suis, ut præclari alicuius facti particeps esset, auxilio uenit. Venit itẽ ab Elisarne, et Teuthrania à Demarato missus, Procles. Qui uerò cũ Xenophõte erant, cũ telorum & fundarũ iactibus penè obruerẽtur, ut iter faciẽtes

obiectu clypeorum se tegerent, in orbem agmen conuerterunt, ac uix Carcasum amnem traiecerunt, cùm plus dimidia parte saucij essent, ac inter cæteros uulnus etiã accepisset Agasias Stymphalius centurio, homo perpetuis dimicationibus exercitus. Captiuos ferè CC. retinuerunt: pecoris quod esset ad immolandũ duntaxat satis. Postero die sacris peractis, noctu copias omnes educit Xenophõ: ac longissima uia, per Lydiam agmen circunducit, ut hostes metu iam uacui, cùm nihil sibi cauerẽt, facilius opprimerentur. Asidates cùm audisset Xenophontem de agmine iterum aduersus ipsum educẽdo sacra fecisse, neq; multò pòst cum copijs omnibus ad futurũ, in pagos castra mouere statuit, Parthenico oppido proximos. Eò cùm contenderet, in Xenophontis milites incidit, à quibus cum uxore, liberis, equis, ac reliquis fortunis captus est. Euentus itaque, sacri prioris fidem comprobauit. Cùm iam Pergamum omnes redissent, Xenophon minus sibi æquos deos fuisse questus est, propterea quò à sua tantum cohorte negocium geri non potuerat, sed eius expeditionis participes fuerant Lacones, & centuriones alij, quàm quos ipse delegerat: duces præterea, & milites, qui sibi bellissimum quodq; ex omni præda præcerpserunt, equos uideli cet, iumentorũ iuga, & quæ uisum est alia, ut iam eorum unusquisq; haberet, unde & alijs benigne faceret. His ita gestis Thimbron superuenit, qui cùm acceptum à Xenophonte exercitum, ijs quas ipse adduxerat Græcorum cohortibus admiscuisset, Tissapherni & Pharnabazo bellum intulit. Regionũ omnium quæ sub regis ditione erãt, quasq; nos peragrauimus, illis temporibus hi præfecti fuerunt: Lydiæ, Artimas: Phrygiæ, Artacamas: Lycaoniæ & Cappa-

Cappadociæ, Mithridates: Ciliciæ, Syennesis: Phœnicis, & Arabiæ, Dernes: Syriæ, & Assyriæ, Belesis: Babylonis, Roparas: Mediæ, Arbacas: Phasianorum, & Hesperitanorum, Tiribazus. Nam Carduchi, Chalibes, Chaldæi, Macrones, Colchi, Mosynœci, Cœtæ & Tibareni, omnes sui iuris erant. Paphlagoniæ præerat Corylas, Bithynis Pharnabazus. In Europa Thracibus Seuthes imperabat. Totius itineris spacium, quod aut progredientes aut regredientes confecerunt, fuere castra ducena quindena, parasangæ MCL. quæ summa stad. efficit tricies & quater mille, CCLV. Milliariûm circiter quater mille & DC. Quo quidem in itinere annus & menses III. consumpti.

LIBRORVM XENOPHONTIS DE expeditione Cyri minoris, finis.

SEBALDO ET GEORGIO GEVDERIS, VRBIS NOREMBERGAE PATRICIIS, Thomas Venatorius S.



EPETENTI mihi uaria literarum studia, ad quæ nos, statim in ipso adhuc iuuentutis flore, ut ueræ laudis gloriam asse quamur, mittunt parentes: nullum equidem mihi uisum est uel iucundius singulis, uel utilius, ac perinde magis necessarium uniuersis, his præsertim, quibus olim reipublicæ gubernacula reseruantur, Sebalde & Georgi Geuderi Patriciꝯ ornatissimi, atq; est illa multiplex & copiosa gestarum rerum testis Historia. Quia enim nuncia est uetustatis, ut præclarè dixit Cicero, fieri non potest, quin ipsa sit ceu quædā honestæ uitæ officina, ex qua in dubijs rebus certa sibi quisq; petere consilia, certas sibi & tanquam uiuas ad bene uiuendū proponere imagines & possit & audeat. Nam reliquæ, quas uocāt liberales, artes uniuersæ, quid quæso in rebuspublicis facient, ubi non illis accesserit gestarum rerum cognitio? Atqui Historia non tam exempla, quàm incitamenta etiam quædam habet, quæ uel crudelissimos, & ab omni penitus humanitate alienos, in quandam mansuetioris uitæ consuetudinē inuitare, uel rapere potius possint: id quod nec ullæ hominum leges, necq; ulla philosophorū præscripta præstare queant. Quid enim leges queant aliud, ubi non ex aliqua præclarè rei gestæ cognitione emanarint, præterquam cogere, terrere, punire? Philosophi autem in umbra & ocio quædam liberè, ad formandos indocti uulgi mores, in disputationem uocarunt: quæ hoc minus peccandi licētiam arcent, quò minus est uideri aliquid, quàm esse, hoc est, quò maior est opinione ueritas. Quando enim non ab honesto iustitiæ ad iniustitiam declinauit, qui uel rigidarum uim legum, uel supercilios philosophorū duntaxat præscripta calluit? Ab iniustitia uerò ad immisericordiam nónne facilis est transitus? Immisericordiam nónne, tanquam necessariò, sequitur crudelitas? Crudelitatis nónne comes est ferina illa, & quæ omnem

nem prorsus agendarum rerum electionem excludit, immanitas? Dñ melius, quàm sic unquam habenas rerum teneant honestatis ignari. Porrò quisquis præteritorum rerũ cognitionem tenuerit, facilè ex his, quæ uirtutis adminiculo facta recensent Historiæ, intelliget, quantum ei, qui alĩs præest, crudelitatem fugere liceat: & hoc agere semper, ut quammaximè fieri possit, amentur à plurimis, timeatur à paucis. Nam si maiorib. nostris credimus, ciuitates & regna, fide & clementia magis quàm ui & armis tuentur. Crudelitatem enim exercere in ciues, ut est pusilli, & omnia timentis animi signum, ita clementia conciliare sibi non unos duntaxat ciues, sed & hostes, excelsi & magnanimi spíritus argumentũ esse solet. Quocirca non infrequenter maior est uirtus seruasse hostem, quàm extinxisse. Seruato enim hoste, sæpius uictoriæ triumphos ducere, sæpius clementiæ documenta præbere licebit: quorum neutrum assequitur uictor, si temerè, & quò sese fortunæ impetus rapuerit, feratur in hostem. Etsi enim difficilè est temperare conceptis animo affectibus, tamen quisquis famæ, studio, & honestæ laudis cura tangitur, non magis indulgere sibi quàm imperare etiam glorioſum duxerit. Qui secus est affectus, illũ ne Thersites ille quidem, omnium qui ad expugandam Troiam uenerunt ignauissimus, in hostes secum ducturus fuerit. Nam ignauos duces, non raro mutationes rerum sequuntur: quæ deinceps cædem, fugam, aliaq; hostilia, ut scriptum à Sallustio, portendunt. Atqui serũ est cauendi tempus in medĩs malis, & quando iam nihil profutura sit illa stultè agentiũ uox, NON PVTARAM. Cùm hæc dico, nolíte quæso existimare, uelle me quenquam ab obeundis publicis patriæ officĩs remorari, ob eam tantũ causam, quòd difficilè est bene imperare alĩs. Non eò propterea instituta est oratio mea, quò minus liberum sit cuique parare sibi immortalem gloriã, si oblata eius fuerit occasio. Etsi enim difficilè est bene imperare, haud ideo tamen publicorum officiorum molem, cuiquam egregio uiro, si ea ultrò offeratur, fugere permiserim. Qui alios enim regit & seruat, dum plurimorũ curam gerit, dum

miſerorum neceſsitates tanquã in humeros ſuos tranſfert: ille demum ſibi immortale, & omni quoq; ære perennius nomen parat. Qui uerò nullam earum rerum, quas hic recenſemus, habuerint ſcientiam, illos ego nimirum ad paſcendos armentorum greges tantiſper relegauerim, dum facti prudentiores, intelligant, quàm non ſit tutum, illotis, ut aiunt, pedibus, ad tam auguſtum ſeruandæ Reipublicæ munus accedere. Nam ut alibi ſcripſit Xenophon noſter, πασέντων τῶν ἄλλων ζώων ἐπὶ ῥᾴον, ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν. Quod tamen paulò pòſt facilimum fore oſtendit, ſi rerum agendarum uſus cum prudentia acceſſerit. Quis enim nõ pareat illi, qui cùm ſumma rerum prudentia, ſummam quoque fidem, clementiam, conſtantiam, æquitatem, uigilantiam, ſedulitatẽ, labores, ſobrietatẽ, & alias id genus heroicas planè uirtutes ſibi copulauerit? Credite mihi, tanto eſt quiſq; in republica, quantum ſeſe uirtutibus oſtendit. Et quiſquis præficitur alijs, tanquam cõmune aliorum ciuium ſpectaculum conſtituitur. Quem nemo facilè præcipiẽtem audiet, niſi illud, ad quod euectus eſt faſtigiũ, ſuis quodammodo uirtutibus reddat ornatius. Animi ornamẽtis opus eſt, quæ quidem à uirtute proficiſcũtur, ubi magiſtratus audientes uelint habere ciues. Cuius uos rei præſens atq; adeò domeſticum habetis exemplum, parentem ueſtrum, uirum ſenatorem, qui dei primo benignitate, deinde ſua ipſius induſtria, per omnes gerendæ reipublicæ gradus aſcendens, nullam tamen uirulentæ, & optima ſemper carpentis linguæ rabiem pertimuit unquam. Quid dicã de auunculo ueſtro, Bilibaldo illo Pirkemero, uiro ex æquo & græcè & latinè doctiſsimo? Quid unquam enim fecit ille reipublicæ gratia, in quo non omnia generoſi animi indicia perſpecta ſint? Quando unquam non fuit ſolicitus ille, ut bene eſſet patriæ? ut tranquillè inter ſe agerent ciues? Nemo illum uidit uel gratiam uel beneficiũ uendere unquã. Et quemcunq; ad gratiam dicere aut ſcribere ſententiam intelleXiſſet, indignum eſſe cenſebat, cui puniendi flagitioſos delegaretur prouincia. Nam pauci ſunt, inquit, qui non ſe, ne puniantur redimere queant, ſi manus ad munera expoſitas

expositas inuenire liceat ipsis. Hinc summam peccandi licentiam arripere uulgus, & sacrosanctas patriæ leges ab improbis uideri, haberiq; ludibrio, ac tandem etiam apud posteros contemptui futuras. Vnde eos præficiendos alijs dicebat, qui nihil per gratiã, nihil per uim aut odium agerent, sed semper iuxta inculpatæ iustitiæ oculum, omnia iuste & sancte uel damnarent, uel absoluerent. Quocirca Chrysippi ingenium sæpe cõmendabat nobis, qui iustitiæ imaginẽ expressurus, luminibus oculorum ut acrioribus, ita etiam rectis & immotis pingere studuerit: quò nimirum significaret, magistratũ nullius gratiã præferre debere iustis legibus, sed in improbos seuerũ & inexorabilem, in probos mitem & mansuetum esse oportere. Hac enim uia, inquit, dum ingrederentur maiores olim nostri, aduersus multas simul aut motas aut suspectas immutationes rerum, & se & ciuitatem hanc suam munierũt, seruaruntq;. Cæterum ne ad formãdos optimos cuiquam mores recta desint studia, utq; non tam priuatam quàm publicam patriæ quoq; salutẽ tueri contendant ciues, ac subinde nouam semper patriæ gloriam comparare studeant, ad ea duntaxat adijciendus est animus studia, quæ bonorum omnium consensu, ad omnem sunt uirtutem accõmodatissima. Quo in ordine uel primas obtinet Historia, ex qua tanquam ab oraculo ciuilia petenda censemus institituta, cùm quòd ea sit una quæ rectè aut secus factorũ memoriam habeat, tum quod quenq; officij sui cõmonefacit magis quàm ullæ statuæ, magis quàm ullæ pyramides aut imagines maiorum. Sed hic scio non deerunt, qui hunc nostrũ de Historia calculum improbare ausint, quiq; ex legibus petenda duxerint, cùm æquatum iniqua discrimina rerum. Illis ego nihil durius in præsentia dicturus sum, si unam duntaxat cõsiliorum meorum rationẽ eluserint. Dicant quæso mihi, si uera est illa, quam tanto studio tuentur, de legibus sentẽtia, undenam originem suam duxerint leges, ut meritò intra urbium mœnia admissæ sint? Nónne ab usu rerum magistro? Longo nanq; rerum usu, ueteres olim sapientes cùm domi tum foris acquisito, uaria ac ferè semper

pugnantia uulgi studia cognoscentes, uarias uitiorum pœnas, uaria uicissim egregiè factorũ præmia statuerunt: id quod hodie una, & prorsus unica nobis præstare, & tanquam in speculo quodam repræsentare queat historia. Quod simulatque mecum sensisset Bilibaldus Pirckemerus rectissimi uir iudicij, uidissetq; etiam tum extare Græcorum aliquot historicorum, Thucydidem dico & Herodotum, Romanè loquẽtes, operæ putauit precium, ut eos etiam libros, quos de rebus Græcorum post Thucydidem scripserat Xenophon, & rhetor & philosophus ille latinæ legerẽt scholæ. Quamuis autẽ nulla unquam affectatio, si Fabio auscultamus, inaffectatam illam Xenophontis iucunditatem consequi potuerit, uel quòd ipse quasi sermonem Græcis finxisse uideatur, uel quod de Pericle ueteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri iustissimè possit, in labris eius sedisse quandam persuadendi deam: tamen nemo bonus fidem & sedulitatem auunculi uestri, uiri incomparabilis, iure improbare poterit, quando in hoc unum respexerit, ut hoc labore suo prodesset multis, ut ad uirtutes, animi ornamenta, inuitaret quamplurimos. Hæc delectatio illius, hoc gaudium, hoc desiderium fuit. Porrò ego cũ eos nuper libros, fauentibus Musis, post fata illius nactus essem, officij mei partes esse duxi, ut quãemendatissimi, sub uestri nominis patrocinio æderentur: tum quòd ipsemet adhuc uiuens, ad ea uos semper inuitauit studia, quibus egregiã familiæ uestrę famam ad posteros transmittere possetis: tum quòd in hisce equidem libris crebrò sese offerũt grauissimę, &, ductis ab arte argumentis, ad persuadendum ualidissimæ orationes, quibus, ut Fabius autor est, animus contemplatur multiplici uariaq; materia, & animus contemplatione recti prauiq; formatur, & multa inde cognitio rerum uenit: exẽplisq;, quæ sunt in omni genere causarũ potentissima. Nam hisce in rebus mirè excelluisse Xenophontem aiunt. Hinc ipse a priscorũ eruditis ἀττικὴ μοῦσα, quemadmodum Diogenes Laẽrtius tradidit, cognominatus est. Et Cicero sermonem illius melle quoq; dulciorẽ dicit. Cyropædiam eius, Scipio ille, cui Aphricano

cano cognomen ex uirtute fuit, in tantum probauit, ut eam nunquam è manibus depoſuiſſe legatur. Et meritò quidem. Nam ubiq; ſui ſimilis Xenophon, amœnus iuxtà ac fœcundus, neq; ſterilis, neque aridus unquam, non tamẽ, ſupraquàm oportet, effuſus: quo amœniſsimo narrationis genere, doctiſsimi cuiuſq; & ſenſus & affectus equidem facile capiũtur, ducunturq;. Sed eius iam ego uos quod dixi, periculum facere uelim, magis, quàm in laudes autoris intentum audire diutius. Nam ſi ad Xenophõtem uos receperitis, primo præcipuam uos honeſti illius, quod uirtutem uocarunt quidam, curam habere declarabitis: deinde conceptam olim de uobis auunculi ueſtri ſpem nõ defraudabitis, ac poſtremò illam generis ueſtri uetuſtam claritudinem, longè clariorem ad poſteros tranſmittetis. Valete.

Norimbergæ, XI.
Calend. Maij,
Anno
M.D. XXXII.

Xenophontis re

RVM GRAECARVM LIBER PRIMVS, BILIBALDO PIRCKhemero interprete.



NDE *haud multis interiectis diebus, uenit ab* Athenis *nauibus paucis* Thymochares: *rursusq; cõfestim prælio conflixere nauali,* Lacedæmonij *&* Athenienses, *uicereq;* Lacedæmonij, *duce* Hegesandride. *Breui inde* Dorieus Diagori *filius, ex* Rhodo *cum quatuordecim nauibus in* Hellespontũ *profectus est, incunte iam hyeme. Quem cùm orto die* Athenienstũ *uidisset speculator, signum dat ducibus: ad quod illi exciti, cum uiginti occurrerunt triremibus: quas* Dorieus *fugiens, in terram cum suis desilijt, naues quoq; ad* Rhœteum *subduxit: sicq; Athenienſibus ingruentibus, terra mariq; resistebat. Athenienses itaq; frustra certamine iniecto, re infecta* Madytum *ad alium rediere exercitum. At* Mindarus *cùm de pugna certior factus esset, sacrificio prius Ilij* Mineruæ *facto, classeq; in mare deducta, ut* Dorieo *opem ferret, obuiam ire parat, quem Athenienses iuxta* Abydi *littus, prælio excipiunt nauali. Cumq; anceps certamen ab ortu solis ad occasum usq; durasset, iamq; illi superarent, mox uincerẽtur,* Alcibiades *duodeuiginti nauibus in conspectum uenit. quo uiso,* Pelopõnenses *fugam* Abydum *uersus cœpere. Quibus* Pharnabazus *suppetias tulit, equo quantũ permittebatur, mare ingressus, hostem propel-*

propellebat, suosq; tam equites quàm pedites, ut idem facerent hortabatur. At Peloponnẽses iunctis nauibus, structisq; ordinibus, à terra resistebant. Tandem Athenienses abierunt, triginta hostium nauibus uacuis captis, recuperatis etiam illis quas ipsi antea amiserãt, omnesq; Sestum perduxerũt. Inde præter quadraginta naues, aliæ aliò ad tributum extra Hellespontũ exigendum, profectæ sunt. Thrasylus uerò è ducibus unus Athenas nauigauit, uictoriam nunciaturus, militesq; et naues in supplementũ petiturus. Post hæc Tissaphernes in Hellespontum uenit: ad quem Alcibiades triremi unà cum muneribus delatus, ab eo captus, ac Sardis in custodiam missus est, sub prætextu mandati regij, quo Athenienſibus, ut ipse aiebat, bellum inferre iubebatur. Elapsis inde diebus triginta, Alcibiades ex Sardis cum Mantitheo quodã, qui in Caria captus fuerat, equos nactus, Clazomenas noctu aufugit. Athenienses interim qui ad Sestum stabant, cùm resciſſent Mindarum cum Sexaginta aduentare nauibus, in Cardiam noctu profugerũt, quò etiam Alcibiades cum triremibus quinq;, & oneraria naui una, ex Clazomenis peruenit. Vbi edoctus Peloponenſem classem ex Abydo Cyzicum coactam esse, pedibus Sestum contendit, naues uerò circumagi iussit. Quò cùm peruenisset, iamq; ad prælium se accingeret nauale, aduenit Theramenes ex Macedonia triremibus uiginti, simul & Thrasybulus cum alijs totidem ex Thaso, qui ambo ad exigendum tributum profecti fuerãt. Hos Alcibiades cõtractis maioribus uelis subsequi iussit, ipse in Parium nauigauit. Inde omnibus collectis nauibus (quæ octoginta sex erant) noctu discessit. Posterò uerò die sub prandij tempus Attici duces Procon-

Alcibiades captus à Tissaphernis.

nesum appulerũt: ibi certiores facti Mindarum ac Pharnabazum cum peditatu apud Cyzicũ cum copijs se continere, die illa ibi mãsere. Postridie Alcibiades milites pro concione alloquutus, ostendit, ob stipendij inopiam, quod tamen abundè hostibus à rege subministraretur, necesse esse nauali, terrestri, ac murali decertare pugna: sicq; dimissa concione, pridie quàm inde solueret, tam minores quàm maiores ad se uenire præcepit naues: et ne hostibus classis magnitudo innotesceret, mortem indixit, si quis traijciens deprehenderetur. Inde ad prælium nauale conuersus, Cyzicum uersus nauigauit, uehementi coorta pluuia. Mox ubi in Cyzici conspectum uentũ est, serenũ esse, ac sol fulgere cœpit: simulq; sexaginta Mindari apparuere naues, procul à portu se exercentes, & ab Alcibiade excluſas à portu. Sed cum multò plures esse Athenienſiũ naues, quàm antea, conſpexiſſent, iamq; portũ ſubeuntes, ad terrã Peloponnenſes fugerũt, nauibusq; coactis, hoſtibus qui eos adoriebantur, reſiſtebant. Alcibiades interim uiginti circũegit naues, militesq; in terrã expoſuit. Quod cũ Mindarus uidiſſet, ſuos quoq; in littus deſilire iuſſit, ubi ipſe in primis pugnãs occubuit: quo interẽpto, reliqui qui cum eo aderant, in fugã uerſi ſunt. Naues omnes, præter Syracuſanas, Athenienſes Proconneſum perduxerũt: nam illas Syracuſani ipſi, ne in hoſtium poteſtatem uenirent, incenderant. Inde poſtridie Cyzicũ nauigauerunt. At Cyziceni, cũ & à Pelopõnenſibus et Pharnabazo deſtituti eſſent, deditionẽ fecere. Ibi Alcibiades dies remãſit uiginti, grãdi pecunia Cyzicenis mulctatis, nec ulla maiori calamitate ciuitatẽ affecit. Hinc Procõneſum reuerſus eſt, ac inde Perinthũ, & Selybriã nauigauit: & Perinthij exerci-

Peloponnenſes in Hellespontoad Cyzicum aduersus Alcibiadem & Mindarum eorum ducem. ouisius.

exercitũ in urbem receperunt: Selybrij uerò, excluſo illo, pecunias dedêre. Inde Attici duces Chryſopolim Chalcedoniæ profecti ſunt, & eam munierũt. Decumarũ tabernam quoq; ibi cõſtituerunt, & decumã quam ex Ponticis exigebant nauibus, collegerũt. Præſidium inſuper triginta nauiũ, cum præfectis duobus, Theramene & Eubulo, ibi reliquerũt, dato mandato, ut regionis et nauiũ curam gererent, hoſtesq; excurſionibus, & quibuſcunq; poſſent incõmodis afficerent, alij uerò duces in Helleſpontũ abierunt. Intercepta eſt interim epiſtola, ab Hippocrate Mindari filio, tabellario, quæ Lacedæmonẽ mittebatur, ac Athenas miſſa, quæ hæc cõtinebat: Perdita ſunt bona, Mindarus cecidit, fame milites laborant, nos quid fieri oporteat, dubij ſumus. Pharnabazus interea uniuerſo tam Peloponnenſium, q̃ Syracuſanorũ conuocato exercitu, illos cõſolatus eſt: oſtendens, ob lignorũ iacturã, quorum uis magna in ditione regis eſſet, dolendũ non eſſe, præcipuè cũ corpora ſalua eſſent. Veſtes quoq;, & duorũ menſium ſtipendiũ, ſingulis diſtribuit militibus. Nautas inſuper armauit, & præſidia ubiq; in locis cõſtituit maritimis: conuocatisq; ex omnib. ciuitatibus, tam ducib. q̃ trierarchis, illos claſſem aliã apud Antandrũ ædificare, priſtinumq; amiſſarũ nauium numerũ explere iuſſit: pecunias quoq; inter eos diuiſit, ac materiã ex Ida ſumere permiſit. Cæteris igitur operi incũbentibus, Syracuſani cum Antandrijs muri partẽ perfecerũt, & in cuſtodia maximè omniũ probati ſunt: ob quod beneficiũ Syracuſani ab Antãdrijs ciuitate donati ſunt. Quæ cũ ita Pharnabazus conſtituiſſet, confeſtim Chalcedoni ſubcurrit. Eodem tẽpore Syracuſanis ducib. nunciatũ eſt, eos domi exilio à populo damna-

Syracusani duces damnati.

tos esse. Quare audita, conuocatis militibus apud illos Hermocrates cõmunem deplorauit calamitatem, ac conqueſtus eſt, omnes iniuſtè ac præter leges, exulare. Inſuper eos hortatus eſt, ut poſthac ſtrenuam, quemadmodum antea fecerant, nauarent operam, cunctisq; ſemper obedirent mandatis. Iuſſit etiam duces eligere, qui ipſis quoad ſucceſſores eorum aduenirent, præeſſent. Quibus milites obſtrepentes, illos imperare iuſſerunt, & maximè trierarchi, propugnatores, & gubernatores. Illi uerò reſponderunt, non decere ſeditione contra propriam decertare patriam: ſi uerò accuſarentur, poſſe omnium quæ geſſiſſent rationem reddere, quorum illos teſtes haberent optimos, cùm ſcirent, quoties ductu eorum nauali uiciſſent prælio, quotq; naues cepiſſent, & quòd inter alios inuicti hucuſque fuiſſent, id omne diſciplina militari, ducum uirtute, & militum audacia, quæ in terra ac mari enituiſſet, accidiſſe. Cùm itaque omnes his quæ dicebantur aſſentirentur, remanſere, donec eorum ſucceſſores aduenerunt, Demarchus Pidoci, & Myſcos Menecrati filius, ac Potamis Gnoſius. At trierarchi complures illis iureiurando promiſerunt, cùm Syracuſas reuerti daretur, eos in patriam reducturos. Interim liberam abeundi quocunq; libitum foret, dedere facultatem. Omnesq; pariter laudabant, præcipuè uerò Hermocraten miris extollebant præconijs, ob ſingularem diligentiam, induſtriam, & humanitatem, quæ omnibus trierarchis, gubernatoribus, & militibus nota erat, cùm quotidie manè & veſperi, circa ſuum uerſarentur tabernaculum, ſciſcitantes quid dicendum, faciendúmue eſſet. Quos ille egregiè inſtituës, edocebat, quæ ex tempore eſſent proferenda, & quæ deliberatè

ratè loquenda: unde magnæ autoritatis existimationem, apud uniuersum consequutus est concilium, cùm & loqui, & suadere utilissima quæq; uideretur. Tissapher-nem quoq; Hermocrates Lacedæmone accusauit, astipulante etiam Astyocho: ac ut res se habebat dicere uisus est. Ad Pharnabazum inde accessit, à quo sponte, priusquam pecunias peteret, abundè susceptit: inde se cum amicis & triremibus ad reditum Syracusas accingebat. Venere interim Miletum successores, ac naues & exercitum susceperunt. Eodem tempore ex Thaso, orta seditione, Lacones cùm eorum præfecto Eteonico expulsi sunt. Huius rei causa fuisse, cum Tissapherne Parisippidas Lacon accusatus, Sparta exulauit. Cui succesit Cratisippidas, qui naues, quas ille undiq; ex socijs collegerat, in Chio accepit. Eo quoq; tempore cùm Thrasylus Athenis esset, & Agis ex Decelea excursionẽ faciens, ad muros Athenienſium usq; peruenisset, Thrasylus omnes tam Athenienses quàm alios qui præstò erant, ex urbe eduxit: instructáq; acie, circa Lycæum stetit gymnasium, pugnare paratus, si propius hostes accessissent. Quod cùm Agis cerneret, celeriter exercitum reduxit, amissis quibusdam, à leui armatura interfectis. Quam ob rem Atheniẽses libenter Thrasylo parebant, ac quocunq; ducere uellet, sequi parati erant: necnon publicè ei pedites mille, equites centũ, ac triremes quinquaginta decernunt. Agis interim cũ ex Decelea plura uidisset nauigia frumẽto onusta, Pyræũ subire, nil se egisse circunstantibus dicebat, quamuis tãto tempore Athenienses terræ usu prohibuisset, nisi etiã mari, ne frumentũ inferre possent, intercluderẽtur. Optimum igitur ratus, Clearchum Ramphij filium, Chalcedonẽ &

Byzantiũ mittere (nam ei cum urbibus iſtis hoſpitalitas intercedebat) ut inde collectis nauibus, Athenienſes à mari quoq; aggrederentur. Id cũ feciſſet celeriter ab illis ac Megarẽſibus, necnon ſocijs alijs, quindecim militares magis quàm celeres collegit naues. Sed cùm in Helleſpontum ueniſſent, tres ex eis à nouem Athenienſiũ nauibus, quæ ſemper in oris illis excubabant, interceptæ ſunt: reliquæ Seſtum fugerũt, inde Byzantium in pacatum abiere. Annusq; deſijt, in quo Carthaginenſes duce Annibale, centũ hominũ millibus Siciliã aggreſſi ſunt, ubi trimeſtri ſpacio, duas Græcas cœperunt urbes Selinuntem, & Himeram. Inſequenti anno, in quẽ incidit Olympias nonageſimatertia, qua curru Euagoras Elienſis uicit, in ſtadio uerò Eubotas Cyrenæus, Ephoro apud Spartas Euarchippo, Athenis præſidente Euctemone, Athenienſes Thoricũ munierunt. At Thraſylus cùm ſibi decretas accepiſſet naues, quinq; millia nautarum, quos cæteris immiſceret militibus, armauit, ac ineũte iam uere in Samum nauigauit: ubi cũ tribus manſiſſet diebus, Pygelam profectus eſt, totumq; agrum populatus, exercitum mœnibus admouit. Cùm uerò ex Mileto quidã Pygelenſibus opem tuliſſent, in Atticos leuis armaturæ milites hinc inde palantes, impetum fecere: quibus ſtatim cetrati, & grauis armaturæ cohortes duæ ſuccurrũt, Mileſiosq; omnes, exceptis paucis, interfecerunt, & fermè ducentis potiti ſunt ſcutis: trophæum quoq; erexerunt. Poſtridie Attica claſſis Notium nauigauit, inde inſtructa Colophonem tranſmiſit. Ceſſerunt Colophonij uenienti Thraſylo. Ille uerò nocte ſuper ueniente, Lydiam ingreſſus eſt, adulto iam frumẽto: ibiq; pluribus incenſis uicis, ac multa capta pecunia, mortalium

lium est uis ingens in prædam abducta. Stages uerò Persa, qui ea præsidio obtinebat loca, Athenienses sparsos, et prædæ intentos aggressus est: ex quibus interfectis septẽ, unum cepit uiuum. Thrasylus inde ad mare abduxit exercitum, tanquam Ephesum nauigaturus. Quod cùm Tissaphernes resciuisset, undiq; auxiliares cõtraxit copias, ac passim equites dimisit, qui cunctis nunciarẽt, ut Ephesum cõuenirent, ac Dianæ opem ferrent. Thrasylus igitur de cima septima post excursionẽ die Ephesum nauigauit, ac grauem armaturam ad Coressum, equites uerò, ferentarios, classiarios, et omnes alios leuis armaturæ milites, ex altera urbis parte ad Elos exponit. Iamq; illucescẽte die, duobus progressus est exercitibus: cui ex urbe obuiã facti sunt socij, quos undiq; Tissaphernes in unum collegerat: necnon Syracusani, qui in prioribus uiginti aduenerant nauibus, & qui in alijs quinq;, cum ducibus Eucleo Hipponici, & Heraclide Aristogeni filijs nuper appulerant, necnon qui in duabus Selinusijs uenerant nauibus. Hi omnes in Coresso grauem aggressi armaturam, illam in fugam uerterunt, & centum circiter interfectis, reliquos ad mare usque persequuti sunt. Inde ad Elos uersi, reliquos quoq; inuaserunt: qui & ipsi triginta circiter militibus amissis, fuga se mandarunt. Ephesij uerò trophæum ibi erexere: aliud quoq; in Coresso. Syracusani autem & Selinusij, ob egregiè operam nauatã, magnis sunt muneribus publicè ac priuatim donati. Data præterea cũ immunitate perpetua ciuitas, ijs qui Ephesum incolere uoluerũt. Selinustos quoq; propter euersam eorũ ciuitatem, in urbẽ receperũt. Athenienses mortuis per inducias receptis, Notium petiere: ubi illis sepultis, in Lesbum ac

Thrasyllus Athenas uictor Ephesum.

Hellespontum profecti sunt. Vbi cum Methymnæo sederent portu, uiginti quinq; Syracusanas naues ex Epheso aduentare conspexerunt, in quas impetum fecere, ac quatuor ex his cum militibus captis, reliquas Ephesum usq; insecuti sunt. Thrasylus captiuos omnes Athenas deportari iussit, præter Alcibiadem Athenien sem, Alcibiadis nepotem, ac fugæ socium, quem lapidari mandauit. Quo facto, Sestum ad aliam peruenit classem. Inde uniuersus Lampsacum descendit exercitus: & hyems aduenit, in qua Syracusani captiui, qui in Piræo in lapidicinas conie cti fuerant, perfossa petra nocte, partim Deceleam, reliqui Megaram perfugerunt. Eodem tempore cùm Alcibiades uniuersum Lampsaci ordinaret exercitum, ueterani milites cum Thrasilianis militare recusarunt, asserentes illos ut ignauos esse uictos, cùm ipsi nunquam aliquo superati essent prælio, omnes tamen ibi hyemauerunt, & Lampsacũ militari cõmunierunt opere: necnon Abydum aggressi sunt, & Pharnabazum qui Abydenis copioso equitatu suppetias tulerat, prælio superauerunt: quem fugiẽtem Alcibiades equitatu ac peditibus centum uiginti, quibus Menander præerat, longè persequutus est: sed ille noctis beneficio ex hostiũ manib. ereptus est. Secundum prosperam eam pugnam, milites inuicem reconciliati sunt, & ueterani Thrasilianos amicè salutauerunt. Eadem etiam hyeme, in continentem Asiæ oram ali quoties cum populatione effusi, magna clade regis regionem afflixerũt. Per id tempus Lacedæmonij Helotas, qui ex Malea in Coryphasium transfugerant, sub conditione receptos dimiserunt: & Heraclienses ab Achæis, à quibus in ciuili administratione dissentiebãt, Oetheis sunt

hostibus

hostibus proditi, eorumq; septingenti occidione occisi, cũ præfecto Lacedæmonio Labote. Hoc quoq; anno Medi, cùm à Dario Persarum rege defeciſſent, rursus subacti sunt. Et in Phocæa Palladis templum fulmine ictum conflagrauit. Sub exitum hyemis, Pantacleo Ephoro, præsident Athenis Antigeno, ineunte iam uere, secundo & uigesimo huius belli anno, Athenienses uniuersis copijs Proconnesum nauigauerunt: inde Chalcedonem & Byzantium mouerunt, Chalcedonemq; totis obsederunt uiribus. At Chalcedonenses cùm certiores de Athenienſium aduentu facti essent, fortunas suas omnes apud eorum uicinos, Bithynos deponunt Thraces. Id cùm Alcibiades resciuisset, nauibus subsequi iussis, ipse cũ equitibus & nonnullis copijs pedestribus, in Bithynorum peruenit fines, sibiq; Chalcedonensium opes tradi iussit, aut se hostium loco illos habiturum cõminatus est. Quibus illi perterriti minis, cõfestim paruere. Alcibiades itaq; receptis spolijs, data & accepta fide in castra reuersus, Chalcedonem uniuerso exercitu, à mari & flumine, usq; ad mare alterum, muro cinxit ligneo. Quod cũ Hippocrates Lacedæmoniorum consideraſſet præfectus, eductis copijs pugnandi fecit potestatem: nec Athenienses certamen detrectauere. Pharnabazus interim ex alia parte, magnis tum pedestribus tum equestrib. copijs munitiones aggressus est. Inter Hippocratem uerò & Thrasylum diu decertatum est, quousq; Alcibiades equitibus & nonnullis succurrit peditibus: tunc Hippocrates cecidit, sui uerò in urbem refugerũt. Pharnabazus uerò cùm propter fluminis angustias, ac munitionum propinquitatem, Hippocrati cõiungi non ualeret, in Heracleam Chalcedonenſium receſſit,

22 annus belli Pelop.

Chalcedonem Ath. obsident.

ubi & castra habebat. Postea Alcibiades in Hellespontum & Cherronesum ad legendas pecunias profectus est. Interea cæteri duces cum Pharnabazo de Chalcedone conuenere, ut persolutis uiginti talentis, Athenienſium legatos ad regem deduceret, præstito utrinque iuramento, ut Chalcedonenses soluerent Athenienſibus tributum, quem admodũ antea consueuerant, & debitas illis redderent pecunias: interim Athenienses illis bellum non inferrent, quouſq; ad regem missi legati redirent. Alcibiades cùm hæc agerentur præsens non erat: sed paulò pòst capta Selybria, cum copioso exercitu, Cherronensib. uniuersis, & Thracibus militibus, ac plus quàm tercentum equitibus, Byzantium reuersus est: quem Pharnabazus Chalcedone, donec à Byzantio ueniret, expectauit, ut ab illo iuramentum exigeret. Ille uerò cùm aduenisset, iurare renuit, nisi è cõuerso Pharnabazus sibi quoq; iuramentum præstaret. Conuenere tandem, ut hinc inde data & accepta fide, ne quis publicè seu priuatè alteri iniuriam inferret, ambo iurarent, ille Chrysopoli, his quos ob id Pharnabazus miserat, Metrobati & Arnapi: ipse autem Chalcedoni, Euryptolemo & Diotimo. Quo facto Parnabazus statim inde discesſit, legatis qui ad regem ituri erant, Cyzicũ conuenire iussis. Mittebantur ab Athenienſibus Dorotheus, Philodices, Theogenes, Euryptolemus & Mantitheus: cum quibus proficiscebantur Cleostratus & Pirrholochus, Argiui. Lacedæmoniorũ quoq; cum illis commeabant legati, Pasippides, & alij nonnulli: cum quibus uenere Hermocrates iam à Syracusis extorris, & frater illius Proxenus: hos omnes Pharnabazus deducebat. Interea Athenienses totis uiribus Byzantium obsederunt, & muro

muro circundederunt ligneo, unde quotidie leuia cõmittebantur prælia. Præerat urbi Clearchus Lacedæmonius præfectus, cum accolis quibusdam, & tyronibus haud ita multis, necnon Megarensibus, & Bœotijs, quorum dux Helixus erat, Bœotiorũ uerò Cœratades. Athenienses igitur cum aperta ui nil se perficere cernerent, clàm cũ quibusdam egêre Byzantinis, ut urbem sibi proderent. Clearchus interim cùm nil tale suspicaretur, rectè quantum poterat cunctis dispositis, Cœratade & Helixo militibus præesse iussis, ipse ad Pharnabazũ proficiscitur, ut cum illo de militum stipendio, qui ad præsidium urbis relicti erant, ageret, & ut naues quæ in Hellesponti ora sub Pasippide excubabant, accerseret: necnon eas quæ apud Antandrum erant, ac in Thracia sub Hegesandro Mindari legato, & si quæ aliæ ædificatæ erant, ut omnibus collectis, Athenienſium socios aliqua insigni afficeret clade, sicq; Athenienses à Byzantij distraheret obsidione. Vix discesserat Clearchus, cũ proditores Cydon, & Ariston, Anaxicrates, Lycurgus, ac Anaxilaus, qui postea Lacedæmone capitis reus, cùm ob hanc accusaretur proditionem, absolutus est, quòd nõ tam urbem prodidisse, quàm seruasse uideretur, cùm cerneret pueros & mulieres inedia perire, præcipuè cùm Byzantinus & non Lacedæmonius esset: Clearchus enim frumentum quod supererat omne præsidiarijs distribuerat militibus: hanc enim ob causam, clàm hostes introduxisse aiebat, & non lucri cupiditate, seu Lacedæmoniorum odio. Illi igitur cùm omnia composita essent, nocte apertis portis quæ Thraciæ appellantur, Alcibiadem cum uniuerso in urbem recepere exercitu. At Helixus & Cœratades omniũ igna-

ri, facto agmine ad forum occurrunt: sed cùm ab hostibus cuncta obsessa, & se frustra niti cernerent, deditionẽ ipsi quoq; fecere. qui omnes Athenas missi sunt: ex quibus Cœratades, in turba cum Piræo è nauibus egrederentur delituit, & aufugit, & Deceleam euasit. Pharnabazus autem & legati cùm in Gordio Phrygiæ hybernarent, quæ circa Byzantium acciderant, audiuerunt: cumq; sub initium ueris ad regem ascenderent, fiunt illis in itinere obuiam Lacedæmoniorum legati, Bœotius cum pleriscq; alijs, à quo Lacedæmonios omnia quæ à rege petierant, impetrasse audiuerunt. Aderat & Cyrus uniuersæ oræ maritimæ imperaturus, & Lacedæmonios bello adiuturus, & epistolam ferebat ad omnes inferioris regionis homines, regio sigillo munitã, & hæc continentẽ: Mitto Cyrum, caranũ eorum qui in Castoli campũ conueniunt: est autem caranus idẽ quod dominus. Quæ cũ Athenienſiũ audissent legati, uidissentq; Cyrum, summopere regem adire cupiebant: uel si id non daretur, domũ reuerti desiderabãt. Cyrus uerò Pharnabazum sibi legatos iussit, aut nondum domũ dimittere, ut Athenienses quid ageretur ignorarẽt. Sed illos Pharnabazus suspẽsos tenebat, iamq; ad regem deducere simulabat, mox ne fraudis insimulari posset, domũ dimittere uelle aiebat. Elapso tandem triennio Cyrũ rogauit, ut illos missos faceret, ostendẽs se iurasse, ut eos si minus ad regẽ, ad mare saltẽ deduceret: quapropter illos ad Ariobarzanem miserũt, ac ut eos cõduceret impetrauerũt, qui & ad Cium Mysiæ eos deduxit: inde ad Athenienſium peruenerũt exercitũ. Alcibiades interim cùm domũ cum militib. proficisci uellet, Samum uenit: inde cũ uiginti nauib. in Ceramicũ, qui in Caria est,

nauí-

nauigauit sinum, ubi centũ exactis talentis, Samũ reuersus est. Thrasybulus uerò cum triginta nauibus in Thraciam profectus est, ubi regiones alias quæ adhuc cum Lacedæmonijs sentiebant, subegit: necnon Thasum bello, fame, seditione ac pestę uexatã, occupauit. Thrasylus cũ reliquo exercitu Athenas nauigauit. Elegerũt interim Athenienses duces tres, Alcibiadẽ exulem, Thrasybulũ absentem, & Conoũe præsentem. Alcibiades ex Samo cum pecunijs & nauib. uiginti in Parũ nauigauit, ibiq; substitit, obseruans triremes triginta, quas Lacedæmonios ibi instruere audiebat: simul & quo animo, antequam domũ reuerteretur, in eum ciuitas esset, cognosceret. Quã cùm sibi beneuolam, ac conciliatã intellexisset, seq; ducem electum, uocãtibus etiã priuatim necessarijs, in Piræũ nauigauit, die qua Plinteria celebrabat ciuitas, & Palladis tegitur sedes, id quod nonnulli & Alcibiadi & urbi infaustum esse ominabantur: nullus etenim Athenienſium, etiã summa coactus necessitate, aliquid die illa operari audet. Tota interim ciuitas ex Pyræo & urbe, uidendi hominis studio, ad portũ effusa est, ipsum summis extollebant laudibus, prædicãtes alij omniũ ciuium esse fortißimũ, iniusteq; inimicorũ insidijs circumuentũ, in exiliũ pulsum esse, qui nec eloquio, aut ulla alia uirtute ipsi conferri possent, sed lucri sui gratia rempublicam turbarent: illum uerò cum publicis, tum priuatis uiribus commune semper quæsuisse bonum: & quamuis causa, in qua tanquã impius & mysteriorum uiolator delatus est, protinus cognosci debuisset, à potentioribus tamen inimicis callidè dilatam fuisse: inde absentem damnatũ, & in exilium actum esse. Eo uero tempore inopia coactum, etiam maximo

Thasum occupant Athenienses.

Alcibiades ab exilio populo electo Athenas redit.

& quotidiano capitis periculo, inimicissimis adhærere hominibus: cumq; uidissent familiares, ciues, propinquos, ciuitatem deniq; uniuersam, errantes, exilio impeditum succurrere nõ potuisse. Negabant autẽ eos qui essent eius similes, nouis indigere rebus, quippe cùm ei per populum liceret & æqualibus superiorem, & grandioribus nõ inferiorem esse, et suis aduersarijs talem uideri, qualis fuisset antea: qui aduersarij postea potestatem adepti, optimos quosq; perdidissent: ipsi uerò soli relicti, ideo à ciuibus æquo animo tolerarentur, quòd meliores, quibus uterentur non haberent. Alij dicebant eum solum authorem esse & eorum quæ tulissent malorum, & eorum quæ ne urbi in posterum acciderent metuendum esset, quippe qui solus periclitatus, solus dux factus fuisset. Alcibiades igitur portum ingressus, inimicorũ timore non confestim in terrã descendit, sed stans in puppi, an familiares sui adessent cõsiderabat. Conspicatus itaq; Euryptolemũ Pisiana cti filium, nepotẽ suum, cum alijs necessarijs & amicis, è naui egressus, cum illis in ciuitatẽ ingenti stipatus multitudine, ne uis sibi inferri posset, ascẽdit. Inde cũ in senatu & pro concione de mysteriorũ uiolatione se excusasset, ostendisseq; falso eam sibi esse notã inustam: & alia in eã sentẽtiã dixisset, neq; quisquã contradixisset (nec enim id passa esset concio) cũ ingenti omniũ assensu dux electus est, ac rerum omniũ terra mariq; gerendarũ sibi potestas & imperiũ decretũ, tanquã solus ciuitatem in pristinã restituere posset fortunã. Confestim itaq; Athenienſium mysteria, quæ propter belli periculũ non nisi mari ducebantur, ipse omnibus eductis militibus, per terrã traduxit. Inde collecto exercitu peditũ millia quingentorũ, ac equitũ centum

tum quinquaginta, nauibus centum, tertio post reuersionem mense, Andrum profectus est: nam ab Athenienſib. defecerat. Miſsi sunt et cum eo duces alij, Aristocrates & Adimantus Leucorophidi filius. In Gaurio itaq; Andriorum regione exercitũ expoſuit, ac Andrios ſibi occurrere ausos in fugam uertit, & in urbem usq; cõpulit, interfectis nonnullis Lacedæmoniorũ, qui illic præſidio loci erãt: erectóq; trophæo, paucis ibi mãsit diebus: dehinc Samũ traiecit, ac inde bellũ ciebat. At Lacedæmonij haud multis ante hæc tẽpora diebus, in locum Crateſippidæ, qui claſsi præfuerat, ducem miſerãt Lyſandrum: qui cùm Rhodum ueniſſet, acceptis nauibus, in Coum & Miletũ, ac inde Epheſum traiecit, ubi cum ſeptuaginta nauibus Cyri aduentũ Sardis opperiebatur: quem cum applicuiſſe audiſſet, ad illum cum Lacedæmoniorum legatis contendit. Ibi Tiſſaphernis facta accuſant, & ipſum Cyrum rogant, ut in bellum totus incumbat. Cyrus omnia quæ in uſum belli neceſsaria eſſent, abundè pollicitus eſt: ita enim ſibi à patre iniunctum eſſe dicebat. Oſtendens præterea quingenta talenta à ſe in prouinciam allata eſſe: deficientibus tamen illis, proprias quoque, quas pater ſibi dederat pecunias, in belli ſumptus erogaturum promiſit: & ſi ita neceſsitas exigeret, regium quoque thronum, qui ex auro & argento conſtaret, in uſum belli ſe conflaturum pollicitus eſt. His lætus Lyſander illum rogauit, ut deinde Atticam drachmam nautis in ſtipendium ſolueret: oſtendens ea ratione Athenienſium nautas à ſuis abſtrahi poſſe nauibus, atq; ita fore ut Cyrus minus pecuniæ inſumeret. Ad quæ Cyrus, illũ rectè ſentire aiebat: ſed im poſsibile ſibi eſſe, pacta à patre inita immutare, in quib. di

Cyrus Sardis aduc. uit quo Lyſander cõuenit.

sertè contineretur, ut mensibus singulis, unicuiq; naui triginta soluerentur minæ: essetq; in arbitrio Lacedæmoniorum, ut quotquot uellent instruerent. Quibus auditis Lysander tunc tacuit. Peracta autem cœna, cùm Cyrus illi præbibisset, rogassetq; quid ei maximè gratũ facere posset: respondit ille, si ultra stipendium consuetum, unicuiq; nautæ obolum adijceret: cui ille annuit: fuitq; inde stipendium obolorum quatuor, cùm antea trium fuisset. Insuper æs militare alienum omne persoluit, ac stipendium menstruum ante tempus numerauit: quæ res exercitum ad omnia obeunda pericula multò alacriorem & promptiorem reddidit. Id cùm Athenienses audissent, ægrè tulerunt, & legatos ad Cyrum miserunt, quos ille repulit: quamuis intercedente Tissapherne, ac identidem monente, summopere cauendum, ne Græcorum quispiam nimiũ super alium extolleretur: curandum uerò potius, ut omnes inter se dissidentes deprimerentur: sic se, Alcibiade suadente, hucusq; rem administrasse. At Lysander re maritima ordinata, Ephesum nonaginta collegit naues, quas in portu sedens restaurabat, & remigem exercebat. Alcibiades uerò cùm audisset Thrasybulum ex Hellesponto egressum Phocæã munire, ad eum nauigauit, relicto classis præfecto Antiocho gubernatore suo, quem identidem monuit, ne se absente ad hostem nauigaret. Vix ille discesserat, cum Antiochus duabus triremibus ad ipsas usque Lysandri nauium proras, quæ in Ephesino stabant portu, inuectus, hostem lacessebat, quem Lysander paucis primò insequutus est nauibus: cùm uerò Athenienses pluribus suis suppetias ferrent, tunc ipse quoq; omnibus collectis nauibus, illos aggressus est. qui reliquis quoq; triremibus

mibus ex Notio temerè progreßi, ut quiſq; primum exierat bellum capeſſebant: cumq; diſperſi cuncta ſine imperio gererent, Lacedæmonij uerò ſeruatis ordinibus illos uehementer urgerent, omnes tandem, quindecim amißis triremibus, in fugã uerſi ſunt: pauci tamen deſiderati fuere milites, nã omnes fermè, præter paucos qui capti ſunt, in terram euaſerunt. Lyſander hoſtium nauibus potitus, trophæoq; in Notio erecto, Epheſum reuerſus eſt. Athenienſes Samum profecti ſunt, quò & paulò pòſt Alcibiades peruenit, ac cum uniuerſa claſſe Epheſum uſq; progreſſus eſt, & ante portus fauces inſtructa ſtetit claſſe, pugnare paratus, ſi quis obuiã procederet. Lyſander quia nauium numero longè inferior erat, certamine abſtinuit, illeq; Samum reuectus eſt. Lacedæmonij paulò pòſt Delphinium ceperunt, & Eiona. Interim Athenienſes qui domi erant, accepto cladis nuncio, Alcibiadi irati erant, exiſtimantes illam negligentia & culpa eius accidiſſe: alioſq; decem elegere duces, Cononem, Diomedontem, Leontem, Periclem, Ereſinidem, Ariſtocratem, Archeſtratum, Protomachum, Thraſylum, Ariſtogenem. Hæc cùm Alcibiadi renunciata eſſent, grauiter tulit, & una accepta triremi, in Cherſoneſum in ſuum oppidum abijt. Conon interim ex Antandro cum uiginti nauibus ſibi publicè decretis, Samum ad aliam nauigauit claſſem: cui in Antandro quatuor ſucceßit nauibus Phanoſthenes, qui duabus triremibus circumnauigans Thuriam cepit, captiuoſq; omnes uinxit, præter eorum principem Doricum, qui olim Athenis & Rhodo pulſus, morte cum omnibus propinquis damnatus fuerat, & huc ſe contulerat: quem miſericordia ductus abſque precio dimiſit. Conon cum Samum

Ath. claſſis ad Epheſum diminuta.

ueniſſet, claſſem accepit diſſipatã: uix enim ex centũ prioribus nauibus, ſeptuaginta inſtruere potuit. cum his & alijs ducibus circũnauigans, pluribus deſcẽdit locis, ac hoſtium fines populatur. Annusq; exijt, in quo Carthaginenſes centum uiginti nauibus, & centum uiginti millib. militũ, Siciliam aggreſſi ſunt, ubi Agrigentinum fame ceperunt, prælio uicti illi quidem, ſed ſeptem menſibus obſidione continuata. In ſequenti anno, quo luna ſub occaſum defecit, et antiquũ Palladis templum Athenis deflagrauit Pitio ephoro, præſidente uerò Athenis Callio, uigeſimoquarto huius belli anno, Lacedæmonij Callicratidem Lyſandro ſucceſſorem dederunt: cui cùm ille naues traderet, dixiſſe fertur, ſe uictricem & maris dominantẽ reddere claſſem: ille uerò iuſſit ut ex Epheſo ad ſiniſtrã Sami circumageret naues, ubi Athenienſes in ſtatione erant, ac in Mileto ſibi claſſem traderet: ſic enim ſe confeſſurũ, illum maris obtinere imperiũ. Tum Lyſander negauit ſe illa curare, alio imperante. Callicratides itaq; ultra eas quas à Lyſandro accepit, ex Chio, Rhodo, & alijs ſocijs, quinquaginta inſtruxit naues: quibus omnibus collectis (erãt autem centum quadraginta) ſe ad confligendum cum hoſtibus præparabat. Sed cùm certior factus eſſet, Lyſandri amicos ſibi ſeditionem mouere, non ſolum munia ipſis cõmiſſa negligenter obeundo, ſed & undiq; in ciuitatibus diſſeminando, Lacedæmonios grauiſſimè errare in mutandis claſſiarijs ducibus (quòd hos ſæpe ineptos eſſe contingeret, & uixdum rem naualem edoctos, & quo pacto utendum eſſet hominib. ignaros) dum maris ignaros mittunt, & claſſiarijs ignotos: propterea periculum eſſet, ne quid illis mali accideret. Quapropter Callicratides omnibus

Carthaginenſium expoſitio in Sicilia.

24 anno Belli Pelop.

Lacedæmoniorum claſſis nauium 140 unde Callicratida.

Mutatio ducum periculoſa.

bus qui aderāt Lacedæmonijs cōuocatis, ita loquutus est: Mihi domi manere satis est, & si Lysander uel alius quispiā in rebus nauticis me magis expertus, classem suscipere maluerit, quantū ad me spectat, nō prohibeo. Cæterū cū à repub. mihi classis imperiū demandatū sit, nil mihi reliquum est q̄ obedire, & ea quæ optima uidentur, pro uiribus exequi. Vos igitur in eo in quo et mihi obtrectatur, et ciuitas nostra incusatur (id enim scitis uos æquè mecū) cōsulo utrum uobis melius uideatur, ego hìc maneā, aut domū nauigē, cùm harū rerum status qui sit uideatis. Hìc cùm nemo aliter dicere auderet, quàm ut ijs qui domi erāt, obediret, ac illis incūberet rebus ob quas in prouinciā missus esset, ad Cyrum ut nautis stipendiū ab illo peteret, profectus est. Cyrus uerò duos eum expectare iussit dies. Sed Callicratides morā pertæsus, et quòd itādum ad fores esset, succensens dixisse fertur, miserrimos esse Græcos, quòd Barbaris argēti gratia adularentur: dixitq̄, si unq̄ saluus in patriā reuerteretur, enixè operam se daturum, ut Athenienses & Lacedæmonij in pristinā redirent gratiam. Inde Miletum nauigauit, ac triremes nōnullas ad petendum pecunias Spartā misit: conuocatisq̄ Milesijs, ita disseruit: Ego ô Milesij illis qui domi imperant, obedire cogor: at uos admodum dignos reputo, qui strenuam huic bello operā impendatis: quandoquidē cùm inter Barbaros habitetis, incōmoda plurima ab illis hucusq̄ perpessi estis: quapropter uos alijs quoq̄ socijs ostendere decet, quonā pacto et celeriter, maximo hostes afficere possimus incōmodo, donec à Lacedæmone hi, quos pro afferēdis mi si pecunijs, reuersi fuerint. Quandoquidē quæ supererāt, Lysander discedens, Cyro ut superfluas reddidit: at ego

cùm Cyrum acceſsiſſem, ille uerò de congreſſu me uerbis ſuſpenſum tenuiſſet, tandem foribus illius diutius obuerſari haud potui. Promitto autem uobis pro bonis quæ nobis euenisſent, quo tempore illa expectamus, me parem gratiam relaturum. Ac ſi uolent dij, oſtendemus Barbaris poſſe nos neq; ipſos admirari, & tamen hoſtes noſtros ulciſci. Hæc cùm dixiſſet, ſurrexere multi, et maximè qui incuſabantur: nam reſiſtere formidabant, pecunias q; attulere paratas: inſuper alias quoq; ſponte afferrebant: quibus ille receptis, unicuiq; nautæ in Chio quinq; diſtribuit drachmas. Inde ad Methymnam Lesbi nauigauit, quæ hoſtibus parebat, illamq; præſidio confiſam, ac reſiſtere conantem (nam et qui reipublicæ præerant, Athenienſium fauebant rebus) adortus, ui cepit, captamq; militibus diripiendam conceſsit: mancipia uerò omnia in forum congregauit. Cumq; ſocij Methymnæos quoq; uendi iuberent, reſpondit, ſe imperante Græcorum uendi paſſurum neminem: poſtridie liberos cunctos dimiſit, Athenienſium præſidio cum mancipijs ſeruilibus uendito. Cononi uerò dixit effecturũ ſe, ne deinceps mari amplius incubaret. Ac cùm illum orta die portũ egredi uidiſſet, p ræpto itinere, ne Samũ effugere poſſet, inſecutus eſt: ſed Conon nauium uſus celeritate (nam ex copioſo ſupplemento ualidiſsimũ elegerat remigem) euaſit, ac cum duobus ex decẽ ducibus, Leonide, et Ereſinide, in Mitylenem Lesbi perfugit: quem Callicratides uſq; ad portum, cum centũ & ſeptuaginta nauib. inſequutus eſt. Conõ à cunb. excluſus, ante fauces portus confligere coactus eſt, ubi triginta uacuis amiſſis nauibus (nam homines in proximũ euaſerant littus) reliquas quadraginta naues ſub murum ſubduxit.

Methimna capta à Callicratida Lacedæ.

Ath. claſſis in porta Lesbi à Callicratida obſeſſa.

Callicra-

Callicratides ne Conon effugere posset, portũ insidet: & ut illum à terra quoq; obsidione fatigaret, Methymnæos cum omni plebe, & uniuersum ex Chio accersiuit exercitum, allatæq; sunt interim à Cyro pecuniæ. Conon uerò cùm se undiq; terra ac mari obsessum cerneret, iamq; ob hominũ multitudinem ac frumenti inopiã fames ingrueret, nec ab Athenienſibus, utpote obsidionis ignaris, ullum ueniret auxilium, duas occultè naues electißimo instruit remige, submißis in uacuam nauem propugnatoribus: & die quidem quietè agebat, nocte uerò & in tenebris, ne ab hoste cõspicaretur, frumento mediocri, & alijs rebus onerabat neceſſarijs: quæ quinta tandem die, circa meridiem, per medias ſtationes, quæ ſecurè agebant, celerrimè erumpũt, ac in apertũ euaſere mare: diuerſeq; abierunt, in pelagus una, Helleſpontũ uerſus altera. Tum qui in anchoris ſtabant, oras repentè ac tumultantes abrumpunt (nam in terra prandium parabant) curſuq; celerrimo Atticas inſequuti ſunt naues: et illa quæ altum tenuit, ſub ſolis occaſum ab inſequentibus capta, ac unà cum uiris ad reliquam remulco perducta eſt claſſem: altera uerò quæ in Helleſpontum uerſus fugam arripuit, euaſit, et obſidionis nuncia Athenas peruenit. Diomedonti interim, cùm Cononi obſeſſo duodecim nauibus per Mitylenæorum euripum opem ferre quæreret, fit obuiam Callicratides, et decẽ captis nauibus, duæ cum ipſo duce ægrimè dilapſæ ſunt. Athenienſes interim audita ſuorum clade ac obſidione, triginta diebus centum ac decem inſtruxere naues, habito delectu ex omni ætate, ac fortuna, ſeruis, ac liberis: cum ijs, ac equitibus quamplurimis, Samum appulerũt: ubi decem Samijs acceptis nauibus, plũ

ffth. claſſis 130 nauiũ.

res quàm triginta ab alijs collegere ſocijs (nam omnes ſequi cogebant) itemq; ſi quas foris habebant. Itaq; plus centum ac quinquaginta nauium expleuere claſſem. Callicratides audito Athenienſium acceſſu, iamq; eos in Samo eſſe, quinquaginta naues cum Eteonico ad obſidionem reliquit: ipſe cum centum uiginti nauium claſſe, ad Maleam Mitylenæ promontorium cõceſſit, ubi & cœnauit. Contigit eadem quoq; die Athenienſes ad Arginuſas cœnare. Sitæ ſunt Arginuſæ ante Lesbum, in Maleæ conſpectu, contra Mitylenem. Lacon dux nocte ignes intuitus, edoctusq; Athenienſes adeſſe, circa mediam noctem claſſem, ut nec opinãtes inuaderet, mouit: ſed uehementi ingruente pluuia, ac tonitruis ſtrepentibus, pugnare prohibitus eſt. At cùm diſſerenaſſet, ubi primum illuxit, ad Arginuſas nauigauit: cui obuiã facti ſunt Athenienſes, ita inſtructi: Ariſtocrates cum nauibus quindecim læuum tenebat cornu: totidem Diomedon ſequebatur. Ariſtocrati Pericles ſuccedebat, Diomedonti Ereſinides: poſt quos Samij decem collocati erant nauibus, quibus præerat Samius quidã nomine Hippeus. Poſt illos tribunorum duodecim, & eæ ſingulæ. Secundum has erant nauarchorũ tres naues, & ſi quæ aliæ aderãt auxiliares. Dextrũ cornu Protomachus, cum quindecim procurabat nauib. poſt quem Thraſylus, cum totidem locatus erat: cui hærebat Ariſtogenes. Protomachũ uerò æquali nauium numero Lyſias ſequebatur, & Thraſylum Ariſtogenes: quem ordinẽ tenebant ne circumueniri poſſent: nam graues agebant naues: econtra Lacedæmonij leues & agiles, maximeq; ad excurſionẽ & circumueniendum idoneas. Dextrum Callicratides ducebat cornu: qui ab Hermone Megarenſi gubernа-

bernatore suo admonitus, ut sine prælio discederet, cùm omnino Atticæ classis numero superaretur. Cui Callicratides respondisse fertur: Spartã se cadẽte, nil deteriorẽ futurã, ac sibi fugere esse turpissimũ. Pugnatũ est ab initio cõferto utrinq; agmine, mox sparsim: sed postq̃ Callicrates naui excussus in mare decidit, et Protomachus dextro sinistrum uicit cornu, tũc manifesta Pelopõnensium subsequuta est fuga: quidam in Chium cõtenderunt, plurimi Phocæã fuga delati sunt. Athenienses quinq; & uiginti amissis nauibus, cum uiris ipsis, præter paucos qui in terrã euaserant, Arginusas reuersi sunt. Pelopõnensium, Laconicæ nouẽ, cùm omnino decem essent, sociorum uerò plus q̃ sexaginta desideratæ sunt naues. Habebant in animo duces Attici, Theramenẽ ac Thrasybulum, cum quibusdam alijs præfectis, ac nauibus quadraginta sex, naufragis in succursum mittere: reliqua classe ad Eteonicum, qui circa Mitylenem sedebat, opprimendũ nauigare: sed uẽtus cum tempestate uehementi ortus, quo minus id facerẽt impedimẽto fuit. Trophæo igitur erecto, ibi manere coacti sunt. Eteonicus interea cùm per actuariũ lembum de suorum clade certior factus esset, nuncios protinus tacitos discedere iussit: suppresso tantisper eorum aduentu, donec rursus in eadem castra coronati reuerterentur, ac magno clamore Callicratidem naualis pugnæ uictorem, omnib. hostium depressis nauibus, nunciarent. Quod cùm illi fecissent, ipse ob rem bene gestam sacrificauit, militesq; cœnare iussit. Mercatores uerò ut sine tumultu pecunias nauibus imponerent, admonuit, eosq; in Chium præmisit: qui uentum sequundũ nacti, celeriter abierunt: ipse terrestri itinere, incensis castris, Methymnã contendit. Conon sub

Lacedæm. insigni clade uincuntur.

hostium digressu, ac uentis cadentibus, deductis nauibus suis obuiam Arginusas proficiscitur, & quæ circa Eteoni cum acciderant, nunciauit. Athenienses itaq; Mitylenem nauigarunt, inde Chium: ubi cùm nil agere potuissent, Samum reducta est classis. Interim qui domi erant Athenienses, abrogarunt ducibus, præter Cononi, imperium: cui alios duos, Adimantum & Philoclem adiunxere collegas. Duces itaq; alij qui prælio interfuerant nauali, præter Protomachum et Aristogenem, Athenas reuersi sunt, Pericles nempe, et Diomedon, Lysias, Aristocrates, Thrasylus, et Erasinides: cui Archidemus, qui tum Athenis præsidebat, & Decelæ curam gerebat, insidias struxit, ac publicè accusauit, insimulans illum clàm ex Hellesponto pecunias, quæ populi essent, attulisse: insuper ei ob male administratam præturam diem dixit: quam ob rem Erasinidem in carcerem duci, æquum esse uisum est. Post hæc cùm duces in concilio pugnæ rationem redderent, tempestatisq; uim prætenderent, illos quoq; Timocrates uinctos populo tradi, iustum esse censuit: qui & ipsi à senatu in uincula coniecti sunt: concioq; coacta est, in qua duces à pluribus, præcipuè tamen ab Theramene accusati sunt, iustum esse dicente, eos rationem reddere, cur naufragis opem non tulissent: & cùm nullum aliud haberet argumentum, epistolam quandam testimonium producebat. Duces ad senatum & populum delati, nil aliud quàm tempestatis uim prætendebant: inde breuiter unusquisq; crimen diluit: (nec enim ex lege dicere permissi sunt) ostendebantq; seriem gestarum rerum: cùm ipsi in hostes nauigarent, naufragorum succursum trierarchis hominibus expertis, & qui nunc quoque præessent, Theramen

rameni ac Thrasybulo, similibusq; mandasse: ac ostendebant, si quis de naufragorum succursu accusari deberet, neminem potius pœnas dare dignum esse, quàm eos qui iussa minus exequuti fuissent. Neq; uerò quia nos accusant, inquiunt, propterea mentiemur, dicentes eos in causa esse, sed uim tempestatis dicimus succursum prohibuisse. Atque eius rei testes producebant gubernatores, ac quamplures alios qui tum præsentes fuerant. Hæc cùm dixissent, illis populus assentiebatur. Surrexere igitur priuati plures, ac se pro ducibus fideiubere paratos esse ostenderunt. Cæterum in aliud concilium rem differendam esse uisum est: iam enim uesper ingruebat, et manus, quibus populus decernit, amplius conspici non poterant: interim æquum esse senatum deliberare, quemadmodum sontes puniri deberent. Incidêre in dies hos Apaturia, in quibus defunctorum patres & propinqui ad luctum conuenere: qui uerò cum Theramene sentiebant, plures eodem festo submiserunt homines, nigris indutos uestibus, & colore tristi circundatos, qui se tanquam propinqui eorum qui submersi fuerant, concioni immiscerent. Callixeno quoq; persuaserunt, ut duces in senatu accusaret. Post hæc concilium coactum est, in quo senatus ex Callixeni mente sententiam tulit talem: Cùm duces priori accusati essent concilio, illiq; se defendissent, Athenienses per omnes sortiri debere tribus, positis per unamquanque tribum urnis duabus, ac uoce præconis nunciari, cuicunque duces iniustè egisse uiderentur, quòd bello nauali uictores non sustulissent, sortem in priorem deijceret urnam: qui uerò eos absolueret, in aliam: & si damnati essent, pœnam mortem fore: illosq; undecim uiris tradi debere,

publicatis bonis, ex quibus decima deo sacra esset. Venit etiam quidam in concionem, dicens se in frumentario euasisse modio: ac eos qui perierant sibi in mandatis dedisse, si euaderet, populo nunciaret, optimè de patria meritos à ducibus nõ fuisse seruatos. At Euryptolemus Pisianacti filius, cum quibusdam alijs è populo, Callixenum incusans, asserebat illum contra leges sententiam conscripsisse: sed multitudo clamabat, indignum esse, si quæ populus facere uellet, prohiberetur: et per Lycisçum comminati sunt, eisdem suffragijs illos quoque iudicare uelle, si intercederent, quibus & duces, ni concio dimitteretur: rursusq; turba tumultuans, uocationes illos dimittere coëgit. Et cùm iudices negarent se suffragio contra legem addituros, rursum Callixenus suggestum ascendit, eosq; ijsdem de rebus accusat. Et multitudo clamat uocandos esse qui negarent. Itaque territi iudices, receperunt omnes se suffragia laturos, præter Socratem Sophronisci filium. Is negauit aliter se quàm ex lege facturum. Post hæc suggestum Euryptolemus ascendit, ac ita pro ducibus disseruit: Huc, ô uiri Athenienses, accusandi partim ascendi gratia, cùm Periclis necessarius, Diomedontis uerò sim amicus: partim uerò, ut obiectis responderem: tum ut consulerem, quæ maximè utilia esse putarem ciuitati uniuersæ. Illos igitur accuso, quòd interceperunt, ne collegæ senatui ac uobis scriberent, quòd cùm Therameni & Thrasybulo iniunxissent, ut naufragis septem ac quadraginta succurrerent triremibus, eos non paruisse. Et nunc culpam communem iam ferunt, quamuis illi priuatim peccauere: & ob hanc humanitatem, ab illis & quibusdam alijs impetiti, in ultimo nunc constituti sunt periculo.

Quam-

Quamobrem obtemperate mihi, & iustè pieq; facietis, atque hac ratione maximè uerùm resciscetis, neque postea pœnitentes, inuenietis uos grauissimè & in deos & in uos ipsos peccasse. Consulo uerò uobis ea, in quibus nec per me, nec per ullum alium decipi poteritis: sed si quos iniquè quid egisse cognoueritis, qua placuerit iuris forma punire poteritis, & simul omnes, & seorsum queq;. Id fiet, si ducibus uestris, si non plus, saltem diem unam ad defensionem concesseritis, ne alijs potius, quàm uobis ipsis, hac de re credere uideamini. An ignoratis, uiri Athenienses, legis decretum esse potentissimum, quod iubet, si quis populum Athenienſem iniuria affecerit, uinctum coram populo causam dicere? & si iniurius esse conuictus fuerit, interfectum in barathrum proijci debere, publicatis bonis, ex quibus decima deæ sacra sit? Hoc decreto duces iudicari iubeo, & per Iouem si uobis ita uisum fuerit, primò necessarium meum Periclem: turpe etenim mihi esset, pluris illum quàm ciuitatem facere uniuersam. Hunc uerò si uultis, ea iudicate lege, quæ contra sacrilegos ac proditores lata est, & qua illi qui ciuitatem prodere conantur, seu qui sacra furati sunt, in foro iudicari consueuerunt: qui si conuincantur, in Attica sepeliri prohibentur, bona uerò publicantur. Vtra igitur ex illis quæ placuerit, duces singulatim iudicate lege, tribus tantum concessis diebus: una, in qua collecti deliberare possitis, quid de illis statuendum sit, seu sontes sint, seu non sint: altera, qua accusentur: tertia uerò qua respondeant. Id si feceritis, hi qui iniustè egisse conuicti fuerint, maximis ac iustissimis afficientur supplicijs: qui uerò insontes esse cõperiẽtur, à uobis ô Athenienſes,

ne iniustè pereant, absoluẽtur. Vos igitur ut iusti iudices, ac iuramenti memores, secundum leges iudicate, ne dum eos indemnatos contra legem occiditis, cum Lacedæmonijs contra illos bellum gerere uideamini, quibus illi deuictis, septuaginta die una abstulerunt naues. Quid uerò timentes tantopere festinatis? an ne uobis nõ liceat quem uolueritis uel interficere, uel liberare, si ex lege ac nõ contra legem, iudicaueritis? quemadmodum Callixenus sena tui persuasit, ut populo permitteret unis suffragijs de uniuersis sententiam ferre. Atqui si quem fortè insontem interfeceritis, & uos postea pœnituerit, recordamini iam quantum ea res dolorem faciat, & quàm sit inutilis, ne quid interim dicam quòd in homines nece peccaueritis. Indignè uerò feceritis, si cum Aristarcho (qui primum dissoluebat populum, deinde Oenoëm prodebat Thebanis, qui hostes erant) diem ad causæ dictionem concesseritis, si uoluisset, reliquaq; ex lege ei permissa fuerint, ducib. uestris, qui ex animi sentẽtia cuncta uobis cõfecere, hostesq; uicere, hoc idem denegaueritis. Nolite igitur, ô Athenienses, cũ eas habeatis leges, per quas in maximã quandiu illas obseruastis potentiam euasistis, temerè quid contra leges cõmittere. Veniamus nunc ad ea, in quibus iniustè duces feciſſe uidentur. Defuncti bello nauali, cõfestim in cõtinentem nauigarũt: ubi Diomedon censuit, nauib. cunctis naufragis ac submersis succurri debere: Erasinides, uniuersos quãcelerrimè ad hostes Mitylenẽ nauigare: Thrasybulus utrũq; fieri posse asseruit, si partem nauiũ ibi relinquerent, reliquis ad hostes pergerent. Id cùm omnibus placuisset, decreuerũt unumquenq; ducum, qui octo erãt, ex ordine suo tres ibi relinquere naues: & præfectorum, decem:

decem: nauarchorum quoq;, tres: quæ omnes erant quadraginta septem: quatuor circa unamquāq; nauium quæ amissæ erant, quæq; duodecim erant, occupatis. Hi uerò qui relicti sunt præfecti, Thrasybulus & Theramenes, is qui priori concione duces accusauit, nauibus reliquis ad hostes perrexere. Proinde num hac in re quid neglexerunt, aut minus rectè egerunt? Itaq; æquum est cùm quid contra hostes non rectè actum est, eos quibus id mandatum est rationem reddere. Illos uerò qui ducum iussa de mortuorum susceptione exequuti non sunt, eo nomine iudicium subire. Sed de illis ambobus asserere possum, tempestatis uim impedimento fuisse, quò minus exequerentur quæ duces iusserant. Huius rei testes sunt, qui sua ope euaserunt: inter quos ex ducibus uestris unus est, quem iam eisdem suffragijs damnari iubent, quibus eos qui imperata non fecerunt: cùm tamen eodem tum auxilio indigeret. Nolite igitur ô uiri Athenienses, uictoriam hanc egregiam ac fortunatam dedecorare, ac tanquam uicti & cladem perpessi, turpe quid committere, ne contra deos ingrati uideamini, cùm infirmitatem tanquā proditionem quandam incusandam esse censeatis: præsertim cùm omnibus notum sit ac constet, tempestatem impedimento fuisse, quò minus iussa exequi potuerint. Cæterum multò rectius agetis, si uictores coronis decorabitis, quàm à prauis persuasi hominibus, illos morte plectetis. Hæc cùm Euryptolemus dixisset, suam scripsit sententiam, uiros secundum legis decretum iudicari, & bis de unoquoque sortiri debere. Senatus uerò sententia erat, unis omnes iudicandos esse suffragijs. Quæ cùm in iudicium uenissent, primo in Euryptolemi iuere sententiam.

Dicor Ath. optimè meriti iniuria condemnatos.

At rursus referente Menecleo, factáq; iterũ disceptatione, senatus præualuit sententia, & duces cõdemnati sunt octo, ex quibus sex, qui præsentes erant, occisi sunt. Sed haud multo pòst tempore Athenienses inuasit pœnitentia: quapropter decreuerunt, ut quicunq; populum seduxissent, capitis rei essent, datis quoad iudicarentur uadibus. Esse uerò inter eos Callixenum. Delati sunt & alij quatuor, qui & ipsi uades præstare coacti sunt. Sed cùm postea seditio quædam orta esset, in qua Cleophon occubuit, aufugêre illi antequam cõdemnarentur. At Callixenus cùm aliquando cum ijs qui in Piræo erant, in urbem descendisset, omnibus inuisus fame perijt.

XENOPHONTIS RERVM GRAECARVM LIBER SECVNDVS, BILIbaldo Pirckemero interprete.

AT milites qui cum Eteonico in Chio relicti erant, durante æstate undiq; ex agris alebantur, necnon mercede operam locabant. Ingruente uerò hyeme, cùm uictus, tum uestitus penuria laborare cœperunt: quapropter clanculũ de occupanda Chio consilia agitare, & unumquenque cui hæc placerent, calamum ferre iusserunt, ut eo pacto quot essent internoscerentur. Eteonicus eius conjurationis certior factus, anxius erat quid sibi hac in re faciendum esset: nam aperta ui, propter multitudinem calamum ferentium, niti, periculosum uidebatur: timebat etenim ne sumptis armis, ac ciuitate occupata, hostes euaderent, & omnia quæ antea ex hostibus ceperant, pessunda-

ſundarent. Præterea tot homines belli ſocios interficere, graue uidebatur, ne reliquis Græcis criminādi materiam præſtaret, et milites ad obeūda pericula ſegniores redderētur. Aſſumptis igitur quindecim uiris gladijs accinctis, per ciuitatem incedebat: cui caſu fit obuiam quidam calamum geſtans, qui oculorum morbo tenebatur, ac à medico redibat: quem protinus obtruncauit. Concurſu facto, ac quibuſdam ſciſcitantibus, quamobrem homo ille interfectus eſſet, Eteonicus reſponderi iuſſit, quia calamum portauerat. His auditis, cuncti qui calamos ferebant, illos abiecere, timētes ne & ipſi conſpicarentur. At Eteonicus conuocatis Chijs, pecunias, quas militibus ne quid noui molirentur diſtribuerent, imperauit. Illi uerò quamprimum paruere. Dat interim militib. aſcendendi naues ſignum: ac circumuectus ad ſingulas naues, confirmauit & cohortatus eſt, quaſi illius caſus omnino ignarus. Vnicuiq; deinde menſtruū perſoluit ſtipendiū. Conuenerūt poſt hæc Chij et ſocij alij Epheſum, ubi de rebus præſentibus conſultarunt: placuitq; legatos Lacedæmonem mittere, qui Lyſandrū claſsis imperatorem expoſcerent: nam humanè antea claſsi præfuerat, ac benignè ſe erga ſocios geſſerat, cùm in Notio prælio uicisſet nauali. Itaq; legati decē hanc ob rem Lacedæmonē miſsi ſunt: alij quoq; ad Cyrū, qui illi eadem nūciarent. Lacedæmonij uerò Lyſandrum tanq̄ legatum præeſſe iuſſerunt, ac nauarchum Aracum conſtituerunt: bis enim eundem imperare in claſſe, legcs nō permittunt. Traditæ igitur ſunt naues Lyſandro uigeſimoquinto huius belli anno. Hoc quoque anno Cyrus Autobiſacem interfecit & Mitræum, filios Dariæ ſororis Xerxis, patris Darij, hanc ob cauſam,

Scitio militum ſimulari ducis cauſa compoſita.

Lyſander pro claſſis de petitio à Cyro.

25 anno Belli Pelop.

quòd sibi occurrentes manus intra manicam non contra
xerant, quod regi soli fieri solet: est enim manica quàm
manus longior: & cùm quis manum intra illam continet,
facere omnino nihil potest. Hieramenes igitur & uxor
Dario iniquissimum esse aiebant, si tam grauem iniu-
riam inultam relinqueret. Quorum ille precibus deui-
ctus, Cyrum per nuncios tanquam ægrotans accersiuit.
Eodem anno Archyto Ephoro, præsidente Athenis Ale-
xio, Lysander Ephesum applicuit, quò & Eteonicum ex
Chio cum nauibus accersiuit, ac reliquas undique contra
xit, quas omnes reparauit: nouas quoque in Antandro cõ
struxit: inde ad Cyrum ut ab illo pecunias posceret, con-
tendit. At ille non solum pecunias regias, sed & proprias
consumptas esse ostendit: quantumq; unicuique nanium
præfecto tradidisset, edocet: nihilominus tamen alias de-
dit. Quibus Lysander receptis, trierarchos singulis con-
stituit nauibus, simul & debitum nautis persoluit stipen-
dium. Nec segnius Athenienſium quoque duces in Samo
se prælio accingebant nauali. Venere interim ad Cyrum
nuncij, qui illum ad patrem tanquam ægrotum accerse-
rent, qui tum contra Thamnerios Mediæ, qui Caduſijs
adiacent, bellum gerebat: nam ab eo defecerant. Confe-
stim itaque ille Lysandrum uocauit, eumq; cum Athenien
sibus pugnare prohibuit, ni longè classe superior esset: re
gem enim ac se multis pollere opibus, quibus naues quã-
plurimas instruere possent, ostendit. Ostendit etiam ei om
nia quæ à ciuitatibus pendebantur stipendia, quæ erant
ei propria: ac superfluas ei dedit pecunias, ac commemo-
rato quo & Lacedæmoniorum ciuitatem, & priuatim
Lysandrum amore prosequeretur, ad patrem ascendit.

Lysan-

Lysander acceptis cunctis quæ Cyrus ad patrem ægrotantem proficiscens sibi reliquerat, persolutoq; exercitui stipendio, in sinum Ceramicum, qui in Caria est, nauigauit: ac urbem quandam Athenienſium ſociam, nomine Cedrias aggreſſus, poſtridie ui cepit ac diripuit. erant habitatores loci illius ſemibarbari. Inde uero Rhodum nauigat. Athenienſes interim ex Samo mouent, ac in Aſiæ delati oram, regios depopulati ſunt agros, Chiumq; ac Epheſum uſque proceſſere, ibiq; ad pugnam ſe accingebant naualem, ducesq; alios tres prioribus addidere præfectis, Menandrum, Tydeum, & Cephiſodotum. Lyſander interim ex Rhodo præter Ioniam in Helleſpontum, ad excurſiones nauium inhibendum, ſimul & contra ciuitates quæ defecerant, nauigat. Legebant Athenienſes quoque Chium mare: nam Aſia illis hoſtilis erat. Lyſander uerò ex Abydo Lampſacum circumnauigabat: erant hi Athenienſium ſocij: ibi præſtò fuere Abydeni ac alij ſocij, quos Thorax ducebat Lacedæmonius. Vrbem igitur aggreſſi, ui capiunt, captamq; diripiunt. præda ibi opulenta parta eſt: nam uino, frumento, ac reliquis omnibus neceſſarijs referta erat. Libera corpora omnia à Lyſandro dimiſſa ſunt. Inſecuti ſunt illius ueſtigia Athenienſes: ac cùm Eleuntem quæ in Cherroneſo eſt, centum & octuaginta nauium claſſe ueniſſent, iamq; pranderent, de Lampſacena clade certiores facti ſunt. Protinus itaque Seſtum aduehuntur: inde cùm frumenta eſſent, ad Aegos flumen contra Lampſacum nauigant. Aberat Helleſpontus ab ea ſtadijs circiter quindecim, ubi et cœnarunt. Lyſander milites circa diei ortum pranſos naues inſcendere iubet, & omnibus ad nauale prælium paratis, obie

Lyſander Lampſacum capit.

claſſis Ath. 180 nauium.

ctisq; obicibus, edicit ne quis ordine excedat, néue in altũ nauiget. Athenienſes exorto ſole in portus faucib. claſſem inſtruunt in frontem, ut ad naualem pugnã: ſed cùm Lyſander certamen detrectaret, ſolq; in occaſum uergeret, rurſus ad Aegos flumen reuertuntur. Lyſander uerò explorandi gratia celerrimas ſubſequi iußit triremes, ac quid hoſtis ageret, nũciari ſibi imperat: nec prius milites è nauibus dimittit, q̃ ſpeculatoriæ reuerſæ eſſent triremes. Id per quatuor egit dies. Alcibiades interim à muris Athenienſes in littore, & ab omni ciuitate procul caſtra loca ſſe ſpeculatus, cõmeatumq; ægrè à Seſto deferre, diſtantem à nauib. ſtadia quindecim: hoſtes uerò in portu & à ciuitate omnibus abundare neceſſarijs, nõ in tuto duces caſtra poſuiſſe oſtendit: eosq; hortatus eſt, ut illa Seſtum, ubi portus & urbs eſſet, & unde cùm uellent ad bellũ proce dere poſſent, transferrent. At duces, & maximè Tydeus, & Menander, illum cõtumelioſe abire iuſſerũt: adiecere, ſe, nõ illum imperare. Ille igitur diſceßit. At Lyſander die quinto Athenienſibus ut cõſueuerant remeantibus, ſpeculatorijs imperat nauibus, ut cùm primũ uidiſſent eos è nauibus egreſſos, ac per Cherroneſum diſperſos, quemadmodum ſingulis antea facere cõſueuerant diebus, cõmeatum ementes, ac Lyſandrũ nõnihil deſpicientes, tanq̃ cum illis cõfligere non auderet, ad ſe rurſum nauigent, clypeũ in media naui extollant. Qui ut iußi erant, mãdata impigrè exequũtur. Lyſander itaq; ſtatim quãcelerrimè nauigandi dat ſignũ: aderat & Thorax peditatu. Conon uerò cũ ingruentem uidiſſet hoſtem, ſignũ nauib. omni ope ad ſuccurrendũ proponit: ſed homines undiq; diſperſi erant, & naues partim biremes, aliæ uniremes, cæteræ uerò omnino erant

no erant uacuæ, præter Cononis, et alias septẽ, quæ militibus instructæ erant, & paralũ: reliquas omnes Lysander iuxta cõtinentẽ oppreßit. Maior quoq; hominũ pars in terra capta est, reliqui Chidria aufugerũt. Conon nouem effugiens nauibus, ad Abarnidẽ Lampsaci adnauigauit promontoriũ: ubi maximis Lysandri nauiũ ablatis malis, postquã Athenienſium res fractas cognouit, nauibus octo in Cyprũ ad Euagorã aufugit. Paralos uerò acceptæ cladis nuncia, Athenas festinauit. Lysander naues, captiuos, et reliqua omnia Lampsacũ abduxit. Cepit et duces cũ alios, tum Philoclem, & Adimantũ. Eadem quoq; die qua parta est uictoria, Lysander Theopompũ Milesium piratam, Lacedæmonẽ uictoriam nunciaturũ misit: qui et tertia die illuc cũ eo peruenit nũcio. Inde Lysander socios conuocat, quos de captiuis consulere iubet. Ibi de multis Athenienſes accusati sunt criminibus, quòd uidelicet si bello uincerent nauali, captiuis omnib. dextras amputare manus decreuerant: quodq; cùm duas cepiſſent triremes, Corinthiã unam, & Andriam aliam, ex eis uiros omnes in mare præcipites deiecisſent: cuius facinoris dux Philocles fuerat: aliaq; permulta illis obiecta sunt facinora. Censuerũt tandem omnes captiuos quicunq; Athenienſes erant, necãdos esſe, præter Adimantũ, qui solus in cõcione decreto de manuũ abscißione cõtradixerat: qui etiam ab aliquibus tanq; nauium produtor accusatus est. Lysander itaq; Philoclem, qui Andrios et Corinthios præcipitauerat, primò interrogauit, quid pati dignus esſet, qui primus cõtra leges Græcos interficere cœpiſſet. At ille ad calamitatẽ minimè demiſſus respõdit, ut uictor ageret, quæ uictus paſſurus fuiſſet: deinde lotus, ac ſplendida ſumpta

Victoria Lysandri parta ad classe Athenarum ad Ægos.

Lysander Byzantium & Chalcedonem recuperat.

uesse, ante alios ut iugularetur proceſsit ciues. Lyſander compoſitis Lampſacenis rebus, Byzantium & Chalcedonem nauigat, à quibus ſponte ſuſceptus eſt: Atheniēſium uerò præſidium ſub conditione dimiſſum eſt. At qui Alcibiadi urbem prodiderant, in Pontum, inde Athenas aufugerunt, ubi & ciuitate donati ſunt. Lyſander Athenienſium præſidia, & quos undiq; reperit Athenienſes, omnes Athenas abire imperat, nulliq; ueniam aliò nauiganti quàm illuc ſe conceſſurum prædicit: ſciebat enim quanto plures in urbem ac Piræum cōpellerentur, tanto citius ne ceſſariorum penuriā ingruituram. Inde relicto Byzantij ac Chalcedone Stenelao Laconico præfecto, Lampſacum ad inſtruendas rediit naues. Interim cùm paralos calamitatis nuncia, nocte Athenas applicuiſſet, tantum excitauit luctum, ut planctus ex Pyræo per longos muros in ciuitatem penetraret. Cumq; in ſtatione unus alteri rem nunciaret, adeò percrebuit, ut nocte illa nemo calamitatis tam funeſtæ ignarus eſſet. Lugebant igitur non ſolum eos qui ceciderant, ſed multò magis ſemetipſos: timebant etenim eadem pati, quæ ipſi Melijs Lacedæmoniorum coloniæ, quam obſidione ceperant, & Hiſtiæis, Scionæis, Toronæis, & Aeginetis, ac quamplurimis alijs fecerant Græcis. Poſtridie concio coacta eſt, in qua uiſum eſt portus omnes, præter unum, obſtrui debere, mœnia inſtaurare, cuſtodes conſtituere, & reliqua cuncta quæ ad obſidionem ferendam neceſſaria uiderentur, præparare. & illi his incumbebant. At Lyſander, ex Helleſponto ducentis Leſbum applicuit nauibus: ubi reliquarum ciuitatum, Mitylenæ quoque ſtatu ex ſententia cōpoſitis, Eteonicum in Thraciam cum decem mittit triremibus, qui omnia

Conſilium Lyſandri de oppugnatione Athenarum.

mnia illic ad Lacedæmonios traduxit: Reliqua quoque Græcia uniuersa, cùfestim post bellũ nauale ab Athenien sibus defecerat, præter Samios, qui cæsis familiarib. urbẽ seruare quærebant: Lysander inde ad Agim, ac Deceleã, Lacedæmonemq; mittit, & de accessu suo cum ductis na uibus, certiores Lacedæmones reddit. Statim igitur Lace dæmonij cum uniuerso populo, ac alij Peloponenses, præ ter Argiuos, ductu regis alterius Pausaniæ obuiam Ly sandro uadunt. Postquam omnes conuenerunt, ille eis af sumptis ad urbem castra ponit, in Academia quæ gymna sium appellatur: Lysander cùm Aeginam uenisset, Aegi netis quoscunq; reperire potuit, ciuitatem restituit: idem Melijs, & alijs quicunq; expulsi fuerant, fecit. Inde Sala minem ac Piræum centũ quinquaginta nauiũ classe inua dit, omnemq; intrandi ac exeundi Athenien sibus facultatem ademit. Qui terra ac mari obsessi, penitus quid age rent ignari erant: neq; enim naues, aut frumentũ, siue so cij ad quos confugerent, amplius supererant, nec ullam spem salutis cernebant: oculisq; obuersabantur ea quæ alijs nulla irritati iniuria, sed solũ uiolentia ac petulantia insũcti, intulerant, talia siquidem & ipsi pati formida bant. Quãplurimos enim humiliorum ciuitatũ homines iniuria affecerant, nullam aliam ob causam, nisi quòd La cedæmonijs in bello auxilium tulissent: quapropter infi mæ sortis homines extollebãt, ac obsidionem tolerabant. Moriebãtur interim multi inedia, nec uerbũ ullum de pa ce fiebat. Postquã uerò omne penitus defecerat frumen tum, tunc demũ legatos ad Agim mittere placuit, qui cũ Lacedæmonijs de societate agerent: et si muros longos ac Piræum retinere possent, super hæc fœdera sancire iusse-

classis Lysandri ad Athenarum

obsidio Athenarum

runt: At ille legatos Lacedæmonem reiecit: nõ enim se huius rei dominũ esse asserebat. Hæc cùm legati Athenienſibus renũciassent, illos Lacedæmonem miserũt. Qui cum iam Sellasiam prope Laconicã ueniſſent, et Ephori, quòd cum eiſdem quibus & ad Agim ueniſſent mandatis audiuiſſent, illos ſi pacem habere uellent, conſideratius de hac re deliberatos reuerti iuſſerũt. Hæc cùm legati domũ reuerſi nunciaſſent, omnes triſtitia magna inuaſit: de libertate enim iam timebãt, et anteq̃ alij redirent legati, plures fame certum erat abſumptũ iri. De murorũ uerò demolitione, nemo referre audebat. Cùm enim Archiſtratus in ſenatu dixiſſet, qualemcunq; pacem ſuſcipiendã eſſe: Lacedæmonij uerò longos muros ad decẽ utrinq; ſtadia dirui iußiſſent: decretũ factum eſt, ne quis hac de re amplius referret. Tandem Theramenes in concilio profeſſus eſt, ſi cum ad Lyſandrũ mitterent, ex illo deprehendere poſſe, nunquid Lacedæmonij muros dirui uellent, ut ciuitas in prædam daretur, uel quia de fide dubitarent. Cùm uerò miſſus eſſet, plus q̃ tres apud Lyſandrum fruſtra cõtriuit menſes: id eo fecit cõſilio, ut cùm Athenienſes omne conſumpſiſſent frumentũ, et ad ultimã deueniſſent neceßitatem, cogerentur in quam quis diceret conditionẽ deſcendere. Tandem cũ quarto rediiſſet menſe, in concione se à Lyſandro tandiu retentũ eſſe oſtendit: iam uerò eum Lacedæmonem ire iuſſum: non enim Lyſandrũ, ſed Ephoros rei quæ peteretur eſſe dominos. Itaq; ipſe cum decẽ alijs legatis, ac liberis mandatis Lacedæmonem miſſus eſt. Lyſander uerò Ariſtotelem exulem Athenienſem, cum alijs Lacedæmonijs ad Ephoros mittit, qui oſtenderent illum Theramenj reſpõdiſſe, eos & belli & pacis eſſe dominos.

Theramenes interim & reliqui legati, post quã in Sellasia erãt, quibus uenirent mandatis interrogati sunt: illi uerò se pro pace cum summa potestate iterũ uenire respondent. Itaq; Ephori illos uocari iussere. Cumq; uenissent, conciliũ coactum est, in quo ne pax Athenien sib. redderetur, Corinthij, & maximè Thebani, pluresq; alij Græcorum cõtradixerunt, sed ciuitatem penitus delendam esse asserebant. At Lacedæmonij negabant ciuitatem Græcã, quæ in maximis Græciæ periculis egregiã nauasset operam, subuertí debere. Pax igitur Athenien sib. his data est cõditionibus, ut muros longos et Piræum demolirentur: naues omnes, præter duodecim, traderent: exules reciperent: eundem amicũ & hostem quem & Lacedæmonij haberent: quos terra mariq; quocunq; ducerent, sequerentur. Has pacis cõditiones Theramenes & legati alij Athenas detulerunt. Quibus urbem intrantibus, ingens hominum multitudo circunfusa est: timebant etenim ne re infecta redirent: nõ enim amplius fame pereuntem multitudinem sustinere poterant. Postridie legati quibus conditionibus pax illis à Lacedæmonijs cõcessa esset, retulere: quã ut necessariam Theramenes suscipi debere, murosq; dirui suadebat: & quãuis nonnulli contradixissent, longè plurium tamen animi ad pacem inclinarunt. Itaq; Lysander Piræũ ingressus est, ibiq; illi naues ac profugi traditi sunt omnes: muri quoq; ad tibiarũ cantum magna alacritate diruti sunt: omnes enim diem hanc initiũ libertatis Græciæ esse interpretabantur. Annusq; exijt, in quo medio Dionysius Hermocratis filius, tyrannidẽ Syracusis arripuit, deuictis antea Carthaginensib. à Syracusanis: qui tamen Acragantũ in ditionem redegere, cũ Siculi annonæ

Pax data Athen. à Lacedæm.

Dionysius tyrannidem Syracusis obtinet.

penuria ciuitatē reliquiſſent. Sequentem annum in quem incidit Olympias, qua uicit in ſtadio Crocinus Theſſalus, Eudio Spartæ Ephoro, præſidente Athenis Pythodoro, Athenienſes, quia in illum oligarchia incidit, nō nominat, ſed interregnū annum illum appellant. Ea oligarchia Athenis ita conſtituta eſt. Viſum eſt populo triginta eligi debere uiros, qui patrias, quibus reſpub. regatur, cōſcriberent leges. Fuere uerò electi, Polyarches, Critias, Melobius, Hippolochus, Euclides, Hieron, Mneſilochus, Chremon, Theramenes, Areſias, Diocles, Phædria, Chærcleus, Anætius, Piſon, Sophocles, Eratoſthenes, Charicles, Onomacles, Theognis, Aeſchines, Theogenes, Cleomedes, Eraſiſtratus, Phidon, Dracōtides, Eumathes, Ariſtoteles, Hippomachus, Mneſitides. His actis Lyſander Samum nauigat: Agis uerò exercitum ex Decelea domum reduxit, ac per urbes dimiſit. Eodē tempore circa ſolis defectum, Lycophron Pherræus, qui uniuerſæ imperare Theſſaliæ quærebat, Lariſſæos ac alios Theſſalos qui ſibi reſiſtere conabantur, prælio deuicit, pluribus ex eis interfectis. Eodem quoq; tempore Dionyſius Syracuſanus tyrannus, bello à Carthaginenſibus ſuperatus eſt, Gellamq; ac Chamarinam amiſit. Paulò pòſt Leontini qui Syracuſis habitabant, in ſuam urbem reuerſi ſunt, ac à Dionyſio & Syracuſanis defecere: ſtatimq; Syracuſani equites à Dionyſio Catanem dimiſſi ſunt. At Samij à Lyſandro undiq; obſeſſi, quoniā cùm primū de deditione conſultarunt, Lyſander iam erat exercitū mœnib. admoturus, incolumitatem pacti ſunt, ut liberi cum ſingulis ſolū abirent ueſtimentis: ac ita digreſſi ſunt. Lyſander uerò ciuibus ueterib. ciuitatem cum rebus omnib. reſtituit, decem conſtitutis præfectis, qui

ctis, qui præsidio loci essent. Inde dimissa sociorũ classe, cum Laconicis nauib. Lacedæmonẽ nauigauit, præ se ferens captiuarũ nauium rostra, ac triremes ex Piræo omnes, præter duodecim, et coronas sibi à ciuitatib. priuatim dono datas: argẽti uerò quadringenta ac septuaginta talenta: tributũ ex ciuitatibus quas Cyrus ei ad belli expensas assignauerat: et si quid aliud bello partũ erat, id omne Lacedæmonijs tradidit exeũte uere, quo debellatũ est anno uigesimooctauo, mensẽq; sexto: quo tẽpore Ephori numerantur hi: Aenesias primus, sub quo bellum cœptũ est, decimoquinto anno post Euboiam captã, ac fœdera tricennalia. Post hunc successere Brasidas, Isanor, Sostratides exorchos, Agesistratus, Agenides, Onomacles, Zeuxippus, Pityas, Plistolas, Clinomachus, Ilarchus, Leo, Chærides, Pateciades, Cleosthenes, Lycarius, Eperatus, Onomantius, Alexippidas, Misgolaidas, Isias, Aracus, Euarchippus, Pantacles, Pityas, Archytas, Eudicus, sub quo Lysander quas dixi rebus gestis, domũ reuersus est. At triginta præfecti celerrimè muros longos diruerunt. Piræi quoq; mœnia demoliti sunt. Sed cùm ad describendas leges quibus ciuitas regeretur, electi essent, eas semper conscribere et rogare cunctabãtur: sed electo senatu, ac principibus ex eorũ sententia constitutis, primò omnes quos in populari statu nouerant ex calumnijs uiuere, bonisq; et probis molestos esse cõprehendebant, ac morte damnabant: qua in re senatus alacriter illis opẽ ferebat, nec alij ægre ferebãt, qui se tales non esse, sibi cõscij erant. At cùm deliberare cœperunt, quo pacto ciuitate ex libidine abuterentur, primò Lacedæmonẽ Aeschinem & Aristotelem miserunt, qui Lysandro persuaderẽt, ut operã daret, quò illis

illis præſidiũ mitteretur, donec homines mali è medio tollerẽtur, ac reſpub. ſtabiliretur: eos interim alere uelle poliiciti ſunt. A quibus ille perſuaſus, in ſenatu egit ut præſidium & Calibius præfectus ad eos mitteretur. At triginta accepto præſidio, Calibiũ cunctis demerebantur officijs, ita ut omnia quæ agerent, laudaret. Cumq; præſidiũ illis quoq; aſſentiretur, quoſcunq; uolebant cõprehendebant, non iam malos & infimæ ſortis homines, ſed optimates, & quos minimè uiolentiã toleraturos, ſed potius contrà ituros arbitrabantur. Ac ſuperiori tempore Critias Therameni familiaris ac amicus erat. Sed poſtea erat admultorũ cædem propenſus, propterea quòd à populo fuerat in exilium pulſus. Theramenes uerò obſtabat, dicens, neminem propterea interfici debere, quia à populo honoraretur, neque tamen bonos & honeſtos ulla re læderet: quandoquidẽ et ego et tu, inquit, multa ut populo placeremus, & diximus & fecimus. At ille (nam adhuc familiariter Theramene utebatur) reſpondit, fieri non poſſe, ut qui uellent excellere, non de medio tollerent eos qui id maximè impedire poſſent. Quòd ſi quia triginta ſumus, non unus, propterea exiſtimas hunc potentatum minus diligenter curandũ eſſe, quàm ſi tyrannis eſſet, inſipiens es. Sed cùm quotidie multò plures iniuſtè interficerentur, ac multi cõuenientes admirarẽtur, quonã res euaſura eſſet, rurſus Theramenes inquit: Si ſocij ab male cœptis nõ deſiſterent, impoſsibile eſſe paucorũ dominationem durare poſſe. Inde Critias & reliqui triginta haud modicè Theramenem, ne ciues ad eum cõfluerent, timere cœperunt. Elegerunt igitur tria millia ciuium, qui rerum participes eſſent. Ad id rurſus Theramenes ait, abſurdum ſibi uideri, quòd

ri,quòd primò tria millia ex optimatibus eligerent,ac ſi numerus ille neceſsitatẽ quandam honeſti ac boni præ ſe ferret:tanquã impoßibile eſſet extra illos bonũ, inter eos uerò improbũ quempiam eſſe.Nunc uerò,inquit,duo uos maximè cõtraria facere cerno, uiolentũ uidelicet principatũ,ac ſubditis inferiorem.Hæc ille. At illi recenſitis tribus millibus in foro,ijs autem qui extra eum numerum forent,alijs alibi,deinde iußis arma capere,interea dum illi diſcedunt,miſerunt præſidiarios, & eos ciuium qui ab ipſis ſtabant, ac per eos omnibus, præter tribus millibus arma abſtulerunt, et ea in arcẽ deferentes,in Palladis templo depoſuerunt. His geſtis cũ iam quicquid libitũ eſſet, perpetrare poſſent,multos inimicitiarũ,plures uerò pecuniarũ interficiebant gratia:et ut eſſet unde præſidio pecunias perſoluerent, decreuerũt unumquenq;, aduenam unum eligere debere,quem interficeret, eiusq; pecuniam indicaret.Theramenem quoq; quem uellet ſumere iuſſerunt. At ille reſpondit, Non rectè ſibi uideri optimos eos appellari,ſycophantis uerò peiora perpetrare.Illi enim, inquit,cũ per calumniã aliquem pecunijs ſpoliant, uitam tamen haud adimunt: nos uerò ut pecunias auferamus, innocentes interficimus.Nónne in hoc illis longè nequiores ſumus?Igitur triginta Theramenem rebus ſuis impedimento eſſe arbitrati,ut quæ uellent liberè facere poſſent, illi inſidias tendunt, ac inuicem tanquã reipub. perniciosum criminari cœperũt.Iuſſerũt igitur iuuenes quoſdam, qui illis maximè ad hanc rem idonei uidebantur, cum gladijs ueſte tectis præſtò eſſe, ac collecto concilio, cùm iam Theramenes aduenißet,aſſurgens Critias ita uerba fecit: Si quis ex uobis,ô uiri collegæ,plures quàm tempus exi-

gat, mori existimat, ille id omni in loco ubi ciuitatis forma mutatur, fieri haud ignoret. Necesse enim est multos propter paucorũ dominationẽ nobis esse infensos, cum populosissimã totius Græciæ possideamus ciuitatem, ac in qua tempore plurimo populus in libertate nutritus est. Nos uerò q̃ grauis nobis ac uobis popularis fuerit status iampridem experti sumus. Quinimò nec hoc ignoramus, Lacedæmonijs, qui graui nos eruêre iugo, nunq̃ populum amicũ fuisse: at uiri præstantes semper in eorũ fide et amicitia persistunt: quapropter ex Lacedæmoniorũ sentẽtia hanc regendi cõstituimus formã, & si quem paucorũ dominationi obuiã ire cognoscimus, quantũ ualemus è medio tollimus. Proinde si quempiam ex nobisipsis Oligarchiæ aduersari considerarimus, illum pœnas delicti huius reddere debere longè iustius arbitramur. Nunc uerò cõpertũ habemus Theramenẽ hunc, quibus potest modis, et nobis & uobis perniciẽ struere: & ut illa uera esse deprehendatis, si diligenter cõsiderabitis, neminem magis præsentem statũ uituperantem, aut si quem populare de medio tollere uolumus, plus resistentẽ, quàm hunc inuenietis Theramenẽ: qui si sub initiũ ita sensisset, hostis quidẽ fuisset, haud rectè tamen improbus appellari posset. Nunc uerò quãuis ipse maximè initiũ fidei ac amicitiæ Laconicæ fuerit, ipse populi statũ dissoluerit, ipse summopere nos aduersus insidiatores nostros, ut illos afficeremus supplicio, concitauerit: postq̃ nos & uos ex professo populi hostes euasisse cernit, amplius quæ aguntur sibi placere negat, scilicet ut ipse in tuto cõstituatur, nos uerò gestorum rationem aliquando reddamus. Quapropter illum nõ solum ut inimicum, sed ut uestri ac nostri proditorem supplicio

plicio affici decet: tantò enim hoste pernicioſius delictum eſt proditio, quantò difficilius rem latentem quàm manifeſtam cuſtodire: tantò etiã abominabilius, quòd hoſtes aliquando rurſus reconciliantur, amiciq; redduntur: at qui ſemel in proditione deprehenſus eſt, cum illo nemo unquam in gratiam redit, aut illi deinde confidit. Vt autem intelligatis quæ ille facit non noua eſſe, ſed natura proditionem ei innatam, eius acta uobis ad memoriam reuocabo. Quamuis enim à teneris uſq; annis, ob patrem Agnonem à populo honoratus eſſet, impulſor tamen fuit ut populariſ ſtatus deprimeretur, ad quadringentorumq; numerum deduceretur: inter quos & ipſe princeps extitit. Deinde cùm uideret ob illum numerũ rem ad paucorũ potentiam declinare, rurſus populo dux contra quadringentos factus eſt: unde haud ab re Cothurni nomen illi inditum eſt. Cothurnus enim ambobus cõgruere uidetur pedibus, etſi ab utriſq; diſſentiat. Decet uerò ô Theramenes, uirum uita dignũ nõ id meditari, quo pacto ſocios ad pericula impellat, & ſi quid non ex animi ſententia ceſſerit, cõfeſtim immutari: ſed tanq; in naui moderari, quouſq; aura ſequundior flare incipiat. Id ſi minus quis fecerit, quo pacto unquam quô tendit peruenire poterit? cùm re quapiam leui impediente, confeſtim in contrarium nauigare uelit. Siquidem ſunt omnes fermè publicarum rerum mutationes mortiferæ. At tu propter inconſtantiã multis exoligarchia ut ſub populo perirent, plurimis uerò ex democratia ut ab optimatibus necarentur, cauſa fuiſti: quale hoc eſt, cùm tibi à ducibus in bello nauali circa Leſbum cõmiſſo, ſuccurſus ſubmerſorum ciuium iniunctus eſſet, tu non ſolùm illos non ſuſtuliſti, ſed & duces accuſaſti, ut

Theramenes cothurnis dictus.

Cothurnus.

per mortem illorum periculum euaderes tuum. Proinde qui sui commodi gratia cuncta agere, nec honestatis, aut amicorum curam gerere deprehenditur, non uideo cur ei parcendum sit: quinimò potius ab isto cauendum erit, ne cùm ipsius cognouimus instabilitatẽ, ipsi quoq; aliquãdo decepti, ea quæ & alij ab ipso passi sunt, ferre cogamur. Illũ igitur ut & nostri & uestri insidiatorẽ ac proditorẽ deferimus. Quòd uerò rectè agamus, ita considerate. Si in Lacedæmoniorũ republica, quam optimis institutã legibus cernimus, quis ex Ephoris formam regiminis mutare conaretur, illam uituperaret, ac deniq; omnibus quæ fierent aduersaretur, nunquid putatis illum & ab Ephoris ipsis, & reliqua ciuitate uniuersa, maximis dignum censeri supplicijs? Igitur & uos, si sapitis, non huic, sed uobisipsis parcite. Nam si euadet, plurimis ut hostiliter contra nos sentiant, occasionem præbebit: damnatus uerò, cunctorum tam intra quàm extra urbem spes præcidet. Hæc cùm loquutus esset, desedit. At Theramenes surgens ita disseruit: Ego uiri, ad ea quæ Critias postremò mihi obiecit, primùm respondebo. Dixit etenim præfectos ob accusationem meam ultimo affectos esse supplicio. Ego uerò accusationi illorum principium non dedi: uerùm cùm ab alijs accusati respondissent, se mihi collectionem ciuium, qui pugna nauali iuxta Lesbum interierant, demandasse, ostendi ob tempestatis uehementiam impossibile mihi fuisse, non solùm homines tollere, sed ne nauigare quidem: qua in re uera Athenienſib. dicere uisus sum, & illi quodammodo seipsos accusare, fatentes illos colligi potuisse, se tamen ad alia loca nauigasse. Quanquam non miror Critiam mihi iniustè hæc obiecisse. Nam cùm

hæc

hæc acta sunt, præsens non fuit, sed cum Prometheo in Thessalia statum instituit popularem, ac calones in domi nos armauit: & quæ ille ibi egit, ne hìc fiant, dij longè re pellant. In eo uerò illi assentior, si quis uobis principatum auferre nitatur, ac hostibus uestris fauere uelit, maximis hunc dignum esse supplicijs. Verùm quisnam hæc agat, uos optimè dijudicaturos arbitror, si diligenter perpenderitis anteacta, & quæ nunc unusquisque è nobis geritur quandoquidem in eligendo senatu, constituendis principibus, tollendis è medio manifestis calumniatoribus, omnes unà sensimus: sed ex quo illi uiros bonos ac iustos com prehendere cœperunt, ego quoq; diuersa illis sentire occe pi. Sciebam etenim cùm interfici uidissem Leontem Salaminium, uirum spectatum ac egregium, nullaq; in re iniu rium, eius similes in timore constitutum iri, constitutos uerò gubernationi nostræ obuiam ituros. Item cùm Niceratum Nicij filium comprehensum cernerem, uirum diuitem, qui nihil unquam nec ipse, nec parens eius popu lare designasset, intelligebã eius similes uobis hostes futuros. Præterea cùm Antiphon, qui in bello duas aluisset tri remes, à uobis interficeretur, sciebã omnes qui egregiam reipublicæ nauassent operam, uos suspectos habituros. Contradixi quoq; cũ unumquenq; aduenam unum ad op primendũ arripere iussissent: manifestè enim apparebat, si illi perirent, incolas reliquos omnes hostes reipublicæ euasuros. Contradixi quoq; cùm arma multitudini adem pta essent: arbitrabar etenim ciuitatem imbecillem reddi non oportere. Neq; enim Lacedæmonios ideo nos seruare uoluisse, ut uiribus exhaustis, nullo illis præsidio cùm uellent, esse possemus: quippe si hoc uoluissent, neminem

ex nobis relinquere potuissent, si modico adhuc tempore fame nos pressissent. Neq; præsidium conducere mihi placuit, cùm liceret ex ipsis ciuibus tot assumere, quot satis essent ad efficiendũ ut subditis superiores esse possemus. Deniq; cùm plures in ciuitate statui huic infensos cernerem, multos quoq; in exilium quotidie pelli, displicuit mihi his Thrasybulum, Anytum, & Alcibiadem adiungi. Intelligebam enim quantum robur hostibus accessurum fõret, si multitudini exulum, duces quasi de industria subministraremus, ducibus uerò sociorum numerum augere mus. Qui ergo palàm hæc admonet, num rectius beneuolus quàm proditor est existimandus? Non illi, ô Critia, qui impedimento sunt ne hostium numerus augeatur, uel qui docent quo pacto sociorum numerus crescat, hi hostes reddunt potentiores: sed multò magis qui per uim ac iniustè pecunias auferunt, innocentesq; interficiunt, hi sunt qui aduersariorum augent numerum: quiq; non solum amicos, sed semetipsos ob auaritiam produnt. Quòd si non aliunde me uerum dicere intelligere potestis, ita saltem considerate: nunquid Thrasybulus & Anytus reliquiq; exules, magis uelint ea hîc fieri, quæ ego suadeo, an potius quæ illi agunt: equidem eos existimare puto, nunc omnia sibi socijs esse plena. Quòd si ciuitatis opulentiores nobiscum sentirent, difficile putarent uel ullum in locum nostræ regionis intrare. Cæterùm nunc ijs quæ de inconstantia mea dixit, uerè respondebo. Statum quadringentorũ populus ipse aliquando decreuit, edoctus Lacedæmonios quamlibet gubernandi formam potius quàm popularem probare statum: uerùm cùm hi nil profeciissent, & qui cum Aristotele, & Melanthio, & Aristarcho militabant,

bant, comperti sunt munitiones, in quas ob ciuium oppressionem hostes introducerent, in agris erigere, ut ciuitatem suo & aliorum subijcere possent imperio: id quã primum resciui, ne fieret prohibui. Num quæso hoc est amicorum esse proditorem? Proinde me Cothurnũ quoque appellat, tanquam utrique parti studere conantem. Qui uerò neutri placet parti, per deos immortales quo nomine illum appellare decet? Siquidem tu in statu popularí omnium minimè popularis fuisti: in optimatum uerò regimine, optimum quenq; capitali prosequutus es odio. Ego uerò ô Critia, illis semper resisto, qui popularem statum non antea optimum esse arbitrantur, quàm cùm serui & alij infimæ sortis homines qui drachma uendi possunt, drachma ciuitatem adepti fuerint. Illis quoque semper contrarius esse soleo, qui paucorum dominationem non rectè constitutã existimant, prius q̃ à paucis subacta ciuitas, tyrannidi subijciatur. Quòd uerò cum ijs sensi, qui & equis & scutis possent eam rempub. iuuare, quæ propter has res antea optima est habita, ne nũc quidem muto sententiam. Tu uerò Critia, si ostendere potes, ubinam cum popularibus, uel tyrannicis, bonos & probos à republica depellere conatus fuerim, agè ostende. Si enim aut nunc ea facere, aut unquam antea feciſſe conuictus fuero, fateor me extrema omnia pati esse dignissimum, iustéq; ultimo affici debere supplicio. Hæc cùm dixisset, tacuit. Verùm concilium cùm benuolentiam suam strepitu indicasset, ueritus est Critias, ne si senatui de illo sortiri permitteretur, euaderet: quam rem minimè tolerandam arbitrabatur. Procedens igitur, & cum triginta colloquutus exiuit: iussit interim ijs qui enses habebãt,

popularis status

apertè senatum in cancellis circundare. Inde cùm rursus ingressus esset, ita uerba fecit: Ego, patres conscripti, eum qui reipublicæ præest, decere arbitror, cùm amicos decipi uideat, illis pro uiribus succurrere: quod et ego nunc facere intendo. Nam hi qui hìc astant, negant se permissuros, ut dimittamus hominem, apertè oligarchiæ resistentem. Cùm igitur à nouis constitutum sit legibus, neminem ex tribus millib. sine decreto uestro morte damnari debere: at qui extra numerum illum sunt, horum triginta esse uitæ ac necis dominos: ego Theramenẽ hunc, omnibus uobis cõsentientibus, ex catalogo deleo, & hunc nos, inquit, morte damnamus. Quæ cùm Theramenes audiuisset, ad aram ita uociferans cõfugit: Ego uerò, ô uiri, omnium iustissima uos oro ac precor, ut neque me, neque alium quenquam ad libidinem Critiæ deleri permittatis: sed ut ex lege, quam illi de ijs qui in catalogo continentur tulerunt, & de uobis et de me pronuncietur. Et quamuis per deos immortales, inquit, nõ ignorem, aram hanc nil mihi profuturam, id tamen ostendere uolo, tyrannos istos non solùm in homines esse iniustissimos, sed erga deos quoq; maximè impios ac sceleristissimos. Admiror uerò uos, uiri optimi ac honesti, uobisipsis succurrere nolle, cùm sciatis nomen meum non magis esse delebile. quàm uniuscuiusq; uestrûm. Interea tyrannorum præco undecim uiros ad Theramenem citabat: quibus cum ministris, ac duce eorum Satyro, homine audacissimo ac facinorosissimo, irrũpentibus, Critias ait: Tradimus uobis Theramenem hunc secundum legem iudicatum: uos uerò undecim uiri, illum quô oportet, abducite, ac è medio tollere memineritis. Hæc cùm dixisset, Satyrus illum cum ministris ab ara abstra-

ſtrahere nitebatur. At Theramenes cùm hæc cerneret, ut par erat, deos ac homines inuocabat. Senatus uerò uidens ſimiles Satyri circum cancellos, & ante prætorium quamplurimos militum diſpoſitos, quietem agebat, tacitusq; euentum rei expectabat, non ignarus illos enſibus cinctos eſſe. At undecim uiri per forum hominem abducebant, magna uoce quòd indigna pateretur clamantem. Fertur cùm Satyrus illi dixiſſet, flebis niſi ſilebis, reſpondiſſe: Nunquid non flebo, ſi taceboꝰ Cùm uerò mori coactus eſſet, epoto ueneno, reliquum effudiſſe aiebant, ac dixiſſe: Hoc Critiæ pulchro ſit. Et quamuis non ignorem dicta iſta non admodum relatu digna, illum tamen uirum admirandum eſſe iudico, cui morte præſente, nec prudentia, nec ſales ex animo exciderint. Theramenes igitur hunc finem ſortitus eſt. At triginta cùm iam abſque timore tyrannidem exercere poſſe ſperarent, omnibus extra catalogum urbem intrare prohibuere: quinimò finibus quoque pellebant, ut eo pacto ipſi cum amicis eorum agris potirentur. erantq; fugientium omnia plena: nam ex Piræo dilabentes, Megaram ac Thebas impleuerant. Itaque Thraſybulus ex Thebis impetu facto, cum circiter ſeptuaginta ſuæ factionis hominibus Phylen locum occupauit munitiſſimum: cui triginta ex urbe cum tribus millibus, ac equitibus, cùm ſereniſſima eſſet tranquillitas, occurrunt. Cúmque propè eſſent, ſtatim audaculi quidam iuuenes locum aggreſſi ſunt: ſed & nihil proficerunt, & acceptis uulneribus repulſi ſunt. At triginta cùm conſtituiſſent illos muro circundare, ut eo pacto obſeſſi, annona intercluderentur, eadem nocte denſa effuſa eſt nix: &

Theramenis mors.

Thraſybulus cum suæ factionis hominibus Phylen occupat.

cùm die insequenti uehementer quoq; ningeret, urbem re petierunt, permultis calonum à Phylanis interfectis. Timentes uerò agrorum incursionem, ni præsidio muniren tur, circiter quindecim stadijs à Phyla, Laconicum uniuer sum, exceptis paucis, constituunt præsidium, cum equitũ turmis duabus, qui in Lasio campo positis castris, in stati uis agebant. At Thrasybulus collectis quasi septingentis suæ factionis hominibus, nocte ad illos descendit, ac posi tis tribus uel quatuor ab hostibus stadijs armis, quietem agebat. Cumq; primo diluculo hostes è lectis surrexissent, ac inermes, quò quenq; negocia uocabant, irent, alij uerò equos tergerent, Thrasybulus sumptis armis, prono cur su cum suis ad illos delatus est: ex quibus aliquot uiuos cepit, omnes uerò in fugam uertit, quos sex uel septẽ pro sequutus est stadia. Ceciderunt q; ex peditibus plus quàm centum uiginti, equitum uerò Nicostratus appellatus Pul cher: duo quoq; alij in lectis oppressi sunt. Thrasybulus uerò cum suis reuersus trophæũ statuit, acceptisq; armis ac præda, Phylam redijt. At equites ex urbe cùm suis o pem ferrent, neminem hostium deprehenderunt: tandiu uerò manserunt, quoad necessarij eorum qui ceciderant, mortuos reciperent, inde in ciuitatem reuerterunt. Ex eo tempore triginta rebus suis diffidentes, Eleusinam ut re fugium illis quandoq; esset, usurpare constituerunt. Igi tur equitibus sequi iussis Eleusinã profecti sunt, ibiq; Cri tias & alij triginta equites recensuerũt, dicentes, id eo fa cere animo, ut numerũ eorum cognoscere, & quãto præ sidio egerẽt, scire possent. Descriptum igitur uniquenq; per portam, mare uersus, exire iubebãt, militibus in litto re hinc inde consistere iussis: ac quamprimũ quis egressus

erat,

erat, ab ministris cõprehendebatur. Cumq; omnes capti essent, iusserunt præfectum Lysimachum illos abducere, ac undecim uiris tradere. Postridie conuocatis tribus millibus, ac reliquis equitibus, surgens Critias ita loquutus est: Vobis ô uiri, non minus q̃ nobisipsis, rempub. stabilimus: proinde quemadmodum honorũ, sic & periculi uos participes esse decet. Vt igitur eadem nobiscum & non timeatis, & timeatis, de Eleusinijs ferenda sunt suffragia: ostensoq; quodam loco, in eum apertos ferri iussit calculos. Interea præsidiarij Laconici armati erant in media / 0 parte eius loci, in quo cantatur. Erant hæc grata ijs ciuiũ, qui id unum curabant, ut superiores essent. Thrasybulus interea collectis ex Phyla circiter militibus mille, nocte Piræum occupauit. Quod cùm triginta resciuissent, statim cum Laconico præsidio, equitibus ac peditibus, in succursum aduolant: inde Piræum aggredi pergunt. At qui ex // Phyla irruperãt, uiriliter resistunt: sed cùm ambitus esset uastus, multiq; indigens præsidij, ipsi uerò pauci, in Munichiam se retrahunt. at qui in urbe erant, in Hippodamium conueniunt forum, ubi ordine lato, nõ minus quàm hominũ quinquaginta instructo, ita ut totam implerent uiam, quæ ad templum Munichiæ ducit Dianæ, Bendidium ad hostes ascendere cœperunt: quibus obuiam fiunt / 2 Phylani, ordine contracto: nam haud plus quàm homines decem in fronte constiterant: quibus succedebãt uelites, ac iaculatores: illos uerò sequebãtur funditores, qui sanè frequentes erant: nam indidem accedebant. Ac dum ueniũt aduersarij, progressus Thrasybulus, suis scuta ponere iussis, suoq; posito, reliqua arma habẽs, stans in medio, ita loqui cœpit: Viri ciues, quosdam ex uobis docere, alios uerò Thrasybuli oratio. / 3

admonere uolo, hostes qui dextrum tenent cornu, eos esse, quos quinta antea die in fugã uersos persequuti estis: at ultimos qui in sinistro stant cornu, triginta esse tyrannos sceleſtißimos, qui nos immeritos urbe priuarunt, domibus expulerunt, ac amicißimos nostros ultimo affecerunt supplicio. Euenit uerò nunc, quod illi nunq; futurum arbitrabantur, nos autem summopere semper optaba-
14 mus: armati nanq; contra illos stamus. Dij uerò scientes, nos & cœnantes aliquando, & dormientes, & mercantes, comprehendi solitos, nonnullos etiam non modò non delinquentes, sed ne præsentes quidem, exilio mulctatos, nunc apertè nobiscum pugnant: etenim & in tranquillitate tempestatem concitant, si id nobis prodesse norũt: rursus, etsi pauci simus, concedunt tamen, ut multos inimicos nostros in fugã uertere, trophæũq; statuere possimus:
15 quapropter nunc quoq; inimicos nostros eò duxere, ubi propter ordinis densitatem, ac loci iniquitatem, neq; iaculis aut sagittis rem gerere possunt: nos uerò in decliue hastas iacientes & missilia & lapides, attingemus eos, &
16 multos uulnerabimus. Et existimasset aliquis, pugnandũ fore ex æquo loco, præsertim ducibus. At nunc si uos, ut decet, alacriter tela ieceritis, aberrabit nemo, cùm uia plena sit hostium. Ac illi cauentes tela semper sub clypeos fugient. Itaq; licebit tanquam cæcos & ferire ubi uolemus,
17 & insiliendo uertere. Sed ô uiri ita gerenda res est, ut se quisque uictoriæ in primis causam fuisse sentiat. Ea enim nobis (si deus uoluerit) nunc patriam, domos, libertatẽ, honores, ac filios, & quibus sunt uxores, reddet. Proinde felices quicunq; è nobis uictores euadent: illis etenim lætißima fulgebit dies. Beati quoq; qui cadent: memoriã enim

sempi

sempiternã cunctis diuitijs præstantiorem acquirent. Igitur cùm tempus id exiget, pæana inchoabo: cũ uerò Martem inuocauero, uno animo omnes pro acceptis iniurijs hostes ulciscamur. Hæc cùm dixisset, in hostes uersus quie 18
tem agebat: uates enim illis prædixerat, ne hostes adorirentur antequam ex suis quispiam uulneraretur aut caderet: id ubi factum erit, præibimus nos, inquit: uictoria uerò nos sequetur, me uerò mors, ut arbitror. Nec eum 19
fefellit opinio: nam assumptis armis, tanquam fato quodam ductus, primus in confertißimos insiluit hostes, ubi undique telis obrutus cecidit, ac in Cephisi descensu sepultus est: at reliqui egregiè uicerunt, hostesq; in plana usq; persequuti sunt. Ceciderunt autem in eo certamine ex triginta, Critias & Hippomachus: ex decem uerò in Piræo præfectis, Charmides Glauconis filius: ex reliquis quoq; septuaginta circiter, quibus solùm adempta sunt arma: nullus uerò ciuium uestitu spoliatus est. His actis, ac mortuis per inducias redditis, inuicem multi colloqui 20
& conuenire cœperunt. Cleocritus quoq; Myscorũ præco, cùm uocalißimus esset, facto silentio ita loquutus est: Viri ciues, cur nos expellere quæritis? cur interficere uultis? cùm uobis nil mali unquam fecerimus, sed participes simus purißimorum templorum, ac sacrificiorum, pulcherrimarumq; festiuitatum, unà aliti sumus, unà educati, unà militauimus, multaq; pro communi salute ac libertate, terra ac mari pericula exantlauimus. Per deos 21
igitur paternos ac maternos, affinitates, cõsanguinitates, et familiaritates, quibus omnes maximè inuicem deuincti sumus, uereamini deos, hominesq; timete, & ab iniurijs patriæ communis aliquando desistite, nec iniquißi-

mis fauete tyrannis, qui sui lucri gratia, menſib. octo, plures ferè interfecere Athenienſes, quàm decem antea annis cuncti in bello obtruncarunt Peloponnenſes. Cumq; omnes in pace degere poſſemus, hi omnium ſceleſtiſſimũ ac iniquiſſimũ, nefandum & abominandum deis ac hominibus, inter nos concitarunt bellum. Inſuper & hoc ſcitote, eorum qui ceciderunt, non minus à nobis quàm à uobiſipſis nonnullos deploratos eſſe. Et ille ita loquutus eſt. At reliqui tyranni cùm hæc audiſſent, ſuos ne talia audirent, in urbem reduxerunt. Poſtridie triginta, omni depoſito faſtu, humiles ac deſerti in conſeſſum uenerũt. At tria millia ubicunq; diſpoſiti erant, inter ſe diſſentiebant: & qui uiolentius egerant, timebant, unoq; animo aſſerebãt, minimè cum exulibus reconciliationem admittendam eſſe: qui uerò nil iniuſtè ſe egiſſe ſciebant, aliter ſentiebant: reliquos quoq; admonebant, ut ſe aliquando ab his malis in libertatem uendicarent, ac minimè tyrãnidi obedirent, ciuitatẽq; in manifeſtum præcipitarent periculum. Tandem triginta tyrannidem abrogare coëgerunt: alios decem qui rebus præeſſent, ex unaquaq; tribu ſingulos elegerunt. Et triginta quidem Eleuſinam abierunt: at decem electi, ciuibus ualde perturbatis, & inter ſeſe diffidentibus, cum præfectis equitum agebant. Equites uerò in triuijs cum equis & armis pernoctabant: et quia nemini credebant, nocte mœnia circumibant armati: orta uerò die conſcenſis equis obequitabant, ſemper timentes ne in Piræenſes inciderent. Interim numerus eorum qui in Piræo erant, quotidiano augebatur concurſu, uariaq; fabricabantur arma, lignea quoq; & ſalignea, quæ inde dealbabantur. Ac priuſquam dies decem præterijſſent, fide data

ſi qui

ſi qui unà bellũ gerere uellent, & æqualitate, ſi peregrini
forent, exierunt multi armati, multi etiam inermes. Ha-
buerunt & equites circiter ſeptuaginta, quibus incurſio
nes in agros faciebant, captisq; lignis & fructibus, rurſus
in Piræũ reuertebantur. Ex urbe uerò nemo præter equi 26
tes egredi audebat, qui illis inſidiabantur, & quandoq;
male afficiebant. Deprehenderunt quoq; iuuenes quoſ-
dam, qui commeatus cauſa in agros exierant ad ſua negò-
tia: quos Lyſimachus equitum præfectus multùm depre-
cantes, equitibusq; multis ægrè ferẽtibus, iugulare iußit:
quapropter Piræenſes irritati, ex equitibus nacti Calli- 27
ſtratum ex tribu Leontida interfecerunt: iam enim adeò
uirib. creuerant, ut ad urbis muros incurſiones facere au-
derẽt. Hoc quoq;, eius qui faciebat in urbe machinas, præ
termittendum non uidetur: qui ubi intellexit illos ad ur-
bem per Lycij uiam machinas adducturos, iußit omnia iu
menta uaſta ſaxa uehere: quibus temerè per uiã deiectis,
maximùm hoſtib. præſtitere impedimentũ. Tandem tri- 28
ginta ex Eleuſina, et qui in catalogo deſcripti erant ex ur
be, Lacedæmonem miſerũt legatos, qui auxilium, tanquã
populus à Lacedæmonijs defeciſſet, peterent. At Lyſan-
der cõſiderans, ſi illi qui in Piræo erant terra mariq; obſi
derentur, breuiter ob neceſſariorũ penuriã ad ultimam
uenturos neceßitatem, ſicq; facilè expugnari poſſe, Lace-
dæmonijs perſuaſit, ut mutuatis illis talẽtis centũ, cum ter
ra præfectum, Libyn uerò fratrem claſsis præfectum in
ſubſidium mitterent. Egreſſus igitur, milites multos Pelo- 29
ponnenſes terra Eleuſinã duxit: at claßis præfectus mare
obſeruabat, quo minus neceſſaria in Piræũ inferri poſ-
ſent. Quibus circũuenti difficultatib. obſeßi, breuiter ad

ultimam deuenere necessitatem: & qui in ciuitate erant, rursus ob Lysandrum animum erigere cœperunt. Id cùm Pausanias rex didicisset, Lysandri gloriæ inuidebat: timebat etenim ne egregio perpetrato opere, clarior euaderet, simulq; suas faceret Athenas. Persuasis igitur Ephoris tribus, exercitũ educit: quem socij omnes præter Bœotios & Corinthios sequuti sunt: hi enim se cõtra iuramentum uenire dicebant, si aduersus Athenienses, qui nil præter pacta egerant, militarent. Hæc tamen ideo faciebant, quoniam Lacedæmonios Athenienſem agrũ suum facere, ac in ditionem redigere suã uelle intelligebant. Pausanias igitur in Hali cãpo castra posuit, inde Piræũ uersus ducere pergit. In cornu dextro ipse præerat, sinistro uerò cum milite cõductitio Lysander: præmissoq; præcone, eos qui in Piræo erãt, domũ redire iussit. Cumq; minus parerent, impressionem in illos, clamore tenus, ne eis fauere detegeretur, fecit. Sed cùm conatus ille minus procederet, in castra copias reduxit. Postridie adhibitis manipulis Lacedæmoniorum duobus, ac Athenienſium equitum turmis tribus, ad Cophum portũ usq; processit, Piræi situm considerans. Inde cùm discedere uellet, Piræenses postremũ agmẽ lacessere cœperũt. Id ægrè ferens Pausanias, equites & leuis armaturæ milites in eos immisit, ipse uerò cum reliquis subsequebatur. Igitur triginta circiter læuis armaturæ militibus occisis, reliquos usq; in Piræi theatrũ persequutus est: ibi illis obuiã fiunt ex Piræo peltati & armati omnes: uelitesq; excursione facta, iaculis, sagittis, ac fundis rem agebant. At Lacedæmonij cùm plures ex eis uulnerarentur, ac uehementer urgerẽtur, pedem referre cœperũt. Id cùm hostes cernerent, uehemẽtius illos premere pergunt:

pergunt: cecideruntq; eo in loco Chæron, et Thibrachus, ambo bello præfecti, & Lacrates Olympionicus, ac alij Lacedæmonij quãplures: qui ante portas in Ceramico sepulti sunt. Quæ cũ Thrasybuliani & alij uidissent armati, illis suppetias ferũt, ac ordine structo inuadũt. At Pausanias cũ impetũ amplius ferre haud posset, ad tumulum quendam quatuor aut quinq; distantẽ stadijs declinauit: collectisq; ex fuga Lacedæmonijs ac socijs, aciem densam ac cõpactam instruere cœpit, rursusq; contra Athenienses ducere pergit, quem primò intrepidè illi excepere: at procedente certamine impetũ ferre non potuerũt, sed amissis circiter centũ quinquaginta ex suis, in fugam uersi sunt. Pausanias itaq; erecto trophæo copias reduxit, nihil ne tum quidem eis succensens: sed clàm eos admonuit, ut legatos ad eum ac præsentes mitterent Ephoros: cui illi paruere. Persuasit & ijs qui erant in urbe, ut collecti eum adirent, ac precarentur, ut bellum solueretur, cõmunesq; Lacedæmoniorum essent amici. Grata quoq; fuit ea res Nauclidæ Ephoro: ambo enim Ephori qui cum rege militare solebant, & tum aderãt, magis cum Pausania q̃ Lysandro sentiebãt: quapropter per inducias à Piræo ac ex urbe, Cephisophon & Melitus, Lacedæmonẽ legati sunt missi. Illi uerò cùm Lacedæmonẽ uenissent, ciuitatem ac seipsos tradiderũt, iustum esse dicentes, ut hi qui in Piræo essent, si amici esse uellent, idem facerent, Piræoq; ac Munichia excederent. Quibus auditis Ephori & euocati, quindecim uiros Athenas miserũt, quos cũ Pausania res æquo cõponere iusserũt. Qui bellũ ita diremerũt, ut pacẽ inter sese gereret, & ad sua quisq; negotia reuerteretur, exceptis triginta, ac undecim uiris, & præfectis decem,

34

35

36

37

38

qui in Piræo præfuerant. Quòd si qui in urbe timerent, 39
Eleusinas migrare iusserunt. Hoc pacto sedato bello, Pausanias exercitũ reduxit. At qui in Piræo fuerãt, armati in arcẽ ascenderũt, ac Palladi rem sacrã fecerunt. Inde Thrasybulus eos qui in urbe fuerant, ita alloquutus est: Vobis, ô 40
uiri, ex urbe suadeo, ut uosmetipsos cognoscere uelitis: cognoscetis autẽ, si diligenter perpenderitis, quã ob rem adeò elati estis, ut nobis dominari uolueritis. Nunquid nobis iustiores estis? Verũ populus quãuis pauperior uobis semper fuerit, nulla tamen unq̃ uos pecuniæ gratia iniuria affecit: uos uerò ditiores omnibus, multa turpia lucri gratia perpetrastis. Cùm igitur propter iustitiam efferri minimè poßitis, cõsiderate nunquid fortitudine præcellatis. Sed rei huius discrimen pulcherrimũ euenit, cùm bel- 41
lum inuicem geßimus. Sed prudentia forsan excellere uidemini. Cùm muros, arma, pecunias, ac Peloponnenses socios habueritis, ab eis tamen qui istorũ nihil habebant, circumagitati estis. Cæterũ de Lacedæmonijs forsitan uobis gloriandũ esse existimatis: quo pacto? qui quemadmodũ qui mordent uinciri solent, & in numellã cõpingi, ita illi 42
uobis huic iniuria affecto populo traditis, discedunt. Non tamẽ uobis suadeo, uiri, ut aliquid eorũ quæ iurastis trãsgrediamini, sed uiros bonos et iuramẽti memores uos esse ostendatis. Hæc & his similia ille loquutus est, hortatusq̃; 43
ne timerent, sed legib. uterẽtur antiquis. Illi igitur electo senatu, placidè remp. dehinc gubernabãt. Succedenti uerò tẽpore, cùm eos qui in Eleusina agebãt, milites cõducere, & ad defectionẽ spectare didicissent, uniuerso populo contra illos exierũt, ducesq̃; eorũ cum in colloquiũ uenissent, interfecerũt, ac reliquis submißis amicis & necessa-

rijs

rijs persuaserunt, ut cum ipsis reconciliarentur: iuramentumq; præstiterũt, ne quisquã præteritarum iniuriarum memor esset. Ab eo tempore usq; nunc, simul in repub. degunt, manetq; populus in eo quod iuratum est.

XENOPHONTIS RERVM GRAECARVM LIBER TERTIVS, BILIbaldo Pirckemero interprete.

HVNC exitum Athenienſis habuit ſeditio. Eodem tempore Cyrus Lacedæmonem miſit legatos, rogans, ut quemadmodum ipſe Lacedæmonijs contra Athenienſes opem tuliſſet, ita è conuerſo Lacedæmonij ei ſuppetias ferrent. Id cùm iuſtum eſſe Ephori cenſuiſſent, Samio nauarcho ſcribunt, ut Cyro obſequeretur, ſi quid opus eſſet. Quod ille ut Cyrus uolebat, impigrè fecit: nam claſſem ſuã cum Cyri cõiunxit, & in Ciliciam nauigauit, ac Syenneſim Ciliciæ ſatrapã prohibuit, ne Cyro in regem eunti impedimento per terram eſſe poſſet. Quemadmodũ uerò Cyrus exercitum collegerit, ac contra fratrem pugnauerit, tandemq; occubuerit, Græciq; ſalui ad mare rurſus peruenerint, à Themiſtogene Syracuſano ſcriptum eſt. At Tiſſaphernes in bello quod rex contra fratrem geſſit, magnum nomen adeptus, nõ ſolùm dignus uiſus eſt obtinere ſatrapiam, cui antea dominabatur, ſed ea quoq; illi adiecta eſt quæ Cyri fuerat. Confeſtim igitur omnes Ioniæ ciuitates ſibi ſubdere cœpit. At illæ quãuis libertatis deſiderio tenerentur, Tiſſaphernis tamen formidabant potentiã, præcipuè quòd Cyro uiuenti aliquãdo cõtra illum adhæſerãt: quapropter cum in ciuitates nõ recipiebant, ſed Lacedæ

Lacedæmonij auxilia mittunt Græcis in Asia contra Tissaphernem.

monem mittentes auxiliũ implorabãt, rogabantq; Lacedæmonios, cũ uniuersæ essent tutores Græciæ, etiam Græcorum qui in Asia essent, curã gererent, ut neq; eorum Asia uastaretur, et ipsi liberi essent. At Lacedæmonij illis Thimbronẽ miserũt præfectũ, attributis ei militib. Neodamensibus mille, ex cæteris uerò Pelopõnensib. circiter millia quatuor. Thimbron uerò ab Atheniensibus tercentum petijt equites, quibus stipendiũ soluere promisit. Illi uerò eos miserunt, qui sub triginta equitauerant, lucrum arbitrantes si ablegarentur et perirent. Cumq; in Asiam uenisset, milites ex omnib. ciuitatib. Græcis quæ in Epiro erant collegit: lubentes enim cuncti parebant, quicquid Lacedæmonius homo imperasset. Sed cũ hostem equitatu præualere cerneret, in plana nõ descendit: satis actum putãs, si regionem ab iniuria illæsam seruaret. At cũ Græci, qui cum Cyro ad bellum ascenderant, sibi iuncti essent, in campis quoq; cõtra Tissaphernẽ castra locare ausus est, urbesq; Pergamũ, Teuthraniam, & Halisarniũ in fidem accepit: quibus præerant Eurysthenes & Procles, qui à Demarato Lacedæmonio descenderant, cui regio illa, ob expeditionem in Græciã, à rege in donum cesserat. Venerunt quoq; in fidem duo fratres Gorgion & Gongylus, quorũ ille Gambrion & Palægambrion obtinebat, alter uerò Myrinã & Gryniũ. Erant quoq; hæ ciuitates Gongylo à rege donatæ, quoniam solus Eretreorum, quia cum Medis senserat, exulauerat. Cepit quoq; Thimbron urbes aliquas immunitas, ui. Lariſſam quoq; quæ Aegyptia uocatur, cùm imperata detrectaret, obsedit. Quam cùm capere non posset, cuniculos agere cœpit, ut eis eo pacto aquam adimeret. At illi per frequentes eruptiones, lapidi

bus ac lignis fossam replebāt: quapropter Thimbron testudinē ligneā super cuniculos statuit, quā Lariſſæi nocte erumpentes incenderunt. Ephori uerò cùm Thimbronem nil proficere cernerent, Lariſſam relinquere, & in Cariā exercitum ducere iusserunt. Cumq; in Cariam proficiscēs Ephesi esset, aducnit Dercyllides, uir machinarum peritia clarus, cognomento Sisyphus: hic exercitum suscepit, Thimbronq; domum reuersus est, ubi damnatus exulauit: accusatus est enim à socijs, quòd militi amicos diripiendos tradidisset. Dercyllides suscepto exercitu, cū nō ignoraſſet Tiſſaphernem & Pharnabazum ſuſpectos inuicē esse, colloquutus cum Tiſſapherne, in Pharnabazi fines exercitum ducit, malens alteri q̄ ambobus bellum inferre. Erat præterea Dercyllides priuatè Pharnabazo inimicus, quòd cū Abydi præfectus esset sub Lysandro classis præfecto, accusatus à Pharnabazo, stare iussus erat, scutum habens: quod uidetur ignominiosum esse Lacedæmoniorum honestis uiris: est enim non seruati ordinis mulcta. Eam igitur ob causam libentius contra illum mouit: statimq; apparuit, quantum inter illum & Thimbronem interesset. Nanque in Aeolidem usque, ubi Pharnabazus erat, omnibus illæsis socijs exercitum duxit. Erat Aeolis Pharnabazi: sed regioni quandiu uixerat Zenes præfuerat Dardanus. Illo per morbum mortuo, cū Pharnabazus alteri satrapiam tradere uellet, Mania Zenis uxor, quæ et ipsa Dardana erat, sumpta stola ac pecunijs quas Pharnabazo, pellicibus, ac amicis qui apud eum maximè pollebant, traderet, illum accessit. Cumq; in colloquium uenisset, ita loquuta est: Vir meus, ô Pharnabaze, in omnibus tibi amicus erat, tributumq; egregiè pepen-

dit, ita ut illum semper laudare ac honorare consueueris. Proinde si ego haud segnius quàm maritus tibi pareo, cur alieno satrapiam tradere necesse erit? Quòd si minus tibi placuero, semper illam à me auferre, ac digniori tradere poteris. Quæ cùm Pharnabazus audisset, dignam mulierem quæ imperaret, iudicauit. Illa igitur regionis domina facta, tributũ haud segnius uiro persoluit, ac quotiescunq; Pharnabazum accessisset, dona tulit. Quòd si quando ille in regionẽ descendisset, humanissimè ac liberaliter præter omnes præfectos eum accipiebat. Et quas acceperat urbes, illi custodiebat: & ex urbibus maritimis, quæ imperium detrectabant, Larissam, Hamaxitum, & Colonas, addidit, Græco ac peregrino exercitu muros adorta, ipsa in curru spectatrix: & si quem laudabat, ei sine ulla criminis suspicione dona dabat. Itaq; egregium instruxit exercitũ. Militauit & cum Pharnabazo contra Mysos et Pisidas, quoniam regis fines incursabant: quapropter magnis ab illo affecta est honoribus, ita ut consilijs aliquando adhiberetur. Cumq; iam quadragesimum supergressa esset annum, Midias gener à quibusdam persuasus, tanquam turpe esset mulierẽ regnare, ipsum uerò priuatè degere, cùm socrus sibi ab alijs caueret, ut in tyrannide fieri consueuit, illi uerò fideret, & tanquam generum foueret, ingressus ipsam suffocasse fertur. Interfecit quoq; filium indolis ac formæ pulcherrimæ, annorum decem & septem. Hæc cùm perpetrasset, Scepsim & Gergitha urbes occupat munitas, ubi & Maniæ reconditæ erant pecuniæ: reliquæ uerò ciuitates illum intra mœnia non receperunt, sed milites præsidiarij, qui in illis excubabant, Pharnabazo eas seruabãt. Midias Pharnabazo interim

munera

munera mittit, rogans ut ei, quemadmodũ Maniæ, regionem obtinere liceret. At ille dona usq; in aduentum suum seruare iußit, ut illa ab eo susciperè posset. Neq; enim se uita uelle frui asserebat, ni Maniæ iniuriã uindicasset. Eo tempore aduenit Dercyllides, statimq; eadem die Larissam, Hamaxitum, et Colonas, uolentes in fidem susceptit. Inde ad Aeolides quoq; misit ciuitates, petens ut se in libertatem uendicarent, ac se intra muros susciperent, sociq; fierent. Paruere igitur Neandres, Ines, et Cocylitæ: præsidium enim Græcum post Maniæ mortem haud modestè illis præfuerat. At Midias Cebrenam obtinebat regionem munitißimam: sperabatq;, si urbem eam Pharnabazo seruaret, fore ut ab eo honoraretur. Idcirco Dercyllidem repulit. At ille iratus, ad oppugnationem se accingebat: cumq; die prima litare non posset, sequenti quoq; tertia ac quarta frustra sacrificabat die. quod quidem ægerrimè ferebat: properabat etenim antequàm Pharnabazus suppetias ferret, totam subigere Aeolidem. Interea Athenades quidam Sicyonius manipularis, cùm Dercyllidem nugas agere existimaret, se uerò Cebrenijs aquã auferre posse speraret, cum manipulo suo procurrit, ut fontem obstrueret: at qui in urbe erant, erũpentes illum uulnerarunt, duobusq; interfectis militibus, reliquos quoq; sagittis incessentes, in fugam uerterunt. Id cùm ægrè tulisset Dercyllides (segniorem enim futuram arbitrabatur oppugnationem) aduenerunt ex urbe à Græcis præcones, qui ea quæ præfectus ageret, illis displicere referrẽt, malleq; se Græcis quàm Barbaris adhærere. Illis adhuc loquentibus, superuenere à præfecto quoque nuncij, qui ipsum iussa facere paratum esse nunciarent. Dercyllides

Dercyllides Aeol. Eolides subigit.

igitur eadem die cùm litasset, sumptis armis, ad portas exercitũ duxit: quibus apertis, in urbem receptus est: ubi relicto præsidio, contra Scepsim & Gergitha mouit. At Midias cùm Pharnabazum expectaret, ciues uerò nõnihil timeret, ad Dercyllidem mittit, ac se in colloquium uenire paratum esse, si obsides sibi darentur, ostendit. At ille ab unaquaq; ciuitate socia, obsidem unum misit, iubens ut quot, & quos ex illis uellet, retineret. Ille decem acceptis, egressus est, ac cum Dercyllide congressus interrogauit, quonam pacto societatem cum illo inire posset. Cui respondit, si ciues liberos, ac sui iuris dimitteret. Hæc dicẽs, simul uersus Scepsim ire cœpit. At Midias cognoscens se prohibere non posse, coactus à ciuibus eum intrare permisit. Ingressus Dercyllides, cùm in Scepseorum arce Palladi sacrificasset, Midiæ præsidium ex urbe eduxit, ac ciuibus urbem tradidit, eosq; hortatus est, ut reipublicæ, quemadmodũ Græcos ac liberos deceret, curam gererẽt. Inde digressus ad Gergitham perrexit, comitatiq; sunt eum honoris gratia, Scepseorum quamplurimi, summoperè ob gesta lætantes. Midias quoq; illum sequutus, rogabat ut Gergithiorum urbem sibi traderet. Cui Dercyllides respondit, nihil quod iustum esset non impetraturum. Hæc cùm dixisset, cum Midia ad portas urbis processit: exercitus uerò pacificè sequebatur. At qui in turribus erant altissimis, uidentes Midiam cum ipso, sagittas continebant. Dercyllides uerò, portas ô Midia, inquit, aperire iube, ut tecum in urbem ingressus, Palladi sacrum faciã. Midias cùm aliquantisper cunctatus esset, timens ne statim cõprehenderetur, aperire iussit. At ille ingressus, cum Midia in arcem ascendit: milites uerò arma circa murum depone-

deponere iußit, ipſeq; cum ſuis Palladi ſacrum fecit. Quo peracto, Midiæ quoq; ſatellites arma ponere iußit in conſpectu ſui exercitus, tanq̃ mercede militaturos. Nam Midiæ nullum iam eſſe periculum. At Midias conſilij inops, & quid ageret penitus ignarus, ait: Ego ô Dercyllides abeo, ut tibi hoſpitium præparem. Cui ille: Non mehercule, inquit: turpe enim eſſet me à te, & non potius te à me hoſpitio accipi: igitur nobiſcum mane. Interim dum illi cœnam præparabunt, ego ac tu quæ iuſta ſunt, inuicem conſiderabimus & faciemus. Cumq; conſediſſent, Dic mihi ô Midia, Dercyllides ait, num pater te principem domus reliquerit. At ille, Maximè, inquit. Et quot tibi domus, quot regiones, quot deniq; prædia fuere? illo uerò de ſingulis rationem reddente, Scepſei qui aderant, dixerunt: Mentitus eſt tibi Dercyllida. At ille, Nolite uos, inquit, multùm loqui. Deinde poſtquàm deſcripta ſunt bona paterna, Dic mihi, inquit, Mania cuius erat? At omnes dixerunt, Pharnabazi. Nónne igitur, inquit, & ea quæ poſſidebat, Pharnabazi fuere? Maximè, illi retulere. Noſtra igitur ſunt, ait, cùm iure belli in noſtram uenere poteſtatem: Pharnabazus enim nobis hoſtis eſt. Sed ducat aliquis eò, inquit, ubi reconditi iacent Maniæ & Pharnabazi theſauri. Ita ad domum Maniæ, à Midia occupatam, ab alijs ductus eſt, quem & ille ſequutus eſt. Eam ingreſſus, Dercyllides conuocatis quæſtoribus, iuſſit miniſtris ut eos comprehenderent, mortemq; comminatus eſt, ſi quid furati eſſent, aut abſconderent. At hi omnia protulerunt: & ille poſtquàm cuncta inſpexit, rurſus incluſit ac ſignauit, cuſtodesq; appoſuit: egreſſusq;, tribunis militum ac præfectis, qui ante fores præſtolaban-

tur, dixit: Stipendium, ô uiri, ferè annuum exercitui octo millium uirorum nobis partum est: & si quid aliud nacti fuerimus, nostrum quoq; erit. Hæc idcirco loquutus est, quòd cognoscebat audiētes multũ alacriores, et ad omnia obeunda pericula prõptiores futuros. Interrogãte autem Midia, Et ubi me Dercyllides habitare oportet? respõdit, ibi ubi æquissimũ: in patria nempe tua Scepsi, et domo paterna. Hæc cùm Dercyllides egisset, ac diebus octo, nouem cepisset urbes, cõsiderare cœpit, ne si ibi hyemaret, grauis quẽadmodũ Thimbron, socijs foret: si uerò regione excederet, ne ciuitates græcæ à Pharnabazi equitatu male afficerentur. Misit itaq; ad illum sciscitatũ, an pacem an bellum mallet. At Pharnabazus, ne Aeolis cõtra Phrygiam muniretur timens, inducias elegit. His actis Dercyllides exercitũ in Bithyniã Thraciæ duxit, ibiq; hyemauit, haud ægrè ferente Pharnabazo: nam sæpius Bithyni suos inuadebant fines, & Dercyllides securè agens ac rapiens Bithyniã, omnib. abundabat necessarijs. Aduenere quoq; à Seuthe & Odrysijs socijs in auxiliũ equites fermè ducenti, pedites uerò trecenti: hi castra circiter stadia uiginti procul à Græcis locauere, ualloq; circundedere, & custodes castrorũ à Dercyllide petiere: ipsi uerò prædatũ exierunt, multisq; mancipijs ac pecunijs captis castra repleuerunt. At Bithyni cũ explorassent quot exirent, et quot in castris relinquerent custodes, multis collectis peditibus ac equitibus, castra orto die aggressi sunt, ac in custodes, qui ducenti circiter erant, cũ impetu ruũt. Cumq; ad manus uentũ esset, illi emissis iaculis & sagittis Græcos ferie bant & interficiebant, nilq; mali ab illis patiebantur, utpote quos tanq; in cauea deprehensos circundederãt. At

illi

illi diripientes munitionem, in illos ferebantur: qui declinato impetu, facile grauis armaturæ milites peltati ipsi eludentes, hinc atq; hinc iaculabãtur, quãplurimosq; singulis cõficiebant excursionibus: tandem tanq̃ in stabulo concluſi omnes miſſilib. confixi ſunt. Euaſerunt tamẽ eorum circiter quindecim ad Græcos, quòd ſimulatq; rem ſenſerunt, diſceſſerunt: & ex prælio, negligentibus Bithynis, dilapſi ſunt. Bithyni uerò celeriter his geſtis, ac Odryſiorum Thracũ cuſtodibus interfectis, cunctisq; abductis captiuis, diſceſſere, ita ut Græci, qui ea re intellecta opem ferebant, nil præter cadauera nuda in caſtris reperirent. Odryſij itaq; patrio more ſuis parentauerũt, ac multo epoto uino, equorũ certamen peregerũt: totam inde cum Græcis percurrẽtes Bithyniã, cuncta ferro ac flamma uaſtabant. Ineunte uere, Dercyllides ex Bithynia mouit, Lampſacumq; applicuit: ubi eum legati, qui domo ad res Aſiaticas conſiderandas miſſi erant, Aracus & Nauates & Antiſthenes cõuenerunt, ac Ephororũ iuſſu mandarunt, ut ſequenti quoq; anno exercitui imperaret: conuocatisq; militibus, delicta priora ſe illis dimittere oſtendebant. Quòd uerò iam neminem iniuria affecerãt, laudabant: ac pariter interminati ſunt, ſi poſthac alicui iniurij forent, minimè id ſe neglecturos: ſin uerò iuſtè ſe erga ſocios gererent, laudaturos pollicebantur. Hæc cùm loquuti eſſent, quidã è militib. procedens, ita reſpondit: Viri Lacedæmonij, nos quidem illi idem ſumus, qui & ſuperiore anno fuimus. Dux uerò nobis alius nũc obtigit, alius olim fuit. Cauſam igitur cur nunc minimè delinquimus, à uobiſipſis intelligere poteſtis. Legati uerò cùm in eodẽ cum Dercyllide tabernaculo agerẽt, cõmemorauit Aracanorũ

quidam se Cheronesitarũ legatos reliquisse domi: eos uerò negare nunc posse se Cherronesum colere, propter infestationes Persarũ: edocuisse tamen, si à mari ad alterum pelagus duceretur murus, optimam ac latißimam includi posse regionẽ, quæ nõ solùm ipsis ad colendum sufficeret, sed alijs quotquot Lacedæmoniorũ uellent. Id uerò haud difficile factu ostenderant, si quispiam Lacedæmoniorum cum exercitu illuc mitteretur. Dercyllides itaq; cùm hæc audiuisset, tacuit, nec mentem tum suam aperuit, sed illos ex Epheso per Græcas dimisit urbes, gaudens quòd Græcos beatè ac in pace degentes aspiceret. Digressis illis, Dercyllides cùm sibi manendũ esse intellexisset, rursus ad Pharnabazum misit sciscitatũ, num inducias, ut hyeme elapsa, an bellum mallet. Cumq; rursus ille inducias elegisset, socijs illius urbib. intactis relictis, cũ exercitu per Hellespontum in Europã transgressus est: inde per Thraciã, quæ socia erat, ducens, à Seuthe hospitio susceptus est: tandem Cherronesum applicuit, quã urbes undecim uel duodecim habere edoctus, regionẽ quoq; fertilißimam ac optimam esse cõspexit, sed uastatam penitus, ut dictum est, à Thracibus. Cumq; Isthmi mensuram septem ac triginta stadiorum reperisset, nõ neglexit, sed sacris ritè peractis, murum inchoauit: quem cum exercitui per partes distribuisset, propositis munerib. qui primi exædificassent, ac cæteris ut quisq; meritus esset, appetẽte autumno absoluit, cùm sub initium ueris orsus esset: undecimq; incluſit ciuitates, portus quamplurimos, multam, uberem, ac cultam terrã, uarijs cõsitam arboribus, amœnißimisq; præditã pascuis. Hæc cùm peregisset, rursus in Asiam transcendit, ac cunctis cõsideratis urbibus, alia rectè se habere depre-

deprehendit: Chiorum uerò exules Atarneum locum occupasse munitum inuenit, ex quo prædabundi discurrentes, Ioniam ferebant ac agebant, raptuq; uiuebant. Et quamuis illos frumento ac omni commeatu abundare intellexisset, tamen obsidione cinxit, octauoq; tandem subegit mense: ubi constituto Dracone Pellineo præfecto, ac cunctis ex sententia dispositis, omnibus refertam necessarijs regionem reliquit, ut sibi aliquando refugium esset: sicq; Ephesum, quæ trium dierum itinere à Sardis abest, regressus est. Et ad hoc usq; tempus in pace egerunt Tissaphernes & Dercyllides, ac horum socij Græci ac Barbari. At cùm Lacedæmonem ex ciuitatib. Græcis legati uenissent, edocuissentq; penes Tissaphernem esse ciuitates Græcas liberas dimittere, & ubi id negasset, si Caria, ubi ipsius regia erat, uastaretur, quam primũ arbitrari, Tissaphernem in eam descensurum sententiam, ut ipsas sui iuris ac liberas relinqueret. Quibus auditis, Ephori confestim ad Dercyllidem mittentes, Cariam uniuerso irrumpere iubent exercitu, Pharacemq; classis præfectum nauib. subsequi mandant. Eodem tempore Pharnabazus ad Tissaphernem iuerat, tum quòd omnium dux pronunciatus erat Tissaphernes, tum quòd testabatur se paratũ esse, ut communi bello ac periculo Græci ex regijs finibus exterminarentur: quamuis Tissapherni tanquam sibi prælato inuideret, ac Aeolide priuatum esse se ægreferret. Quæ cùm Tissaphernes audisset, illum secum in Cariam, ubi de rebus communibus consulere possent, transire iussit. Quò cùm peruenissent, uisum est eis, ea ualido munita præsidio, rursus in Ioniam transire. Dercyllides autem cùm illos rursus Mæandrum transgressos

intellexissẽt, timens si cunctaretur, ne regionem præsidio uacuam discurrentes ferrent ac agerent, ipse quoq; illac exercitum duxit. Cùm igitur hi non instructo exercitu uaderent, quippe Ephesijs in hosticum prægressis, uident repentè hostes è regione speculæ in monumentis. Cumq; in ea quæ apud ipsos erant monumenta cõtrà ascendissent, animaduertunt etiã propugnacula quædam, quà eis iter erat, & Cares clypeis albis, & totum eum Persicũ exercitum qui aderat, Græcũq; quantũ uterq; habebat, et equitatum copiosissimum: & Tissaphernes quidem dextrum, Pharnabazus uerò siniſtrũ ducebat cornu. Dercyllides his animaduersis, tribunis ac centurionib. aciem struere mandat in octenos, & clypeatos quidem utrinq; in alas locare: equites uerò quotquot habebat, in subsidijs esse iussit: ipse uerò sacrificabat. Peloponnenses uerò qui aderant, quietè signũ pugnæ expectabant. At Prienenses & Achillij, ac quicunq; ex insulis & Ioniæ ciuitatib. aduenerant, partim derelictis in frumẽto, quod in Mæandri campo tum altũ erat, armis, aufugerũt: alij quamuis ordines seruarent, tamen nõ mansuros apparebat. Pharnabazus igitur pugnã capessere suadet: at Tissaphernes considerato exercitu Cyrano ut cũ ipsis pugnauisset, & ei Græcos omnes similes esse existimans, certamen detrectauit, et ad Dercyllidem misit, dicẽs, uelle cum eo in colloquiũ uenire. Dercyllides uerò adhibitis suorũ equitũ ac peditũ specie pulcherrimis, obuiã pergit nuncijs, ac illis ait: Ego quidẽ, ut cernitis, ad pugnã instructus sum: cùm uerò ille me ad colloquiũ uocet, minimè detrecto: sed ut fides seruetur, obsides dandi & accipiendi sunt. Id cùm utrinq; placuisset, exercitus diuersi abiere, Barbarorũ Trallis Phrygiæ, Græcorum

corũ Leucophryn, ubi Dianæ erat templũ ſacratiſſimũ, ac ſtagnũ arenoſum pluſquã unius ſtadij magnitudine, aqua perenni, potabili & calida. Poſtridie in locũ conuenere conſtitutũ, & inuicẽ quærere cœperunt, quibus conditionib. pacẽ firmarent. Dercyllides, ſi rex liberas ciuitates Græcas relinqueret: Tiſſaphernes uerò & Pharnabazus, ſi exercitus ex regijs educeretur finibus, ac Lacedæmoniorũ præfecti ex ciuitatib. abirent, pacẽ offerebant. Cùm hæc inuicem dixiſſent ac audiuiſſent, inducias pacti ſunt, quouſq; Dercyllides Lacedæmonijs, Tiſſaphernes uerò regi, pacis nunciarent cõditiones. Cùm hæc à Dercyllide in Aſia gererentur, Lacedæmonij iampridẽ Eleis infenſi erãt, quòd cũ Athenienſibus, Argiuis & Mantineis ſocietatẽ contraxerãt, & quòd Lacedæmoniorũ cauſam damnatã eſſe dicentes, eos ab equeſtri & gymnico prohibuerãt certamine: ac his nõ contenti, cũ Lichas curru uiciſſet, Thebanos uictores declarauerãt: qui cùm uictores pronũciarẽtur, cũ ingreſſus Lichas aurigã coronare uellet, eum flagris cædentes, hominẽ ſenem eiecerũt. Accedebat, quòd cũ Agis oraculo quodã Ioui ſacrificare iuſſus eſſet, ab Elienſib. belli finẽ ſcrutari prohibitus eſt: uetuſta lege inhibitũ eſſe aſſerentibus, ne Græci cõtra Græcos bellantes, ſortes quærerent: ita ille ſacrificio nõ peracto, diſcedere coactus eſt. His omnib. ex cauſis Senatus ac Ephori irati, Elienſes corrigere conabãtur. Legatos igitur Elim miſerũt, qui dicerent, magiſtratus Lacedæmoniorum iuſtum eſſe cenſere, ut adiacentes ciuitates liberas dimitterent. Quibus illi reſpõderunt, minimè ſe id facturos, cũ urbes illas belli iure ſubactas poſſiderent. Itaq; præſidiũ cõmittendũ decreuerũt Ephori. Atq; Agis ducens exercitũ

Lacedæmonijs bellum cum Elienſibus.

per Achaiam, iuxta Lariſſam in Eleorum irrupit fines. Cumq; modò exercitus in hoſticũ ueniſſet, & regio uaſtaretur, terræmotus factus eſt: quo prodigio tanq̃ diuino Agis territus, exercitũ ex hoſtium finib. reduxit. Elei ob id animo elati, legatos ad omnes circùm miſere ciuitates, quas Lacedæmonijs infenſos norãt. Reuoluto anno, Agis ex Ephorũ ſententia rurſus exercitũ duxit aduerſus Elidem: ac cum eo militarũt, præter Bœotios et Corinthios, ſocij omnes: Athenienſes quoq;. Cum his igitur per Aulonem ingreſſus, ſtatim Lepreates ab Elijs deficientes deditione cepit. Hos ſequuti ſunt Maciſtij & Petalij: cumq; flumẽ tranſgreſſus eſſet, Leprini, Amphidoli, & Marganes in fidem uenere. Inde Olympiã progreſſus nemine prohibente, Ioui Olympio ſacrũ fecit: ac per totã prouinciã populabũdus, cũcta ferro ac igni deuaſtans, graſſari cœpit: infinita quoq; abegit iumẽta, quãplurimaq; cepit mancipia. Quibus auditis, plurimi Arcades et Achæi uolũtarij illũ, ut rapinæ participes fierẽt, ſequuti ſunt, adeò ut expeditiõe illa totũ cõmeatu repleret Peloponeſum. Cumq; urbi propinquaſſet, ſuburbana, ac gymnaſia ſumptuoſo extructa opere, uaſtauit: urbẽ uerò cùm muro careret, noluiſſe potius capere q̃ nequiuiſſe, arbitrãtur. Cùm igitur undiq; per prouinciã uaſtitas fieret, exercitusq; circa Cyllenen eſſet, uolentes Xeniani, quòd modio à patre metiri dicebatur argentũ, id per ſe Lacedæmonijs accedere, elapſi domo gladios habentes, ac cæde per urbem graſſantes, quãplurimos, inter quos ſimilem quendã Thraſydæo, qui populo præerat, interfecerũt, arbitrãtes Thraſydæũ occidiſſe. Populus itaq; territus quieſcebat. At ſeditioſi omnia ſibi iam peracta exiſtimabant, & qui cũ eis ſentiebant, ar-

ma

ma in forũ efferebant. Verùm Thrasydæus domi dormiebat, nam uino se ingurgitauerat. Id cũ populus resciuisset, ut examen apũ Thrasydæi domũ circũsedit. Thrasydæus igitur populi auxilio seditiosos aggressus superauit: qui expulsi ad Lacedæmonios se cõtulerunt. Agis interea cũ exercitũ reducere decreuisset, Alpheũ trãsgressus, in Epitalio iuxta Alpheũ præsidiũ cõstituit, cui Lysippũ præfectum cũ Eliensib. præesse iußit exulibus: ipse dissoluto exercitu domũ abijt. Aestate uerò reliqua ac hyeme Eleorum fines à Lysippo et præsidio assiduè ferro ac flamma uastabãtur. Ineũte uere Thrasydæus pro pace impetranda Lacedæmonẽ mittit, paratum se esse dicens muros subruere: præterea Cyllenen, & oppida Triphyllidas, Phrixan, Epitalion, Leprinã, Amphidolos & Marganes libera dimittere, & ultra illa Acrorios, & quæ ab Arcadib. Lasion appellatur. Epiũ uerò, & adiacẽtes urbes Eræas & Macipũ, Elij ipsis relinqui orabant: nam eam regionẽ uniuersam triginta argẽti talẽtis ab antiquis possessorib. emisse, pecuniãq; numerasse ostendebãt. Lacedæmonij cũ arbitrarentur nõ minus iniustum esse, ui emere, q̃ ui impotentiorib. quid extorquere, eam quoq; illos regionem dimittere coẽgerũt. Iouis uerò Olympij tẽplo, quãuis antiquitus Elienſium minimè fuisset, eos præesse haud prohibuerũt: existimãtes Choritas, qui illud sibi uendicare nitebãtur, minimè idoneos esse qui id obtinerẽt. His cõditionibus pax ac societas inter Lacedæmonios & Elienses sancita, bellũq; solutũ est. Post hæc Agis Delphos profectus est, ac decimam deo obtulit. Inde cùm discessisset, morbo (iam enim senex erat) in Heræa correptus, uiuus tamẽ Lacedæmonẽ delatus est, ubi paulò pòst uita excessit, augu-

stiorq; illi q̃ humana contigit sepultura. Cumq; iuxta consuetudinem dies aduent assent, quibus regem eligere oportebat, Leotychides, qui se Agidis filium ferebat, & Agesilaus frater, ambo ad regnũ aspirare cœperũt: cumq; Leotychides dixisset, lex ô Agesilaë nõ fratrẽ regis, sed filium regnare iubet: at si uirilis sexus liberi minimè supersunt, tunc demũ ad fratrem regnũ deuoluitur. Respõdit ille: Igitur me regnare oportet. Et quo pacto, inquit Leotychides, cùm regis supersim filius? Quoniã, ait, quem patrem appellas, aliquando te suũ esse negauit natũ. Quinetiam quæ id multò melius scit q̃ ille, mater idem nũc quoq; ait. Ac præterq̃ quòd te adulterinũ esse indicauit terræmotus, qui tuũ patrem apertè abegit ex genitali lecto, idem cũ eo testatũ est etiã tempus, quod dicitur esse uerisimũ, cùm decimo tandem post ultimũ Agidis cum matre congressum, natus sis mense. Et illi his inter se contendebant. Diopithes uerò uates egregius, Leotychidi astipulabatur, dicens, Apollinis esse oraculum, ut regnũ à claudicatione seruaretur. Cui Lysander pro Agesilao cõtradixit: deum nõ iubere asserens, cauendum esse à casu claudicantis, sed potius, ne quis alienus à regia stirpe imperaret: omnino enim regnum claudum fore, si quis Hercule nõ progenitus regnũ teneret. Hæc cùm utrinq; audita essent, Agesilaus rex creatus est. Cumq; nondum annum regnasset, ac hostiã pro repub. sacrificaret, uates inquit, deos sibi ostendere potentisimũ quendã illi insidias struere. Cumq; rursus sacrificium obtulisset, hostiam maiores portendere insidias ait. Tertiò uerò cùm iterum sacrũ fecisset, dixit: O Agesilaë, dij nos in medijs uersari ostendunt hostibus. Inde pro malis arcendis, ac salute sacrificantes, cùm uix

tandem

tandem litassent, discessere. Quinta postea die, insidiæ & illarum machinator Cinadon, à quodã ad Ephoros delatæ sunt. Erat ille ætate iuuenis, ac super omnes æquales, robustus & audax. Quærentib. igitur Ephoris rei seriẽ, ait index, se à Cinadone per forũ deductum esse, iussumq; cõsiderare, quotnã Spartani in foro essent: et ego, inquit, numeraui regem & Ephoros, senes, ac alios, ad quadraginta. Cumq; quæsiuissem, cur me illos numerare iussisset: respondit, Hos tibi inimicos esse uelim existimes, reliquos omnes socios. Insuper cũctos, præter solũ præfectũ, in Spartanorũ finib. amicos putes. Ephori cùm quæsiuissent, quotnã huius rei conscij essent: dicebat, quod ad hoc attinet, illum dicere, ipsis autorib. nõ admodũ multos esse cõscios, sed fide dignos. Verùm ipsi se dicebant omnib. esse cõscios, & clientib. & libertinis & incolis & finitimis. Cùm enim in his fiat Spartanorũ mentio, nihil celari posse quin eos crudos deuorare uelle uideantur. Rursus Ephoris quærentibus, unde arma sumere cõstituissent: respondit, Cùm inter nos cõgregati essemus, ac de armis cogitaremus, ille ostendit præstò esse enses uarios, gladios multos, uim magnã hastarũ, bipenniũ, dolabrũ ac falciũ, instrumenta scilicet quibus homines terram colerent, ligna ac lapides inciderent: reliquas quoq; artes omnifaria suppeditaturas arma, præcipuè contra inermes. Iterum Ephoris quærentibus, quonam tempore facinus perpetrare cõstituissent: respõdit, sibi nũciatum esse, ut in urbe maneret. Ephoris uera ille dicere uisus est: quapropter haud paruo perculsi sunt timore, ac neq; cõcilium, quod paruum appellant, cõuocarunt, sed undiq; seniorib. cõgregatis, tandem decreuerunt, Cinadonem cum quibusdam iu-

nioribus Aulonem mittere, ut Aulonitas quosdam cũ hilotis in scytala descriptis cõprehenderet, ac Lacedæmonem duceret: inter quos mulierem quandam pulcherrimã adducere iubebant, quæ Lacedæmonios eô uenientes seniores ac iuniores corrũpere ferebatur. Cinadon in his Ephoris obedire solitus, scytalã, in qua erãt descripti quos cõprehẽdere debebat, accepit. Cũq; interrogasset, quosnã ex iuniorib. secum duceret: illi responderunt, ut seniorem ex Hippagretis adiret, ac sex uel septem qui fortè adessent, sibi attribuere iuberet: clàm uerò cõposuerant, Hippagretus nosceret, qui secũ mittendi forent: missi uerò non ignorarent, Cinadonem cõprehendere se debere. Currus quoq; tres illi missuros se dixerunt, ne captiui pedibus iter facere cogerentur: dissimulãtes q̃ poterant maximè, se illum ad unum mittere. In urbe uerò ideo eum non cõprehenderunt, quòd ignorabant quãta esset magnitudo rei. Voluerunt igitur anteq̃ facinus detegeretur audire ex Cinadone, quinã conscij essent, ne re detecta fontes aufugerent. Dederunt itaq; his qui eum capere debebant in mandatis, ut illo detento, eum nomina consciorum ædere cogerent, eaq; celerrimè ad Ephoros mitterent: tantiq; momenti rem esse Ephori ducebant, ut turmã quoq; equitũ Aulonam ire iuberent. Quamprimũ igitur nomina eorum, quos Cinadon prodiderat, allata sunt, uatem Tisamenũ & alios nocentes cõprehendere iusserũt. Cumq; Cinadon omnia quemadmodũ se haberent confessus esset, nomina quoq; cõsciorũ dixisset, interrogatus cur facinus tantum molitus esset: uoluisse se, respõdit, nulli Lacedæmone secundum esse: quapropter ipse ac gregales eius manibus post tergũ reuinctis per urbem undiq; circũducti, ac flagris cæsi

gris cæsi sunt, tandemq; duplices facinoris dedere pœnas. Eodem tempore Herodes quidã Syracusanus cũ in Phœnicia negociaretur, uidisset q; naues Phœnissas & alias undiq; contrahi, nouas quoq; ibi repleri, & alias adhuc instrui, audiuisset q; classem trecentorũ nauium numerũ expleturam, statim conscenso nauigio in Græciam proficiscitur, Lacedæmonijsq; regis ac Tissaphernis in contrahenda classe apparatum nunciat: cæterum quid molirentur, se ignorare dicebat. Lacedæmonij rem minimè cõtemnendam arbitrantes, socios conuocant, cũ quibus quid agendũ fòret cõsultabant. Lysander cùm existimaret Græcos re nauali excellere, quẽadmodumq; milites qui cũ Cyro ascenderãt salui redijssent perpenderet, Agesilao persuadet, ut sibi triginta Spartanorũ dari peteret, duo millia iuniorum, ac sex sociorum, expeditionemq; in Asiam sumeret: se quoq; cum illo iturum offert, ut statum in ciuitatibus ab eo institutum, et qui per Ephoros solutus erat, rursus cum Agesilao introduceret. Agesilaus accepto à Lacedæmonijs exercitu, ac semestri frumento, reliquis quoque præparatis necessarijs, sacrificium pro itu fecit: cumq; & de alijs quibus opus erat, & de transitu sacrificassset, socijs urbibus militum imperat numerum: conueniendi ostendit tempus, & locum: ipse Aulidem profectus est, ut ibi, sicut Agamemnon cũ Troiam nauigaturus esset, sacrificaret. At Bœotharchi cùm ipsum sacrificare audissent, missis equitibus, eum à sacrificio prohibuerũt, hostias q; ab ara deturbarũt. At ille deos testes inuocans, iratus conscensa naue discessit, ac Gerastum nauigauit: ubi uniuerso collecto exercitu, cum classe Ephesum contendit. Quò cùm uenisset, illicò ad eum Tissaphernes quæsi-

tum mittit, quam ob causam appulisset. Cui Agesilaus respõdit, ut Asiaticas, quemadmodũ & Græcas, ciuitates in libertatem uendicaret. Petijt Tissaphernes ut Agesilaus tantisper à rebus gerẽdis abstineret, quoad ipse in Persas ad regem mitteret, promittens omnia illi ex sententia confecturum: fidei tamen causa, & ut absq; dolo cuncta agerentur, inducię q; seruarentur, iuramentum exegit. Iurauere igitur utrinq;, Tissapherues Euripidi, Dercyllidi & Megalio, ad hoc missis, absq; dolo malo pacem cõponere uelle. Illi uerò pro Agesilao iuramentũ Tissapherni præstiterunt, si ea faceret, ratas inducias habituros. At Tissaphernes omnia quæ iurauerat statim ementitus est. Nam cùm pacis autorem se obtulisset, ingentẽ à rege exercitũ, præter copias quas antea secum habebat, accersit. Agesilaus etsi ea nõ ignoraret, tamen mansit in inducijs. Interea dum quietem agens moratur Ephesi Agesilaus, operam dans ordinandis ciuitatibus, quæ nec populari statu, quemadmodum sub Athenienſibus: nec decarchia, ut sub Lacedæmonijs, iam regebantur, cùm Lysander omnibus notus esset, si quid ab aliquo petebatur, illum accedentes rogabant, ut apud Agesilaum intercederet: quapropter eam ob rem ingẽs turba semper Lysandrum sectabatur, uadentem ita, ut Agesilaus iam in ordinem redactus, Lysander uerò rex esse uideretur. Ea sibi quoq; dolere Agesilaus ostendit postea. Cæterũ alij triginta inuidia stimulati, minimè taciti rem ferebãt, sed quotidie Agesilaum instigabant, ostendentes Lysandrum iam regem agere. Agesilaus igitur omnes, quibus Lysandrum fauere intelligebat, infectis remittebat negocijs, ita ut semper cõtrariũ q̃ Lysander desideraret, eueniret. Ille re intellecta, turbam se am-

se amplius sectari prohibuit: et si quis eum eius opera uti uolens adiret, manifestè ostendebat, suum amicis studium obesse: ægrè tamen eam ferebat ignominiã, illumq; adiẽs inquit: Minores ô Agesilaë amicos reddere nosti. Profectò, ille ait, si me maiores uideri uelint: eos uerò qui res meas amplificant, si honore nõ afficerem, puderet. At Lysander: Forsitan rectius tu nunc, inquit, agis, q̃ ego tum fãcere cõsueueram. Cæterùm dehinc, oro, ne quia nihil possim apud te, me pudeat, tibi uerò impedimẽto sim, aliquò me ableges: ubicunq; enim fuero, strenuam tibi operam nauare conabor. Hæc cùm dixisset, haud absurdum petere uisus est. Ab Agesilao itaque in Hellespontum missus est, ubi cõperto Spithridate Persa nonnihil à Pharnabazo fraudari, eum cũ liberis, pecunijs, & equitib. circiter ducentis, ad desciscẽdum induxit: quibus omnib. in Chio derelictis, ipsum cum filio ad Agesilaum perduxit, qui et facto lætatus, & cõtinuò de Pharnabazi regione ac imperio percontatus est. Tissaphernes recepto à rege exercitu elatior factus, Agesilao bellum, ni Asia excederet, indixit: quapropter cuncti Lacedæmoniorum socij maxima affecti sunt tristitia: timebant etenim ne Agesilaus ob copiarum paucitatem, regijs uirib. resistere non posset. At Agesilaus admodum hilari fronte caduceatorẽ Tissaphernis renunciare iubet, ei non paruam se habere gratiam, quòd periurio suo deos sibi infensos, Græcis uerò propitios reddidisset. Militib. itaq; extemplò ad expeditionem se instruant,, præcipit: urbes uerò quas in Cariam ducenti adire necesse erat, cõmeatum cõparare iubet: ad Iones, Aeolides, & Hellespontios scribit, ut auxilia ad se Ephesum mittant. Tissaphernes, quia Agesilaus equitib. care-

bat, Caria uerò equitatui permeabilis non sit, tum quia illum propter fraudem sibi iratũ esse censebat, ratus eum in Cariã, ubi regia sua erat, impetum facturum, omnes pedestres copias eò transmisit. Equites autem ad Mæandri campum circũduxit, sperans se posse Græcos prius equitatu obterere, q̃ ad loca equis inuia peruenissent. Sed Agesilaus in contrariũ pro Caria in Phrygiam irrupit, urbesq; in itinere sitas subigebat, ac inexpectatus regionem inuadens, quãplurimas cepit pecunias: toto inde tempore securè exercitũ circunduxit. Cùm uerò non longè à Dascyllio abesset, equites qui illum speculatum præcesserant, tumulum quendam, ut inde cuncta speculari possent, petunt. Forte fortuna pari numero equitũ ala cum Rhatine & Banzeo Pharnabazi fratre notho, eundem petebant collem: cumq; uix per quatuor distarent iugera, utrinq; in cõspectum uenere. Græci in morem phalangis in ordinem rediere in quaternos. At Barbari positis in prima fronte non plus q̃ duodecim, in profundũ autem multis, in hostes impetũ faciunt: cumq; ad manus uentũ esset, quicũq; ex Græcis hostes feriebãt, hastas obtriuerũt: at Persæ, quibus cornea erãt iacula, celeriter equites duodecim, equos uerò cõfecere duos, Græcosq; in fugã uertunt. Quibus cũ Agesilaus armatura graui opem tulisset, Barbari uno ex suis desiderato, retrocessere. Postridie cũ Agesilaus an procedendum esset, sacrificaret, caruerunt uictimæ fibra: quapropter cõuersus, mare uersus exercitum ducere cœpit. Cùm uerò propter equitũ paucitatem per loca campestria bellum gerere posse diffideret, sibi quoq; equites cõparandos esse duxit, ne fugiens bellare cogeretur. Locupletiorib. igitur ex ciuitatibus uniuersis, ut equos alerent,

Agesilaus in Phrygiam contra Pharnabazum irrumpit.

rent, imperauit: quicũq; tamen equum, arma, & uirũ peritum præbuisset, huic à militia uacare licere, edicto præfatus est. Nec secus singulos ad hoc promptè faciendũ induxit, ac si quis pro se alterũ morituru libenti quæreret animo. Postquã autem uer appetebat, uniuersum Ephesum coëgit exercitum: quem cùm exerceri uellet, peditibus, si quis egregio corporis robore præstaret, equitibus uerò, si quis optimè equitaret, præmia præposuit: pariter & clypeatis ac sagittarijs munera constituit, qui se ad debita opera maximè idoneos demonstrassent. Itaq; cernere erat gymnasia, uiris se exercentib. plena: & equorum studia, equitãdi studio decertantib. referta: iaculatores uerò & sagittarios undiq; bellica meditãtes opera. Totam deniq; urbem spectaculo dignã reddidit: nam et fórum armis omnifarijs ac equis uenalibus refertum erat. Aerarij quoq; fabri, ferrarij, coriarij, pictores, omnes bellica fabricabant instrumenta, ita ut urbs illa rectè belli officina uocari posset. Illud quoq; ad bene sperandũ incitabat: nam Agesilaum, deinde reliquos milites à gymnasijs reuertentes, intueri erat, coronas quibus coronati fuerant, Dianæ offerentes. Vbi enim homines deos colunt, bellicaq; exercent opera, principib. obtemperare student, nónne ibi omnia spe bona referta esse consentaneũ est? Ratus præterea ex hostiũ contemptu robur quoddã & fiduciã militibus ingenerari posse, per præcones palàm edixit, ut Barbari à prædonib. capti, nudi uenderentur. Idcirco milites illos candidos, ut qui nunq; exuerentur, molles quoq;, & ad laborem minimè idoneos, quia semper curribus uehe rentur, intuentes, nihilo secius bello terrebãtur, ac si cum mulieribus pugnandũ foret. Eodem tempore annus, quo

Ageſilaus in Aſiam uenerat, exijt: quapropter cõſiliarij triginta cum Lyſandro domum reuerſi ſunt. Succeſſores uerò illorum cum Erippida aduentarunt: ex quibus Xenoclem equitibus, Scythen uerò tyronibus, Erippidem autem Cyranis præfecit militibus: Migdonem uerò auxiliaribus præeſſe iuſſit copijs. Militibus quoq; pollicitus eſt, ſtatim eos breuiſſima uia ad optimam regionem eductu rum: corpora proinde ac animum ad futurum pararent certamen. Tiſſaphernes hæc illum, ut rurſus ab eo decipe retur, dicere exiſtimans, & uerè nunc in Cariam irruptu rum, copias pedeſtres, ut prius, omnes in Cariam mittit, equitatum in Mæandri campo conſiſtere iubet. Sed Ageſilaus nihil ementitus, ſicuti prædixerat, confeſtim Sardianam regionem ingreſſus eſt, triduumq; per deſerta hoſtiũ incedens, cuncta exercitui habuit neceſſaria. Quarta luce hoſtium apparuere equites. Et Ageſilaus impedimentorum præfectum Pactolum fluuium traijcere, ac caſtrametari iuſſit. Illi uerò cùm Græcorum pedites aliquot diſperſos, ac rapinæ intentos cernerent, illos aggreſſi, multos eorum trucidarunt. Quod cùm Ageſilaus intelligeret, equites illis opem ferre iubet. Perſæ auxilium conſpicati, ſe in unum colligunt, & uniuerſas equitum turmas cõtrà explicant. Ageſilaus cùm peditatum hoſtib. nondum adeſſe cerneret, ſibi uerò nihil deeſſe eorum quæ parata erant, pugna ſi poſſet decernere conſtituit. Facta igitur re diuina, confeſtim in equites ex aduerſo collocatos phalangem ducere pergit, ac puberes ex equitatu ſecum concurrere, clypeatos quoq; itidem iubet. Equitib. uerò ita impreſſionem facere mandat, ut obiter ſcirent, ſe cum uniuerſo ſubſequuturum exercitu. Perſæ itaq; equitum excepere impetum:

petum: sed cùm omnia illis aduersa esse contingeret, acies illorum inclinare cœpit: eorum aliqui statim in flumine ceciderunt, reliqui funduntur, fugantur q; : quos Græci insequentes, castris quoq; exuerunt. Peltati, ut par erat, ad prædam discurrunt. Agesilaus amica pariter & hostilia omnia in suam redegit potestatem. Ingens quoq; præda parta est: pecuniæ enim signatæ plus q̃ septuagintareperta sunt talenta. Magna quoq; camelorum tunc capta est uis, quos Agesilaus in Græciam secum duxit. Tissaphernes cùm pugnatũ est, Sardis erat: quapropter à Persis de proditione insimulatus est. Igitur Persarum rex cũ Tissaphernem omniũ malorum causam esse cognouisset, Tithraustẽ misit, qui eius detrũcaret caput: & Tithraustes re peracta legatos ad Agesilaum nunciatum mittit, Tissaphernem causam utriq; omniũ malorum meritas luisse pœnas. Regem uerò æquum censere, illum domum nauigare: Asiaticas uerò ciuitates ueterem ei soluentes tributum liberas esse. Quibus Agesilaus respõdit, se id absq; consensu domesticorũ magistratuum non facturum. Cui Persa: Tu interim, inquit, quoad ciuitatis mãdata audias, in Pharnabazũ exercitũ duc, quandoquidem ego de inimico tuo pœnas sumpsi. Agesilaus se id facturũ recipit, si exercitui donec illuc perueniret, cõmeatum præberet. Tithraustes igitur triginta persoluit talenta: quibus ille receptis, in Phrygiã contra Pharnabazum mouit. Cumq; iam in campis Phrygiæ castra locasset, uenere à patria legati, qui illum classi quoq; præesse iusserunt, liberamq; ducem classis constituendi dedere potestatem. Id ea ratione fecere Lacedæmonij, ut cùm & copijs terrestribus & maritimis præesset, milites inter se fidentes multò redderen-

Agesilaus uincit Persas in regione Sardiana.

Tissaphernis mors.

tur alacriores, & ad omnia pericula obeunda promptiores. His Ageſilaus auditis, inſulanis & maritimis imperat ciuitatibus, ut naues quot quæq; uellet facerent: & fuerunt uacuæ naues, tum quas ciuitates promiſerũt, tum quas homines priuati, uolentes gratificari, fecerunt, centum uiginti. Ille uxoris fratrem Piſandrum claſsi præficit, uirum gloriæ quidem cupidum, & magnanimũ, maritimæ tamẽ rei minus expertũ. Et Piſander ad claſſem profectus eſt, ipſe ut cœperat in Phrygiam ducere pergit. Tithrauſtes cũ didiciſſet Ageſilaum res contemnere regias, nec ullo pacto Aſia cedere cogitantem, ſed indies ſpe & audacia creſcere, quid ageret penitus dubius erat: tãdem in Græciam Timocratẽ mittit Rhodiũ, quem, datis quingentis auri talentis, iubet ciuitatũ corrũpere principes, acceptis maximis fidei pignoribus, ea conditione ut bellum Lacedæmonijs inferrent. Ille ut mandatũ erat, Thebis Androclidem, Iſmeniam & Galaxidorum, Corinthi uerò Timolaum et Polyanthen, Argis quoq; Cyclonitem & ſocios auro demulſit. Athenienſes quamuis auri huius nihil ad eos deueniſſet, ſua tamen ſponte ad bellum inclinati erant, ſperantes hoc pacto in priſtinam libertatem reſtitui poſſe. Qui igitur pecunia capti ſunt, Lacedæmonios in urbibus ſuis criminari cœperunt: cumq; earum ſtudia ab eis alienaſſent, cõmiſerunt etiam maximas urbes ipſas ſecum. Thebanorum autem principes cùm Lacedæmonios fœdera ſociorum minimè ſoluturos cognoſcerent, niſi antea bellum inchoatum eſſet, Locros Opuntios ſubornant, ut Phocenſibus & ſocijs circa dubiam regionem negocium inijcerent, rati fore ut Phocenſes confeſtim in Locridem irrumperent: nec eos opinio fefellit. Phocenſes ad primos

Principes Græciæ pecunia corrupti ut Lacedæmonijs bellum inferant.

primos Locrensium motus illorum fines ingressi, multò maiora quàm acceperant, intulerunt damna. Eam occasionem Androclides amplexus, facilè Thebanos perpulit, ut Locrẽsib. opem ferrẽt, perinde ac si nõ in regionem dubiam, sed sociam & confœderatam irruissent Locridem. Thebani itaq; comparato exercitu Phocidem inuadunt, lateq; terram hostiliter populantur. Phocenses confestim Lacedæmonem de Thebanorum iniuria questum mittunt, auxiliumq; implorant, ostendentes belli initium à se ortum non esse, sed ut uim repellerent, contra Locrenses mouisse. Lacedæmonij haud inuiti hanc contra Thebanos bellandi occasionem amplexi sunt: quibus iampridem ob decimæ Apollinis in Decelea occupationem, & quòd contra Piræum militare noluissent, infensi erant. Incusabant quoq;, eos tanquam Corinthijs ut militiam detrecta rent, persuasissent. In memoriam præterea reducebant, quòd Agesilaum in Aulide sacrificare prohibuissent, insuper sacra ab ara dispersissent, quodq; illum in Asiam sequuti non essent: quapropter tempus uindicandarum adueniisse arbitrabantur iniuriarum. Faciebant insuper animos Agesilai in Asia successus, & quòd in Græcia nullo alio per id tempus implicati essent bello. Ciuitas igitur Lacedæmoniorum cùm ita decreuisset, Ephori Lysandrum in Phocidem, ut socijs præsidio esset, mittunt, Phocenses q;, Oetheos, Heracleotas, Melieos, & Aenianos circa Haliartum copias contrahere iubent: illuc enim ad diem præscriptum Pausanias cum Lacedæmonijs & socijs Peloponnensibus uenturus erat. Et Lysander & alia mandata exequutus est, & insuper Orchomenijs ut à Thebanis deficerent, persuasit. Pausanias uerò re facta,

Lacedæmonijs dol lum cum Theba nis ob simultates Locrensium cum Phocensib.

diuina, de transitu Tegeæ, quò milites ac socios conuenire iusserat, desedit. Thebani ubi ad arma rem spectare uident, & Lacedæmonios ad fines eorum irrumpendum se accingere cognoscunt, legatos Athenas mittunt: qui in cõcionem producti, ita uerba fecere: Quòd nos, ô Athenienses, incusatis, tanquam in belli solutione nimis dirè in uos inuecti fuerimus, haud rectè incusatis: quandoquidem ciuitas uniuersa nil asperum decreuit: sed uir unicus, quem inter socios tunc adesse contigit, eorum quæ in uos acerbiora dicta sunt, autor fuit. Cæterùm cùm Lacedæmonij nos contra Piræum in auxilium uocassent, uniuersa tunc ciuitas decreuit, illis obediendum non esse. Cùm igitur Lacedæmoniacæ indignationis causa nõ ultima sitis, æquum esse arbitramur, debere uos quoq; dubijs in rebus auxilium nobis non denegare. Præterea multò magis uos ad bellum inclinatum iri existimamus, si diligenter perpenderitis, quid uobis uestra in urbe contigerit. Illi enim tyrannide in urbe constituta, inde contra populum tanquã socij ui magna aduentantes, uos obiecere multitudini, ut quantum in ipsis erat, uos perditum irent: quamuis populi beneuolentia periculum euaseritis. Scimus præterea, ô uiri Athenienses, omnes uos summo niti studio, ut pristinam recuperare dignitatem ualeatis. Id uerò quo pacto magis opportunè fieri poterit, quàm si ijs qui à Lacedæmonijs afficiũtur iniuria, opem nõ denegetis? Quòd uerò multis illi imperãt, minimè uos deterreat, sed potius fiduciam præbeat: siquidem reminiscamini, maximis uos obnoxios fuisse inimicitijs, cùm multorũ possideretis principatum: quamuis odium illud, cùm nemo esset ad quem subditi deficerent, uos latêret: ubi uerò Lacedæmonij, duces se

ces se præbuerunt, quàm infensi uobis essent, demonstrarunt. Itidem nunc, si inter nos fœdera contra Lacedæmonios inita fuerint, multos qui illos oderunt, ad apertam defectionem spectare uidebitis. Si bene considerabitis, per uosmetipsos nos uera loqui intelligere poteritis. Siquidem quosnam ipsis beneuolos existimare poteritis? Nunquid Argiuos, qui semper ipsis infensi extitere? At Eleos, quibus & agros & ciuitates ademerunt, amicos illis esse arbitramini? De Corinthijs uerò, Arcadibus & Achæis quid dicamus? Hi enim in bello contra uos gesto, magnis pollicitationibus in partem laborum, periculorũ ac expensarum acciti, quibusnam à Lacedæmonijs, re ex sententia gesta, principatibus, honoribus aut præmijs donati sunt? Quid, quòd seruitia digna quæ præsint, ducunt: socios uerò liberos, cũ res prospere cesserit, seruos redigũt? Iam uerò et omnes qui à uobis defecere, manifesto decepere dolo: nam pro libertate, duplicem illis imposuere seruitutem: à præfectis enim graui premuntur tyrannide: à decemuiris uerò, quos Lysander in singulis constituit urbibus, turpi subijciuntur seruituti. Persarum quoq; rex, qui affatim illis ad uos subigendum tribuit stipendium, nonne idem nunc patitur, quod pateretur si unà uobiscum contra illos bellum gessisset? Itaq; omnino par est uos in maiorem q̃ unquam fueritis efferri potentiam posse, si manifesta iniuria oppressis, uos duces præstiteritis: etenim cùm antea imperiũ teneretis, rebus maritimis tantũ uos præesse contigit: nunc uerò omniũ nostrorũ, & Peloponnensium, & quibus antea dominari cõsueuistis, regis insuper potentißimi, duces cõstituemini. Et nos quidem illis magni momenti socij fuimus, ut uos scitis. Verùm nunc

multò excellentiores bellicis in rebus nos futuros credendum est, quàm cùm Lacedæmonios sequebamur: siquidem non insulanis, aut Syracusanis, siue cuipiam alteri, ut tunc, sed nobisipsis maximis affectis iniurijs succurremus. Hoc quoque considerare oportet, multò facilius Lacedæmoniorum euerti posse dominationem: quàm uos, cùm rebus præfueritis, principatu spoliare: quum enim re maritima præcelleretis, etiam inuitis dominari potuistis. At Lacedæmonij quum pauci sint, multò pluribus & haud deterius armatis imperant. Et hæc quidem dicimus nos. Cæterùm nolumus uos ignorare, ad commoda multò maiora uestram ciuitatem, quàm patriam propriam, nos inuitare. Hæc cùm legati dixissent, tacuerunt. Athenienses his auditis, Thebanis auxilium ferre decreuerunt. Thrasybulus uerò pronunciato decreto, etiam illud ostendit: quamuis Piræum esset sine muro, tamen conaturos uel cum periculo, maiorem illis referre gratiam, quàm accepissent. Vos enim, inquit, non unà cum illis militastis contra nos: nos uerò uobiscum pugnabimus contra illos, si uos adorti fuerint. Ita Thebani discedentes, se tanquam Lacedæmoniorum hostes, Athenienses uerò ut socij, ad futurum parabant certamen. Nec Lacedæmonij ultra differendum rati, sed rex Pausanias Bœotiam ingressus, ex toto Peloponneso, præterquàm ex Corintho, copias secum trahebat. Lysander uerò ex Phocide profectus, per Orchomeniorum fines exercitum duxit, Pausaniámque præuertit, & ante eum ad Haliartum peruenit. Quò cùm ueniisset, haud expectato Lacedæmoniorum exercitu, cum suis ad muros usque Haliarti processit, illisq; ut à Thebanis deficerent, ac se

ac se in libertatem uendicarent, suadere cœpit. Id quum Thebani quidam, qui in muris stabant, prohibuissent, in muros impetum facit. Id quum Thebani audissent, confestim equitibus uniuersis ac peditibus suppetias ferunt. Vtrum uerò latentes Lysandrum inuaserint, an ille sciens obuiam profectus ceciderit, incertum est. Hoc uerò manifestè constat, prælium iuxta muros commissum, ac trophæum ante Haliartiorum portas erectum esse. Mortuo Lysandro, reliqui in montes fugerunt, quos Thebani acriter persequuti sunt. Cùm uerò ad aspera peruentum esset loca, conuersi Lacedæmonij illos excepe-runt, sagittisq; ac iaculis confestim priores confecere: reliquos lapidibus aggressi, per decliuia præcipites egere, ac in fugam uerterunt, ex quibus ducenti fermè mortem oppetiere. Ea igitur die minimè lætitia Thebani elati sunt, arbitrantes haud minora se perpessos esse mala quàm intulissent. Postridie cùm Phocenses, ac reliquos socios domum noctu remeasse intellexissent, maiores sumpserunt animos. Rursum quum Pausanias cum exercitu affuisset, in maximo se constitutos esse periculo arbitrati sunt, ac terror non modicus, & silentium humile, castra eorum inuasit. Postridie uerò quum Athenienses illis iuncti essent, Pausaniasq; eos lacessere, aut ad bellum procedere non auderet, rursus depulso timore in spem elati sunt. Pausanias conuocatis belli ducibus & tribunis militum, illos consuluit, num per bellum, an per inducias Lysandrum, & qui unà ceciderant, repeteret. At cùm omnes considerarent Lysandrum mortuum esse, exercitum uerò eius solutum, Corinthios quoque omnino sequi nolle, reliquos qui aderant militiam detrectare,

Lysandri mors.

hostilem quoq; equitatũ longè superiorem esse, mortuos uerò sub ipsis iacere mœnibus, ita ut facilè turrium propugnaculis uel fortiores repelli possent: omnibus his motiationibus, mortuos per inducias recipiendos esse decreuerunt. At Thebani mortuos illis reddere, ni finibus excederẽt, omnino recusarũt: quapropter illi receptis libẽter mortuis, ex Bœotia discesserunt. His gestis Lacedæmonij tristes abierũt: Thebani uerò cõtumelioſissimè, ſi quis uel tantulum in agros declinasset, uerberãtes, cogebãt in uiã. Et hunc finem Lacedæmoniorum in Thebanos fortita est expeditio. Pausanias ubi domum uenit, ab Ephoris ad populum iactatus est, datumq; illi crimini, quòd ad Haliartum serius uenisset quàm Lysander, cùm ei diem eundem dixisset: quodq; cæsorum corpora per inducias, ac nõ potius prælio, recipere conatus esset: & quòd Atheniẽſium populum cùm cepisset in Piræo, dimisisset. Cùm uerò ad iudicium non uenisset, morte damnatus est, Tegeamq; in exilium concesſit, ubi postea morbo perijt. Et per Græciam hæc gerebantur.

Lauſanias morte damnatus.

XENOPHONTIS RERVM GRAECARVM LIBER QVARTVS, BILIbaldo Pirckemero interprete.

INEVNTE uere, Ageſilaus Phrygiam ingreſſus, eam ferro ac igne latè populatus est, ac pleraſq; urbes partim ui, partim uoluntaria deditione Pharnabazo ademit. In de à Spithridate admonitus, ſi in Paphlagoniam duceret, Paphlagonum regem Otym à Perſis alienari, & ad ſocietatem

Ageſilai in Phrigiam et Paphlagoniam expeditio.

tatem induci posse, libenter proficiscitur. Iampridem enim animo uolutarat, quo pacto gentem eam ad defectionem allicere posset. Eô cùm uenisset, fœdus cum Otyspigit: nam ille á rege uocatus non paruerat. Intercedente quoque Spithridate, Otys Agesilao mille equites, duo quoq; millia clypeatorum reliquit. Vt igitur Agesilaus Spithridati gratiam referret, illum talibus aggressus est uerbis: Dic mihi, ô Spithridate, ait, darés ne Otyi filiã in matrimonium? Cui ille respondit: Et lubentius, quàm si uir ille potens, ac multarum regionũ dominus, exulis filiam ducturus sit. Cæterum solùm hæc de nuptijs ille tunc scisciatus est. At Otys cùm discessurus esset, Agesilaum ut illi ualediceret accessit. Agesilaus uerò ex industria sermonem de Spithridate præsentibus triginta consiliarijs iniecit: Dic mihi, inquit, ô Oty, quanam stirpe ortus est Spithridates? Cui ille respondit: Ex Persarum nulli secunda. Num filium ipsius, inquit, quàm formosus sit uidisti? Quid ni, respondit, cùm heri cum eo cœnauerim? At filiam, intulit, longè esse pulchriorem asserũt. Mehercule, Otys inquit, formosissima est. Et ego, Agesilaus ait, postquàm nobis amicus factus est, cõsulo ut puellam uxorem ducas, uirginem formosam ac uiri expertem, generosiq; patris filiã, adeoq; potẽtis, ut à Pharnabazo iniuria affectus ita se uindicauerit, ut regionem totam, quemadmodũ cernis, extorrem reddiderit. Proinde quemadmodũ inimici iniurias ultus est, sic & amico benefacere potest. Quapropter si puellam desponsaueris, non solùm illum socerum tibi uelim arbitreris, sed & me, & reliquos Lacedæmonios omnes: & cùm nos Græciæ simus ductores, reliquam deniq; Græciam uniuersam. Porrò si mihi obtem-

Hijs rex Laphlagoniæ obsistit ad Lacedæmonios.

peraueris, quis unquam tam præclarè uxorem duxit? Quam enim sponsam unquam tot equites, pedites, & armati deduxerunt, quot uxorem domum tuam comitabuntur? Otys ab illo sciscitatus est, nunquid sciente Spithridate hæc diceret. Cui respondit: Per deos, ô Oty, nil horum me ille loqui iussit: cæterũ ego quãuis cùm inimicũ ulciscor, uehementer gaudeam, tamẽ cùm amico bene facio, maiori me lætitia affici sentio. Quid ergo, inquit, non sciscitaris an ille hæc uelit? Et Agesilaus: Ite, inquit, ô Erippida, & eadem nobiscũ uelle docete. At ille surgens abijt. Cumq; aliquantisper moraretur, Vis, inquit, ô Oty, ut illum huc accersitũ mittamus? nã potius à te illum persuasum iri arbitror, q̃ à reliquis omnib. Confestimq; Spithridatem uocari iussit. Illo ingresso, Erippidas ait: Vt cætera Agesilaë omittamus, Spithridates omnia quæcunq; tibi grata nouerit, se facturum pollicetur. Mihi itaq;, Agesilaus inquit, uidetur ô Spithridate, quod fœlix faustumq; sit, te filiã Otyi in uxorẽ dare, te uerò Oty illam accipere debere: sed puellam ante uernum tempus terra deducere haud possumus. At Otys excipiens: Mehercle, ait, mari si tibi uidetur mitti poterit. Iunctis igitur dextris, ille ut puellam daret, alter ut duceret, spoponderũt. Inde Otys discessit. Confestimq; Agesilaus cùm illum properare intellexisset, triremi una Calliam Lacedæmoniũ transmittere puellam iussit, ipse in Dascyliũ duxit. Erat ibi Pharnabazi regia: ager urbi circumiectus, ferax, & ingentibus pagis frequens: feræ præterea tum septis ac hortis inclusæ cultissimis, tum locis apertis uagabantur amœnissimis. Circunfluebat & amnis lympidus, omnifario refertus piscium genere: uolatiliaq; innumera aucupijs erant abundè expo-

dè expoſita. Ibi Ageſilaus hyemauit, exercitumq; uniuerſum copioſo referſit cõmeatu. Quo ſanè tempore pabulatores per contemptũ & abſq; ſpeculatoribus, quòd nunquam antè offendiſſent, procul à caſtris palantes, à Pharnabazo ſunt inſidijs excepti. Habebat ille currus falcatos duos, equites uerò quadringentos. At Græci quamprimũ ipſum ingruentem uidiſſent, circiter ſeptingenti in unum collecti ſunt. His ille contemptis, curribusq; in fronte conſtitutis, cum equitibus à tergo impetum in illos facit. Currus diſiecta acie ordines turbarunt: equites uerò, Græcos diſpalatos inſequuti, circiter centum ex eis obtruncarũt: reliqui ad Ageſilaum fugerũt. Erat enim propè cũ graui armatura. Nec multis interiectis diebus, cùm Spithridates Pharnabazum in Caue uilla magna caſtra locaſſe intellexiſſet (diſtabat is locus ſtadia ferè centũ ſexaginta) id Erippidæ renunciat. Erippidas, cùm rem egregiã perpetrare ſemper cuperet, Ageſilaum rogat, ut ſibi duo millia peditum, clypeatorũ totidem, equitatũ uerò uniuerſum, tam Spithridatis & Paphlagonum, q̃ Græcorum, attribueret. His conceſſis ſacrũ fecit, conſeſtimq; litauit, militesq; cœnare, & inde ante caſtra præſtò eſſe iuſſit. Ingruentibus uerò tenebris, uix pars dimidia ſingulorũ egreſſa eſt. Erippidas, ne ſi in caſtra rediret reliquis triginta ludibrio eſſet, cũ præſentib. pergit copijs, ac ſub diluculũ Pharnabazi munimẽta adortus eſt: interfectisq; magna ex parte cuſtodibus, qui Myſij erant, reliquis in fugam uerſis, caſtra capiuntur, multaq; pocula, & alia Pharnabazo digna: præterea multa ſuppellex, & iumenta uectaria. Quod enim metuebat, ne ſicubi conſiſteret circumuentus obſideretur, aliàs in aliam regionis partem ibat, effi-

Capta et direpta caſtra Pharnabazi

ciens, quoad eius fieri poterat, ne ulla extarent castrametationum uestigia. Erippidas cõstitutis tribunis & centurionibus, præda omni Spithridatẽ & Paphlagones fraudauit, ut prædæ mercatoribus multa adduceret mãcipia. At illi eam non tulere iniuriam, uerùm ut decepti, honoreq; ac præda exuti, nocte sequenti consensu cõmuni Sardis ad Ariæum abierunt, existimantes illum quoq; à rege defecisse, eiq; hostem esse. Post secessionem Spithridatis, Megabazi & Paphlagonũ, nil grauius Agesilao in exercitu actum est: uerũ Apollophanes Cyzicenus, qui hospitalitatis iure Pharnabazo iampridem deuinctus erat, & Agesilai per id tempus hospes erat, ei promisit Pharnabazum pro pace firmanda in colloquiũ se adducturũ. Id Agesilaus audiens, consensit: et ille accepta fide, dextraq; data, Pharnabazũ in cõdictũ adduxit locũ, ubi Agesilaus & consiliarij triginta super uirentibus herbis sedentes, præstolabantur. Pharnabazus preciosissima indutus erat stola. Cumq; famuli aulæa, in quibus molliter Persæ sedere consueuerunt, substernerent, Agesilai cultum uilem cernens, tam delicatè agere erubuit: quapropter ipse quoq; in terra consedit: & primò accepta inuicem ac reddita salute, Pharnabazus prior dexterã protulit, cui Agesilaus quoq; manum iunxit. Pharnabazus itaq; (nam senior erat) ita loqui orsus est: Agesilaë, & uos qui adestis Lacedæmonij, ego cùm bellum aduersus Athenienses gererem, semper uobis amicus ac socius fui, remq; uestrã nauale m pecunijs proprijs egregiè iuui: terra uerò à uobis steti, hostesq; equitatu in mare usq; persequutus sum: neque me possetis ullius in uos uel dicti uel facti perfidiosi accusare, ut Tissaphernem. Et quamuis talis erga uos fuerim, eam

Megabazus Pharnabazi filius fuit Agesilai.

eam tamen à uobis perſequutionem patior, ut nec in proprijs finibus unica mihi ſuperſit cœna, ni ferarum more quæ à uobis derelicta ſunt rapiam: quãdoquidem domus egregias, hortos arborib. cõſitos, ac feris refertos, quæ mihi pater reliquit, quibuſq; ſummopere delectabar, omnia penitus à uobis deſolata & exuſta cerno. Proinde ſi ego, quid iuſtum, quid ſanctum ſit, non intelligo, uos me doceatis oro, quo pacto talia uiris conueniant, qui ſe noſcere ia ctitent, quemadmodum gratias referre, ac amicis benefãcere oporteat. His dictis, triginta pudore ſuffuſi tacebãt. Ageſilaus uerò cùm & ipſe aliquantulũ ſilentium tenuiſſet, ita loqui cœpit: Non te latère, ô Pharnabaze, arbitror, homines in ciuitatibus Græcis conſueuiſſe hoſpitalitatem inter ſe cõtrahere. Atqui cũ bellum inter urbes ortum eſt, illi quoq; pro cõmuni patria etiam contra hoſpites pugnare non dubitant, & ſi ita euenit, nonnunq; alij alios obtruncant. Pariter itaq; nos cùm aduerſus regem ueſtrum bellum geramus, omnia illius hoſtilia ducere cogimur: tibi uerò reconciliari ſummopere affectamus. Ac ſi quidem tibi ita mutanda eſſet conditio, ut pro rege domino, nos dominos habeas, non ſuaderem equidem tibi. At nunc licet tibi, ſi nobiſcum ſentias, neminem adorando, neminem habendo dominũ, frui tuis. Atqui ut liber ſis, ego cunctis anteferendũ rebus arbitror. Nec te in paupertate liberum eſſe iubemus, ſed noſtro auxilio, nõ iam regis, ſed propriũ propagare imperiũ, conſeruoſq; nunc tuos ut tibi pareant ſubigere ſuademus. Si igitur libertatẽ nactus, diuitijs quoq; auctus fueris, quid deerit, quin omniũ feliciſſimus haberi poſſis hominũ? Ad hæc Pharnabazus: Num quid mihi faciendum cenſeam, apertè proferã? Cui

Ageſilaus: Rectè quidem. Et ille: Si rex alium cui ſubſim ducem miſerit, uobis me amicum et belli ſocium futurum promitto: ſed ſi mihi ſubdiderit prouinciã (talis res eſt, ut cõſentaneum eſt, gloriæ cupiditas) uos haud ignorare uolo, me uobis quantũ potero hoſtem fore acerrimũ. Hæc cùm Ageſilaus audiſſet, eius prehenſa manu, ait: Vtinã, ô optime, cùm talis ſis, nobis ſis amicus. Vnum uerò, inquit, ſcito, me nunc q̃ potero celerrimè ex tuis finib. diſceſſurũ, & in poſterũ, etiam ſi bellum ſit, quãdiu alius cõtra quem bellum geramus ſupererit, à te tuisq; abſtinebimus rebus. His dictis colloquiũ diremptum eſt, & Pharnabazus conſcenſo equo abijt. At filius ipſius ex Parapita, indolis pulcherrimæ iuuenis, admiſſo equo Ageſilaum acceſſit, dixitq;: Hoſpitẽ te ô Ageſilae facio. Et ille: Accepto, ait. Reminiſcaris igitur, inquit: confeſtimq; iaculum quod habebat pulcherrimũ, Ageſilao tradidit: quo recepto ille, phaleris egregio Idæi pictoris artificio elaboratis, ſuo detractis equo, iuuenem donauit: & adoleſcẽs aſcenſo equo patrem inſequutus eſt. Inde cùm poſt Pharnabazi obitũ ab alio fratre regno pulſus, exilij cauſa ſolũ uertiſſet, Ageſilaus promiſſorũ non immemor, illum hoſpitio ſuſcepit, auxiliumq; ac operã præſtitit ut in Olympia ſtadio uinceret, cũ eſſet puerorum maximus. Cæterùm Ageſilaus ut Pharnabazo promiſerat nihil cõmoratus, cum omnib. copijs ex finibus illius exceſſit. Cumq; ſub uernum tempus in Thebes uenisſet campũ, iuxta Aſtyriæ templum Dianæ caſtra locat, quò ex omnibus locis copioſum contraxit exercitum, præter eum quem habebat, ſeq; ut ſuperiorem regionem irrumperet accingebat: exiſtimabat enim, gentes eas quas à tergo relinquerent omnes, à rege alienari

nari posse. Et Agesilaus his incũbebat. At Lacedæmonij cùm apertè pecunias Græciæ illatas, maximasq; ciuitates contra eos coniurasse resciuissent, haud mediocri si cunctarentur periculo se expositos arbitrantes, tanq; necessitate coacti exercitum cõparabant: Epicydidemq; ad Agesilaum mittũt, qui illi præsentem ostenderet statum, simul & ad patriæ opem ferendam reuocaret. Fuit nuncius is Agesilao admodum molestus: animo enim meditabatur, q; à clarissimo uictoriæ cursu ac spe auocaretur. Conuocatis tamen socijs, patriæ illis mandata aperit, & illi succurrere necesse esse ostendit. Cæterùm, uiri socij, inquit, rebus ex sententia gestis non obliuiscar uestri, sed iterum ad uos proficiscar, & reliqua quæ uobis agenda supersunt perficiam. Hæc socij obortis audierunt lachrymis, communiq; decreto unà cum Agesilao Lacedæmonijs opem ferendam esse censuerunt, ut si res ibi prosperè caderent, rursus cum illo in Asiam regrederentur. Itaque se ad profectionem accingebant. Agesilaus Euxenum præfectum cum præsidio quatuor millium militum in Asia reliquit, ut, si ita res exigeret, ciuitatibus succurrere posset. Cumq; cognouisset milites quamplures manere potius, quàm contra Græcos militare uelle: ut optimos quosque secum duceret, ciuitatibus quæ ornatiorem mitterent exercitum, præmia proposuit. Ductoribus quoq; conductitij militis, quicunq; cohortem præ cæteris egregiè instructam adduceret, seu scutatorum, sagittariorũ, uel cetratorum, munera pollicitus est. Præterea equitum præfectis qui agmen splendidissimum ageret præmia promisit. ac hos omnes in Cherronesum cõuenire iussit: ibi enim cùm ex Asia in Europam transgressus esset, sententiam laturum

Agesilaus domum reuocatur.

prædixit. Præmia uerò ut plurimum arma erant decora cùm pedestria tum equestria, coronæ quoq; aureæ, ita ut præmia cuncta ad precium quatuor accederēt talentorū. His tam ingentib. propositis præmijs effecit, ut cuncti se splendidissimis instruerent armis. Cùm uerò Hellespontū transgressus esset, iudices cōstituit: ex Lacedæmonijs Menascum, Erippidem, & Orsippum: è socijs uerò ciuitatibus singulos. Peracto iudicio Agesilaus per eam inceßit uiam, per quam rex cū Græciam inuaderet, duxerat. Ephori interim delectum edicunt. Et quoniam Agesipolis impubes erat, Aristodemū generis regij ac pueri tutorem exercitū educere iubent. Egreßis Lacedæmonijs, hostes quoq; in unū conuenerant, consultabantq; quonā pacto Lacedæmonios potissimū aggrederētur. Inter hos Timolaus Corinthius surgēs, ita uerba fecit: Viri socij, Lacedæmoniorū res mihi fluuiorū instar se habere uidentur. Flumina etenim circa ortum suū tenui labuntur uena, ita ut facilè sint permeabilia: at cū longius defluunt, ac cæteros quoq; excipiūt fluuios, iam nō placidè, sed rapido ferūtur gurgite. Pariter & Lacedæmonij cùm exercitū educūt, soli sunt: procedentes uerò, reliquarū quoq; ciuitatū sibi uires adiungūt, ita ut illis aucti, ad uincendū difficilio res reddātur. Equidē illud etiā uideo, quicūq; uespas iam egressas irritare conātur, aculeos multorū experiuntur: cùm uerò inclusis ignem admouent, iam amplius nil mali patiuntur, sed quam facilè uespas suffocant. Hæc itaq; considerans, utilissimū iuxta Lacedæmonem ipsam, aut quāpropè, pugna decertare reor. Porrò cū haud ineptè consuluisse uideretur, in sententiā ipsius omnes pedibus iuere. Verùm cùm de duce certarent, ac de instruēda acie, &

Pulchra similitudo.

quo

quo pacto ordines explicarent, ne urbes si minus profunda agmina facerēt, hostibus circūueniendi potestatē præberent, iam Lacedæmonij iunctis Tegeatibus & Mantinensib. in maritima loca exierant, rectāq; ad hostes qui in Nemea circa Corinthū erant tendebant, castraq; in Sicyone locauerunt: cumq; quà Epijcia est nuasissent, in eos à leuis armaturæ militibus impetus factus est: qui undiq; telis ac iaculis eos ex superiore loco impetentes, malè affligebāt. At illi cùm ad mare descēdissent, iam regionem ingressi, cuncta ferro ac flamma uastarunt. His auditis hostes nil cunctati, illis obuiam uadunt, ac post torrentem castra collocant. Lacedæmonij cùm haud amplius decem ab illis abessent stadijs, castra ipsi quoq; ponunt, ac quietè agebant. Cæterum priusquàm ulterius progrediar, utrorunq; uires enumerabo. Erant Lacedæmoniorum pedites circiter millia sex: Eliensium uerò, Triphylliorum, Acroriorum, & Lasionensium circiter millia tria: Sicyoniorum mille quingenti: Epidaurensium, Trœzeniorū, Hermonensium et Halieorum haud minus millia aderāt tria. Habebāt præterea Lacedæmonij equites circiter sexcentos, sequebanturq; Cretes sagittarij trecenti, funditoresq; Marganensium, Ledrinensium, ac Amphidolorum haud pauciores tercentū. Phliasij uerò, quoniā inducias prætendebant, domi remanserant. Et hæ uires erant Lacedæmoniorum. Hostium uerò copiæ ita se habebant: Athenienses circiter sex millia adduxerant peditum: Argiui millia septem: Bœotij (nam Orchomenij non aderant) ad millia quinq;: Corinthiorum erant millia tria: ac ex reliqua Euboea uniuersa haud pauciores millibus tribus. & hi pedites. Equites Bœotiorum absq; Orchomenijs, qui

aberant, octingenti erant: Athenienſium ſexcenti, ex Eubœa uerò Chalcidonenſium centum, Locrenſium Opuntiorum quingenti: cum quibus Corinthij uelites quamplurimi erant: quos ſequebãtur Locrẽſes, Ozoli, Melienſes, & Acarnanes haud pauci. Hæ igitur utriſq; aderant copiæ. Bœotij uerò quãdiu ſiniſtrum tenebant cornu, cõgredi nõ ſanè properabãt. Vbi uerò Athenienſes contra Lacedæmonios conſtiterunt, & ipſi dextrum cornu tenuerunt, & Achæis oppoſiti ſunt, ſtatim & litatum eſſe dixerunt, & ad pugnam milites parari iuſſerunt. Ac primùm neglecto in ſenos denos ordine, agmen denſiſſimũ inſtruxerunt, atq; ad dexterã duxerunt, ut cornu hoſtes excederent. Athenienſes ne ſegregarentur, ſequebãtur, quãuis circumuentionis cernerent periculum. Cæterùm Lacedæmonij hoſtium aduentum ignorabant: nam loci arboribus ueſtiti cõditio conſpectum adimebat. Verùm cùm illos pæana inchoaſſe audiuiſſent, extẽplò ipſi quoq; ad arma conclamant. Cumq; aciem direxiſſent, duces quenq; ſequi præcipiunt, ac dextrorſum longè extenſo uadebãt cornu, ita ut Athenienſium tribus tantummodo ſex, Lacedæmonijs occurrere contingeret, quatuor uerò Tegeatibus. Cumq; uix per ſtadium diſtarent, Lacedæmonij, ut mos erat, ſylueſtri deæ immolarunt capellã, ſicq; in gyrum flectentes, hoſtes circundare nitebãtur. Vix pugna conſerta erat, cùm omnes Lacedæmoniorum ſocij ab hoſtib. ſuperati ſunt: ſolùm Pellenenſes Teſpienſib. reſiſtebãt, acriq; certamine utrinq; cadebant. At Lacedæmonij Athenienſes, cum quibus conflixere, uincunt, eosq; circundantes, multos detruncant, & cùm integri eſſent, ordine procedebãt. Ac quatuor Athenienſium tribus, priuſquã à perſequendo ſe

Pugna memorabilis.

Lacedæmonij uincunt Athenienſes et ſocios

do se reciperent, præterierunt. Itaq; nulli eorum desiderati sunt, nisi si quis in primo congressu à Tegeatibus interfectus est. Inde Argiuis qui reuertebantur obuiã fiunt, cum quibus congressi magnam eorum cædidere partem. Corinthios quoq; excepere regressos. Thebani etiam quidam ex persequutione reuertentes, in illos incidêre, ex quibus omnibus quamplures interfecti sunt. Victi initio ad muros confugerunt: inde Corinthijs in castra antiqua redeuntibus, reliqui quoq; illuc conuenere. Lacedæmonij in eum reuersi sunt locum, ubi initio pugna conserta fuerat, trophæumq; statuerũt. Et hic fuit exitus pugnæ tam memorandæ. Agesilaus interim ut patriæ succurreret, ex Asia iter maturat. Cui circa Amphipolim Dercyllides Lacedæmoniorum nunciat uictoriam, ostenditq; octo solùm ex illis, hostium uerò quamplurimos desideratos esse: insuper sociorum manum cecidisse ingentem demonstrat. Cui Agesilaus: Haud inutile esset ô Dercyllides, ait, ciuitatibus quæ nobiscum militant, hanc quamcelerrimè nunciari uictoriam. Cui Dercyllides respondit: Nimirum alacriores ad reliqua pericula obeunda futuros, credendum esset. Igitur tu, inquit, postquàm uenisti, eis optimè nunciare possis. Ille uerò his libenter auditis (nam semper belli cupidus erat) ait: Si tu iusseris, paratus ero. At ille: Quinimò præcipio. Præterea illis nuncies uelim, rebus nostris, ut speramus, ex sententia gestis, rursus ut promisimus illuc reuersuros. Et Dercyllides ab Hellesponto in Asiam, Agesilaus uerò per Macedoniam in Thessaliam profectus est: quem Lariss æi, Cranonij, Scotenses, & Pharsalij qui Bœotijs confœderati erant, Thessaliq; uniuersi, exceptis exulibus eorum, si

qui erant, à tergo adorti, nouissimos premere cœperunt. At ille agmine quadrato incessit, dispartitis & à fronte & à tergo equitibus. Verũ ubi instantibus à tergo Thessalis ultra progredi est prohibitus, equitatũ qui in fronte cõstiterat omnem, præter corporis satellites, ad posteriores transmittit. Postquàm utrinq; structæ acies, Thessali rati haud ex æquo contra pedites equitatu decertandum esse, sensim retrocessere: quos Græci lentè sanè sunt insequuti. Sed Agesilaus cùm utrorunq; intelligeret errorem, equitum acerrimos quos secum retinuerat, emittit, reliquos q; ut quamcelerrimè sectentur iubet: ipse ne hostibus retrouertẽdi daretur copia, præpropera celeritate cunctis insequutus est uiribus. Thessali hostes ex insperato ingruentes conspicati, partim in fugam uersi, reliqui conuertere se conati, ab equitibus ex obliquo ingruentib. circũuenti sunt. Equitũ uerò præfectus Polymachus nomine, Pharsalius, & se conuertit, ac fortiter pugnando cum suis interimitur. Quo facto turpis Thessalorum insequuta est fuga, ex quibus plures ceciderunt, multi uiui in hostium uenere potestatẽ: nec prius à fuga substitere, quàm ad Narthatium peruenissent montem. Agesilaus constituto inter Paprantum & Narthatium trophæo, ibidem mansit, admodum exultãs, quòd eos qui maximè re equestri gloriari solerẽt, cum equitibus quos ipse compararat, superasset. Postridie superatis Achaicis Phthiæ mõtibus, inde reliquum iter omne ad Bœotiorum fines usq; per pacatum fecit. Ibi Agesilao sedenti sol in cornua flexus apparuit, nunciaturq; Lacedæmonios nauali prælio superatos, Pisandrumq; classis præfectum occubuisse. Fuerat pugna hæc circa Gnidum commissa: Pharnabazus enim hostilis

classis

classis præfectus, cum Phœnissis nauibus, Conon uerò cũ Græcis, ad Pisandri stationem certandi studio accesserãt. Cùm uerò Pisander contrà aciem instruxisset, cùm longè pauciores naues habere uideretur, q̃ Cononiani Græci, eius auxiliares copiæ, quæ in sinistro cornu constiterant, statim fugerant. Ipse cum hostib. cõgressus, in triremi quæ accessus haberet, ad terrã compulsus fuerat. Reliqui omnes qui ad terram cõpulsi fuerant, derelictis nauib. quà quisq; poterat Gnidum euaserant. Agesilaus his auditis, primũ molestè tulit. Verùm ubi uenit in mentem sibi maximam partem exercitus esse, existimans rebus lætis frui debere milites, si quid uerò aduersum extitisset, non esse necessarium cum eis cõmunicare, nuncium mutauit, dixitq; nunciatum esse, Pisandrũ quidem cecidisse, sed prælio nauali uicisse. Atq; hæc dicens, bouem tanquam oblatum nuncium immolat, multisq; uictimariam carnẽ mittit. Itaq; cõmisso deinde cum hostibus prælio, uicerunt Agesilai milites, quòd eis persuasum esset, Lacedæmonios pugna uicisse nauali. Fuerunt autem contra Agesilaum instructi Bœotij, Athenienses, Argiui, Corinthij, Aenianes, Euboici, Locri utrique. Cum Agesilao uerò erat legio Laconica, quæ ex Corintho aduenerat, ac dimidia alia ex Orchomeno: aderant & iuniores ex Lacedæmonia, peregrinus præterea exercitus cui Eripppidas præerat: auxilia quoq; Asiaticarum, & quæ in Europa sunt ciuitatũ Græcarum quæcunq; illac transiens receperat. Venere quoq; ad eum Orchomenij & Phocenses. Præstabat pedi tum numero Agesilaus: equitatus utrinq; par erat. Et hæ utrisq; tum aderãt uires. Cæterũ pugnã quoq; enarrabo, cui parem ætas nostra nullam uidit. Conuenerãt omnes in

Coroniæ campos: Lacedæmonij à Cephiso in aciem proceſſere, Thebani uerò & ſocij ab Helicone. Ageſilaus dextrum tenebat cornu, Orchomenij in ſiniſtro extrema tutabantur. Contrà Thebani à dextro, Argiui à ſiniſtro ſtabant cornu. Congredientibus illis, altum utrinq; ſilentium tantiſper fuit, dum ad ſtadij interuallum abeſſent: exinde Thebani concito curſu ac ſublato clamore in hoſtes feruntur. Cumq; trium iugerum diſtarent ſpatio, ex aduerſo ab Ageſilai phalange, quibus Eripidas præerat, procurſum eſt: & cum his Ionij, Aeolij, & Helleſpontij eodem feruntur impetu. Vix hi ad haſtas appropinquarant, quum qui ex aduerſo ſteterant, in fugam uertuntur. Nec Argiui Ageſilai excepere milites, ſed protinus in Heliconem confugerunt. Ibi peregrinorum quidam, Ageſilaum ut uictorem coronant. Interim ei nuncia tur, Thebanos cæſis Orchomenijs circa impedimenta uerſari: extemplò igitur ſtructa acie ad illos ire pergit. Thebani cùm ſocios in Heliconem profugiſſe cernerent, ſeq; ad illos recipere uellent, in ordines reuerſi, ui magna in colles flexerunt. Hîc Ageſilaum magnanimum ſine controuerſia appellare licet: non tamen quod tutiſſimum erat, elegit. Nam cùm facilè terga abeuntium cædere poſſet, à fronte tamen & laterib. Thebanos inuadit. Ibi Thebani pugnandi neceſsitate coacti, ſubitò in hoſtem conuerſi, fortiter pugnam cient: ſcutis utrinq; propelluntur, feriunt, pugnant, interimunt, cadunt. Clamor nullus erat, nec tamen ſilentium, ſed uox qualem ira ſimul & pugna ædere ſolet. Tandem plurimi Thebanorum in Heliconem euaſerunt, multi in media occidione occiſi ſunt. Victoria Ageſilai ad Coroniam. Ageſilaus uictoria potitus, ſaucius ad phalangem relatus eſt.

Aduene-

Aduenere interim equites quidam nunciantes illi, circiter octoginta ex hostibus armatos ad templum confugisse: quidq; faciendum esset, sciscitabãtur. Ille quamuis multa accepisset uulnera, deos tamẽ minimè neglexit: sed eos quò uellent dimitti, et ab omni iniuria illæsos seruari iussit. Iacebant ubi pugna commissa est promiscuè cadauera sanguine concreta, diffracti clypei, enses euaginati, nonnulli in manibus iacentium, quidam uulneribus infixi: solum passim cruore manabat. Cùm uerò iam aduesperasceret, cœnarunt, indeq; corpora curarunt. Prima deinde luce, Gylim polemarchum instructo exercitu trophæum statuere iussit, uniuersos in dei honorem coronari, ac tibicines omnes modulari. Quæ dum ab illis geruntur, Thebani missis præconibus mortuos per inducias ad sepulturam petunt: illisq; concessis, Agesilaus Delphos profectus est, decimamq; deo exspolijs sacrauit, non minorem talentis centum. Gylis interim belli præfectus exercitum in Phoceas deduxit, hinc in Locridem irrumpit. Postridie milites direptis uillis, ingentem prædam ex agris abduxere. Locri hostium præda onustum sub noctem adorti, Lacedæmonios, qui erãt nouissimi, carpere cœperũt, lapidesq; ac cæca tela in subiectum deuoluebant agmen. Lacedæmonij cõuerso agmine illos excepere, nonnullos quoq; interfecerunt: quapropter Locri hostes à tergo sequi ueriti, ex superioribus locis illos incessebant: at Lacedæmonij illos etiam in accliue persequi nitebantur. Ingruentibus uerò tenebris, partim difficultate locorum cadebant, alij quòd priores non prospicerent, occubuere, magna uerò pars telis oppressa est. Concidit & Gylis agminis præfectus, ac ex familiaribus Pelles, magnaq; pars mili-

tum desiderata est, partim lapidibus obruti, partim uerò telis confossi: ac nisi ex castris à cœnantibus auxilia affuissent, ad unum perijssent. Post hæc Agesilaus dimisso exercitu domũ nauigauit, nihilominus tamen bellum durabat. Athenienses enim, Bœotij & Argiui cum socijs ex Corintho, quam belli arcem fecerant, mouebant: Lacedæmonij uerò ac socij ex Sicyone procedebant. Corinthij cùm fines suos uastari, ac propter uicinitatem belli quotidie plures ex suis oppetere, reliquos uerò socios in pace degentes, agrosq; colere cernerent, plurimi et optimates cùm pacis tenerẽtur desiderio, inuicem de his sermonem conferre cœperunt. Quæ cùm sensissent Argiui, Bœotij, Athenienses, Corinthij, & alij qui regijs corrupti fuerant pecunijs, ac potissima belli causa extiterant, timebant si pacis cupidi è medio non tollerentur, periculum fore, ne ciuitas rursus Lacedæmoniorum sequeretur partes: quapropter illos iugulare statuerunt, remq; omnium fœdissimam decreuerunt. Nam etsi quis secundum leges morte damnatus est, non tamen festis interficitur diebus: illi uerò præcipuam festiuitatem ad cædem delegere, rati quamplurimos quos interficerent in foro deprehendi posse. Itaq; cùm nõnullos elegissent, quibus eos quos morti destinassent, indicarunt, illi eductis ensibus multitudinem adorti, quosdam in circulo stantes, alios in theatro sedentes, nonnullos ius quoque dicentes obtruncarunt. Orto tumultu, confestim optimates partim ad statuas deorum, quæ in foro erant, confugerunt, partim ad aras: ibi sceleratissimi, omni religione contempta, ante aras & templa deorum homines iugularunt, ita ut quidam uiri pij, quamuis non ferirentur, tam atroci tamen conspecto facinore,

Scoitio Corinthi

Crudele.

facinore, animam efflarint. Ceciderunt tam perfida fraude seniorum multi: nam plurimos in foro esse contigit: iuniores uerò à Pasimelo prænoniti, in Cranio quieti se tenebant. Cæterùm audito clamore, quidam etiam media cæde elapsi, cũ ad illos profugissent, omnes in arcem, quã Acrocorinthum appellant, cursu feruntur, eamq; expulsis Argiuis ac alijs occupant. Cùm uerò quid agendum fõret consulerent, à columna capitulũ decidit, cùm neq; terræmotus seu uentus fuisset. Sacrificantibus quoq; talia apparuere exta, ut uates prædicerent, optimũ esse ex eo loco descendere. Ac primùm tanquam qui ex Corinthia regione fugere uellent, discesserunt. At cùm amici, matres, fratres quoque, præterea primores qui rebus præerant, ipsis iuramento promisissent, nil mali eos passuros, quidã promissionib. cõmoti, in patriã reuersi sunt. Verũ cùm uiderent eos qui tyrannidẽ exercebant, & rempub. deleri sentirent, ac pro Corintho Argos nominari, legibus priuari, & quod maximè abhorrebant, sub Argiuorum uiuendi normam cogi debere: cernerent præterea longè se inquilinis inferiores esse, fuere nonnulli qui existimarent penitus tam indignè uiuendum non esse. Statuerunt itaq; patriam in pristinam dignitatem ac libertatem restituere, cædemq; expiare uelle: & si hæc perficere possent, tanquam patriæ seruatores æternam se laudem uendicaturos sperabant: sin minus, cùm pulcherrimæ ac optimæ rei operam nauarent, honestissimam ac laudatissimã mortem haud defuturam. Hæc duo inter se egerunt uiri Pasimelus & Alcimenes: qui per torrentem egressi, Praxiten Lacedæmoniorum præfectum, qui cum præsidio Sicyone erat, conuenerunt, ostenderuntq; se illi ingressum

Lacedæmonij Corinthum occupare tentant.

in muros ad Læchæũ tendentes præstare posse. Praxites cũ iampridem uiros fide dignos esse cognouisset, cum illis de occupanda egit urbe: necnõ peditũ partẽ quæ ex urbe Sicyone domũ reuersura erat, eam ob causam retinuit. Illi re constituta, Corinthũ reuersi sunt. Inde cum & casu & data opera illis murorũ cura ac custodia iuxta portã, ubi trophæũ erectum fuit, cõmissa esset, Praxiten ut conuenerat de hac re certiorẽ reddunt: qui cõfestim cohortẽ peditum, Sicyonios & Corinthiorum exules, ad urbem ducit. Cumq; ad portã peruenisset, insidias ueritus, fidum quendam uirũ qui cuncta specularetur in urbẽ mittit: qui ingressus ac reuertens, cuncta sine dolo ac fraude esse renunciat. Sed cũ muris parum inter se distantibus, ordinarentur, ac sibi pauci esse uiderentur, uallum erexere, illudq; fossa munierũt, ut potuerũt, ut illic quoad socij illis opem ferrent, refugiũ haberent. Erat quoq; post ipsos in portu Bœotiorũ præsidium. Cùm itaq; noctu ingressi essent, sequenti die quietẽ egere. Postridie Argiui populo uniuerso suppetias ferẽtes aduenere. Qui cũ Lacedæmonios cornu dextro iam instructos, ac ad bellum paratos uidissent, Sicyonios quoq; cum Corinthiorũ exulib. circiter cẽtum quinquaginta progressos, ipsi quoq; ad oriẽtalem murũ contrà stetere. Et prope murũ Philocrates cum mercenario milite, Argiui quoq;. In læuo uerò cornu Corinthij qui in urbe erant, rem curabant. Cumq; militũ multitudine longè superiores essent, cõfestim cũ hostib. cõfligunt, ac primo impetu Sicyonios fundunt, ac euulso uallo ad mare usq; fugarunt, ibiq; multos eorũ interfecere. Pasimachus interim præfectus equitum cùm Sicyonios premi uidisset, equis ad arbores ligatis, eorumq; clypeis sublatis,

cum

cum uoluntarijs occurrit Argiuis. Argiui uidentes in clypeis insignia, eos ut Sicyonios nihil formidabant. Ibi dicitur Pasimachus, cũ hæc uerba fatus esset, Per deos, Argiui, hæc insignia uos fallent, cõgressus esse. Atq; ita pugnãs cum paucis cõtra multos, occubuit. At parte alia Corinthiorũ exules, hostes qui ex aduerso steterãt, egregiè superant, eosq; ad urbẽ usq; persequuntur. Lacedæmonij interim cũ Sicyonios uictos audissent, extemplò illis à sinistra ualli parte succurrunt. At Argiui cũ Lacedæmonios aduentare cognouissent, celeriter cõuersi uallo excidẽrũt: & qui in parte dextra nouissimi erãt, in leuis armaturæ incidẽrũt milites, à quibus etiã interfecti sunt. Alij iuxta muros collecti, ingenti turba ad urbẽ feruntur: quibus in itinere obuiã fiunt Corinthiorũ exules: quos cùm illi hostes esse intellexissent, rursus declinarunt. Ibi quidam cùm per scalas ascendere niterentur, per muros desiliebant, ac peribãt. Alij circũ scalas pellebãtur, ictibusq; interficiebantur. Alij ab alijs cõculcati suffocabãtur, ita ut Lacedæmonij dubij essent quemnã ferirẽt. Deus enim talem illis tum cõcessit uictoriã, qualẽ nec unq; optare ausi fuissent. Nam hostium superare multitudinẽ immensam, illos uerò timore percitos terga uertere, neq; ad pugnam respicere, sed manifestè in perniciẽ ruere, nõnne id diuinũ potius q̃ humanum existimandũ est? Tam multi enim pauco cecidere tẽpore, ut quemadmodũ frumenti, lignorum ac lapidum, ita mortuorum cernerentur acerui. Occubuit quoque Bœotiorũ in portu præsidium, partim iuxta muros, partim cùm tecta ac domorum ascenderet culmina. His actis Corinthij ac Argiui mortuos per inducias recepere. Lacedæmoniorum uerò socij in auxilium aduenerũt.

Quibus omnib. collectis, Praxites murorũ partem quantum pro introitu sat erat, diruit, ac Megaram ducit: primoq; impetu Siduntem capit: inde Crommyonam diruit, ac collocato intra eos muros præsidio, receßit: & munito muro epijcia, ut socijs refugium esset, ipse soluto exercitu Lacedæmonem abijt. Post hæc nil utrinq; memoria dignũ actum est, sed solùm præsidia utrinq; à ciuitatibus Corinthum & Sicyonem mittebantur, ut muri custodirentur: mercenario uerò milite solùm rem gerebant. Post hæc Iphicrates in Phliuntẽ irruit, ac positis insidijs, tot Phliasios temerè sibi occurrere ausos interimit, ut cùm antea Lacedæmonios de exulum reductione timentes in ciuitatem suscipere noluissent, ea tamen affecti clade ultrò Lacedæmonios accersirẽt, ciuitatemq; ac arcem custodiendas traderent. Lacedæmonij quamuis exules fouerent, toto tamen tempore quo ciuitatem obtinuere, nullam unq̃ de reducendis exulibus mentionẽ fecere: sed cùm illam in securitate constitutam uidissent, egreßi urbem ac leges quẽadmodum acceperant reddidere. Cæterũ Iphicrates uarijs in locis Arcadiam ingreßus prædas egit, ac ad muros usq; progreßus est: extra illos enim Arcadiorum pedites comparebat nemo: ita enim clypeatos formidabant, rursus peltati adeò Lacedæmonios timebant, ut ad teli iactum illis appropinquare non auderent: in tantum enim Lacedæmoniorum iuniores illos aliquando prosequuti sunt, ut quosdam caperent ac interficerent. Quapropter Lacedæmonij clypeatos cõtemnebant, plus uerò suos despiciebant socios. Nam Mantineos quondam cùm suis suppetias tuliſſent, clypeati ex muro qui ad Lechæum uergit inuaserant, nonnullosq; ex illis interfecerant. Itaq; Lacedæmonij

dæmonij etiã dicterio carpere socios audebant, quòd peltatos timerẽt ut pueri lemures. Ipsi uerò cum cohorte & Corinthiorũ exulib. ex Lechæo procedentes, undiq; circa Corinthiorũ urbem castra locarunt. Porrò Athenienses Lacedæmoniorũ ueriti potentiã, pariter timebant ne per longos quos diruerant Corinthiorũ muros, contra ipsos exercitũ ducerent, optimũ à Praxite rati dirutũ instaurare murũ: idcirco cuncto egresso populo cum fabris & opificibus uniuersis, eam partem quæ Sicyonem & hesperum uergit, paucis diebus egregiè restaurarũt, aliam quæ orientem spectat dehinc securius ædificabant. Lacedæmonij interim cùm Argiuos fructib. domi frui, & bello exultare considerassent, exercitum contra illos emisere, quem Agesilaus deduxit: ac omni uastata regione confestim per Tegeam Corinthũ transijt, rursusq; muros ab Atheniensibus instauratos diruit. Affuit & mari Teleutias frater cum triremibus duodecim, ita ut mater illarum beata existimaretur: eadem enim die quos genuerat, hunc terra hostium muros, illum uerò mari naualia capere cõtigit. His gestis, Agesilaus dimisso sociorum exercitu, domum suos reduxit. Interim Lacedæmonij cùm per exules intellexissent, pecoris uim ingentem in urbe ac Piræo esse, rursus Agesilao duce exercitum Corinthum misere, qui primò ad Isthmũ progressus est: erat enim mẽsis quo Isthmia celebrari consueuerant. Aderant tum Argiui, Neptunoq; sacra instaurabant, tanquam Argos sub Corinthijs esset. At cùm Agesilaum appropinquare cognouissent, derelictis hostijs ac prandio, timore magno in urbem per uiam quæ Cenchreas ducit, se recepere. Et Agesilaus quamuis illos uidisset, non tamen persequutus est, sed castris circa

templum positis, ipse quoq; deo sacrificauit: tandiuq; ibi permansit, quoad Corinthiorũ quoq; exules Neptuno sacra & certamen peragerent. Argiui quoq; digresso Agesilao rursus ex integro Isthmia celebrarũt, ita ut anno eodem binos uincere ac coronari contingeret. Quarta inde die Agesilaus ad Piræum exercitũ admouet. Quod cùm à multis seruari uidisset, sumpto prandio urbẽ uersus ducere pergit, tanq; urbs proderetur. At Corinthij proditionẽ ueriti, Iphicratẽ cum clypeatorum manu maiori accersunt. Agesilaus ubi nocte illos ingressos sensit, reducto exercitu luce prima Piræum aggressus est, & ipse per Thermios duxit, peditum autem cohortem altißima montium ascendere iußit, et nocte illa castra circa Thermas locauit: cohors uerò occupatis montiũ summitatib. ibi pernoctauit. Hìc Agesilaus quãuis leui, tẽpestiuo tamen claruit stratagemate. Nemo enim qui cõmeatum ferebat, secũ ignem tulerat. Cumq; propter immensam mõtium altitudinem maximum esset frigus, insuper pluuia quoq; ac grãdo ad uesperum incidisset, milites uerò æstiuis induti essent uestibus, frigore rigebãt, ac in tenebris tristes & incœnati agebant. Agesilaus itaq; decem circiter qui ignem in ollis ferrent in mõtes submisit: qui cùm alius aliò ad fastigia euasissent, ob materiæ abundantiã multos magnosq; accenderunt ignes, omnesq; uncti sunt, multi ab initio cœnarũt. Constat quoq; nocte eadem Neptuni cõflagrasse templũ: à quo uerò incensum sit, nemo est qui norit. At qui in Piræo erant, postq; mõtium cacumina ab hostib. obtineri cognouissent, amplius resistere nõ ausi, in Iunonis perfugerunt templũ permixti, uiri, mulieres, serui ac liberi, pecorum quoq; pars maxima. Agesilaus iuxta mare procedit cum

dit cum agmine: at peditum cohors à montib. ruens Oenoan, eum murum qui factus erat, cepit, ac cuncta ibi reperta in prædam uertit: omnes quoq; milites eadem die spolijs aucti sunt. At qui in Iunonis cõfugerant templum, ad Ageſilaum, quid ipſos facere uellet, ſciſcitatum mittunt. At ille, cædis autores exulibus tradi, ac alia omnia uendi iußit. Illi itaque templo egreßi, captiuos plurimos tradidere. Aderant quoq; ex Bœotia ac locis alijs legati plures, quærentes quidnã facturi eſſent, ut pacẽ aſſequi poſſent. At Ageſilaus magno animo illos ne uidere quidem uidebatur, quanquam Pharaco hoſpite ut illos adduceret aſtante: ſed iuxta porticum ſedebat, & multa quæ efferebantur inſpiciebat. Lacedæmonij uerò egregiè armis inſtructi ac ordine incedentes, captiuos ac prædam erectis ſequebantur haſtis, maximè ob præſentem conſpicui felicitatem: ſiquidem uictores & fortunatè agentes, ſemper intuitu digni cenſentur. Ageſilao interim cùm his incumberet, & ob res geſtas maximè exultaret, eques aduenit: qui ſudanti aduectus equo, cùm à multis quidnam afferret interrogatus eſſet, nihil reſpondit: ſed poſtquam in Ageſilai conſpectum uenit, equo deſiliens, triſti uultu in Lechæo acceptam nunciat cladem. Ageſilaus extemplò his auditis ſella exilijt, correptaq; haſta, præconem belli præfectos, centuriones, ac reliquos duces accerſere iubet. Quibus collectis, milites feſtinè prandere, ſicq; celerrimè ſubſequi imperat: ipſe impranſus pergit: haſtati uerò quicunque armis circundati erant, illum ſequi feſtinabant. Cumq; Thermas ſuperaſſet, ac in Lechæi peruenißet campeſtria, fiunt illi obuiam equites tres, qui nunciauerunt mortuos per indu

cias receptos esse: id cùm audissent, milites arma ponere iussit. Cumq; aliquãtisper respirassent, rursus ad Iunonis templum exercitũ reduxit, postridie captiuos exposuit. Bœotiorum uerò legati producti, & quam ob rem uenissent, dicere sunt iussi. Qui iam pacis nullam fecere mentionem: dicebant uerò, si absque impedimento possent, uelle suos qui in urbe essent conuenire milites. At ille ridens, ait: Scio uos milites uestros spectare nolle, sed fortunam amicorum uestrorum ipsi spectare quãta fuerit. Manete igitur, inquit, ego enim ipse uos deducam: exactius etenim mecum cuncta intelligere poteritis. Nec mentitus est. Sed postridie cùm sacrificasset, exercitum ad urbem ducit, trophæumq; non deiecit: uerùm si quæ arbores in circuitu restabant, incidere iussit: demonstrare uolens, neminem contrà exire. His gestis castra ad Lechæũ posuit, & Thebanos legatos urbem intrare haud permisit, uerùm per mare eos Creusim dimisit. Cæterum cùm clades illa præter solitum incidisset, multus in exercitu Laconico erat luctus: mortuorũ uerò patres, filij & fratres tanquam uictores, magno animo domesticam tulere calamitatem. At clades ea hoc maximè accepta est pacto. Amyclæi semper cùm in militiam exituri forent, siue aliò peregrinarentur, ad Hyacinthia & Apollinem accedere consueuerant: tum uerò ex uniuerso exercitu Agesilaus præcipuè Amyclæos qui Lechæum obtinerent, elegerat, & præsidij præfectis socios muros custodire iussit, ipse cum peditum & equitum turma iuxta Corinthiorum ciuitatẽ Amyclæos deduxit. Cumq; ab Sicyone uiginti aut triginta abesset stadijs, ipse cum peditibus, qui sexcẽti circiter erant, rursus Lechæum reuertitur: equitum uerò præfe-

præfectum cum equitum ala, Amyclæos quousq; uellent comitari iubet. Illi cùm haud ignorarent multos esse Corinthi cùm clypeatos tum scutatos, eos tamẽ propter perpetuam contemnebant fortunã, nec quid ausuros putabant. Verũ Callias Hipponici filius Athenienſium peditum dux, & Iphicrates clypeatorũ præfectus, cũ ex Corinthiorũ urbe hoſtium conſpexiſſent paucitatẽ, conſideraſſentq; abſq; præſidio & peltatorũ & equitũ illos incedere, leui armatura eos aggredi ſtatuerũt, rati ſi recta incederent uia, telis obrui poſſe: ſin manũ conſerere parарent, facilè leuis armaturæ milites impetũ armatorũ eluſuros ac declinaturos: quapropter uniuerſos educũt milites, & Callias haud longè ab urbe cum ſcutatis conſedit, Iphicrates uerò acceptis clypeatis in hoſtes impetũ facit. Lacedæmonij cùm in principio telis obruerẽtur, partim cadebant, alij uulnerabantur: & hos, ſatellites Lechæum ferre iuſſerunt: ſoliq; hi ex ea euaſere turma. Præfectus autem eos qui decimũ pubertatis annum attigerant, excurrere, ac hoſtes inſequi mãdat: id cũ feciſſent, neminem cõprehendere ualebant, utpote grauis armaturæ clypeatos. Præterea anteq; in pedites incidiſſent, reuerti iußi erant: at cùm reuertebantur, diſperſi à perſequutione incedebant, rurſusq; ab hoſtib. ſagittis laceſſebantur ac feriebantur: ac prima ſtatim excurſione nouẽ aut decem miſſilib. confixi ſunt. eam ob rem hoſtes longè audaciores effecti, illis inſtabant. Cumq; male afficerentur, rurſus Polemarchus præfectus eos qui decimũquintũ pubertatis annum exceßiſſent, illos perſequi iubet. Verũ cùm reuerterentur, multò plures q̃ antea cadebãt. Cumq; fortiſſimus quiſq; iam periſſet, aduenere equites, cum quibus rurſus

hostes persequebãtur. Cumq; peltati ad suos inclinarent, interim equites eos male accipiebant: non enim eousque, quoad aliquos interfeciſſent, persequebantur: sed pariter cum excursorib. sequebãtur reuertebanturq; : cumq; illi eadem rursum facerent ac paterentur, semper pauciores & languidiores, at hostes alacriores & fortiores reddebantur. Tandem quid agerent dubij erant. Tumulũ itaq; quendam circiter duo à mari distantẽ stadia occupãt, à Lechæo uerò circiter sex aut septemdecim. At qui Lechæi erant cùm id resciuiſſent, cõscensis nauiculis ad tumulum usq; nauigant. At obsessi quid agerent ignorabant: nam præterq; quòd malè afficiebãtur, ac multi ex eis caderẽt, nil omnino agere poterãt. Videntes tandem grauis armaturæ appropinquare milites, collem deserunt, partimq; in mare se præcipitãt: alij, qui pauci erant, cũ equitib. Lechæum euaserũt. In omnib. autem prælijs & in fuga mortui sunt ad ducentos quinquaginta. & hæc ita sunt gesta. Agesilaus itaq; milites qui malè pugnauerant domum reduxit, aliud uerò præsidium Lechæi reliquit: quantumq; poterat summo uesperi cum illis urbes intrabat, anteluca nis uerò horis rursus egrediebatur. Cumq; diluculo ex Orchomeno mouisset, ante diem Mantineã prætergressus est: adeò ægrè uidebãtur milites, Mãtineos ob acceptã cladem insultantes, luce intuituri. Iphicrates ex eo alia quoq; loca aggressus obtinuit. Cùm enim præsidium in Sidunte et Crõmyone excubaret, illic à Praxite cùm muros caperet collocatum, pariter & in Oenoa ab Agesilao cùm Piræum occupasset constitutum, cuncta illa cepit loca. Lacedæmonij uerò ac socij Lechæum obtinebant. At Corinthiorum exules propter acceptam cladem itinere pedestri

pedestri ex Sicyone ultra progredi nõ ausi, sed præterna uigantes inde populabundi discurrebant, damnaq; hostib. inferebant & patiebantur. Achæi interea cùm Calydonem, quæ olim Aetolia erat, obtinerent (nam Calydonios in ciuitatem receperant) urbem præsidio munire cogebantur. Acarnanes enim cum Atheniẽsib. ac Bœotijs quibusdam (nam socij erant) contra illos exercitum duxere. Achæi uerò cùm uehementer ab illis urgerentur, legatos Lacedæmonem mittunt. Qui cùm in cõcionem producti essent, indigna se à Lacedæmonijs perpeti ostenderunt, ac ita uerba uerba fecere: Nos ô uiri quocunq; iubetis uobis militamus, terraq; & mari quò ducitis sequimur. Cæterum cùm ab Acarnanib. ac socijs eorum Athenien sib. & Bœotijs obsidemur, penitus uos nullam nostri curam geritis. Proinde cùm illis resistere minimè ualeamus, necesse erit ut derelicto Peloponesiaco bello, contra Acarnanes & eorum socios nos defendamus, aut pacem qualem possumus faciamus. Hæc dicebant, simul & societatem solue re minabantur, ni ipsis Lacedæmonij opem tulissent. His auditis Ephori, ac cõcilium necesse esse rati, cum Achæis cõtra Acarnanes bellum susciperc. Agesilaum itaq; cum cohortibus duabus, ac sociorum parte, in subsidium illis misere: cui Achæi uniuerso se coniunxere populo. Agesilaus itaq; cùm hostium fines ingressus esset, Acarnanum fuga in ciuitates facta est: pecora uerò cuncta, ne militibus prædæ essent, longius abegerunt. Agesilaus cùm hosti appropinquaret, ad exercitum mittit Acarnanum, illisq; denunciat, ni Bœotiorum & Athenien sium derelinquerent societatem, Lacedæmoniorumq; susciperent amicitiam, se per prouinciam grassaturum, nihilq; intactum

relicturum. Verũ cùm illi non obtemperarent, Ageſilaus uniuerſam regionẽ ferro & igni populatus eſt: nec ultra ſtadia duodecim ſingulis progreſſus eſt diebus. Acarnanes itaq; cũ propter exercitus progreßionẽ lentã, tutũ arbitrarentur, pecora ex montib. reducebant, agroſq; colebant. At Ageſilaus cũ illos ob fiduciã nil timere conſideraret, decimaſexta die poſtq; in hoſticũ agrum uenerat, ſub diluculũ copias mouit, emenſisq; die uno centũ ſexaginta ſtadijs, ad paludes ubi Acarnanũ ferè omnia paſcebantur pecora, peruenit, uimq; ingẽtem cùm boum tum equorũ, uariaq; alia abegit iumenta ac pecora: inſuper præda ingens parta, mancipia quoq; multa capta ſunt. Itaq; diem eam ibi permanſit, & ſpolia diuendidit. Aduenere interim Acarnanũ clypeati haud pauci, qui hoſtes iuxta montes caſtrametatos ſecurè adorti, iaculis & fundis inceſſebant, ita ut illos longè à montibus in plano caſtra locare cogerent. Ingruẽte nocte Acarnanes diſceſſere: milites uerò cõſtitutis cuſtodib. dormierunt. Poſtridie cũ Ageſilaus caſtra moueret (erat uerò exitus ex eo prato & cãpo qui ſtagnũ circundabat anguſtus, ob montes qui undiq; cingebant) Acarnanes ex ſuperiore loco impetum faciunt, iaculisq; ac ſagittis turbant: ad montiũ quoq; digreßi radices, in illum ruebant, uehementerq; urgebant, ita ut exercitus ultrà progredi haud ualeret. Cumq; grauis armaturæ milites ac equites hoſtes inſequerentur, illos nihil læde bant. nam Acarnanes quocunq; cederent, in tutũ ſe celeriter recipiebant. Ageſilaus itaq; difficillimũ ratus anguſtias euadere, eos qui à ſiniſtra illum manu ingenti uehementer premebãt, adoriri ſtatuit: mons enim ea parte peditibus ac equitib. permeabilis erat. Dumq; ſacrificaret,

paßim

paßim Acarnanes iaculis ac ſagittis illum inceſſebãt, nec tamen propè accedebant, ſed eminus multos uulnerabãt. Sed ubi imperauit, procurrerunt qui decimũquintum à pubertate annum exceſſerant, & equites adfuerunt, & ipſe cum alijs ſubſecutus eſt. Itaq; qui deſcenderant Acarnanes, & læui prælio dimicabant, ſtatim inclinarunt, & moriebantur per accliue fugientes. Sed cũ ad cacumina, ubi grauis armaturæ erant milites, peruenirent, rurſus ſumptis haſtis ac iaculis equites feriebant, et equos quoſdam interfecerunt. Verũ cùm manum cum grauis armaturæ militib. conſerendam eſſe uiderent, rurſus fugã capeſſunt: occubuereq; die illa circiter tercentũ. His geſtis Ageſilaus trophæũ erigit, ac incurſionem in agros facit, cunctaq; ferro ac flamma uaſtauit. Aliquas quoq; cogenti bus Achæis aggreſſus eſt urbes, uerũ nullã cepit. Cumq; iam autumnus inſtaret, ex ea regione diſceſſit. At Achæi, quia urbem nullã ui aut ſpontè ceperat, nil illum egiſſe rati, ſaltem tantiſper eum manere rogabant, ut Acarnanes ne terræ ſemina mãdarẽt prohibere poſſet: quos ille haud rectè ſentire oſtendit: ego enim, inquit, ineunte uerè iterũ cum copijs adero: illi uerò quantò plus ſeminauerint, tantò citius pacis tenebuntur deſiderio. His dictis tale per Aetoliã iter facere inſtituit, quale inuitis Aetolis nunquã facere potuiſſet: uerũ illi minimè impedimento fuere: ſperabant enim Naupactum eius auxilio recuperare poſſe. At ille Rhium tranſgreſſus domũ reuertit. Atheniẽſes interea ex Oeniade triremibus progreßi, nauigationem ex Calydone in Peloponneſum prohibebant. Ageſilaus poſt exitũ hyemis ac ſub ueris initiũ, rurſus cũ exercitu in Acarnaniã tranſgreſſus eſt. Acarnanes quia mediterraneas

Acarnanes pacem petunt à Lacedæmonijs.

incolebant urbes, rati se nõ minus ab ijs obsideri qui frumenta corrumperent, q̃ si in urbibus circumsiderentur, legatos Lacedæmonem mittunt, pacemq̃; cum Achæis, societatem uerò cum Lacedæmonijs pepigere. Et Acarnanum res hoc pacto transacta est. Inde cùm Lacedæmonij haud tutum esse uiderent bellum Athenien sib. & Bœotijs inferre, relicta à tergo Argiuorum urbe hostili contermina ac magna, Argos primùm aggredi statuerunt. Agesipolis itaq; cùm sibi exercitum deducendum esse cerneret, ac pro felici transitu sacrificasset, Olympiam sortes consulturus profectus, deumq; sciscitatus est, num iustè Argiuorum inducias aspernari posset, quòd non cùm tempus postularet, sed tum cùm inuasuri essent Lacedæmonij, inducias offerrent. Et deus illi ostendit, iustum esse inducias nõ ritè oblatas respuere. Inde confestim Delphos transgressus, Apollinem quoq; interrogauit, num ipse eadem quæ & pater de inducijs sentiret. Ille uerò in eandem respõdit sententiam. Sic tandem Agesipolis accepto ex Phliunte exercitu (illic enim dum sortes cõsuleret collectus erat) per Nemeam irruit. Argiui cùm resistere posse diffiderent, præcones duos coronatos, uti consueuerant, inducias offerentes obuiã mittunt. At Agesipolis inducias quæ deis non ritè offerri uidebãtur, haud suscepit, sed ingressus, magnam difficultatem & terrorem tum ruri tum in urbe intulit. Cumq; die prima in Argiuorũ cœnasset terra, & libationes quæ à cœna fieri solent, iam factæ essent, terra mota est. Lacedæmonij itaq; cuncti Neptuno pæana exorsi sunt. Reliqui uerò milites reuerti debere censebant: nam cùm olim terræmotus factus esset, Agis ex Elide copias abduxerat. At Agesipolis ratus, si ante ingressum

sum terra mota esset, rectè incursum inhiberi: cũ iam in terra esset hostili, eo signo ad bellum se hortari interpretabatur. Postridie itaq; cùm Neptuno sacrificasset, cum copijs haud longè progressus est. Cumq; non diu antea Agesilaus in Argiuorum fines exercitum duxisset, Agesipolis quæsiuit, quampropè ad muros accessisset, ac quousque terram uastasset: tanq; enim pentathlos omnino illum superare contendebat. Cumq; aliquando ex propugnaculis in eum tela iactarentur, ea propugnacula quæ circum muros erant, iterum præterrectus est. Iam uerò cùm aliquando Argiuorum plurimi in Laconicã abiuissent, ita propè ad portas accessit, ut Bœotiorũ equites qui ingredi nitebantur, ab Argiuis excluſi sint: timebãt etenim ne Lacedæmonij pariter cum illis irrũperent, ita ut equites tanq; uespertiliones sub murorum propugnaculis delitescere cogerentur. Et nisi Cretenses in Nauplią procurrissent, multi cũ uiri tum equi in discrimẽ adducti fuissent. Inde cùm castra circũ ergastula collocasset, fulmẽ in exercitũ decidit: à quo aliqui afflati, nõnulli uerò icti occubuere. Deinde cũ uellet castellum quoddã murare in Celusæ faucibus, sacrificauit, et ei uictimæ sine fibris extiterunt. Quo facto, exercitũ reduxit ac dissoluit, magno detrimento affectis Argiuis: nam imparatos illos inuaserat. Et in terra bellum hoc pacto gerebatur. Quid uerò dum hæc agerentur, mari, ac à ciuitatib, gestum sit maritimis, deinde explicare conabor: resq; cognitu dignas scribam, minus uerò dignas prætermittã. Pharnabazus igitur & Conon cũ Lacedæmonios pugna uicissent nauali, circũna uigantes Laconũ præsidia, præfectos ex insulis ac maritimis eijciebant ciuitatibus, illisq; persuadebant, munitio-

nes nullas in his erigere, sed liberas dimittere uelle. Illi his auditis lætabãtur ac exultabant, donaq; affatim Pharnabazo mittũt. Ille enim à Cononе edoctus, si ita ageret, ciuitates omnes in amicitiã eius uenturas. Si uerò seruituti illas subijcere quæreret, unamquanq; ciuitatẽ illi haud parum impedimenti præbere posse: periculũq; fore ne Græci cùm hæc resciuissent, omnes illi resisterent. Pharnabazus itaq; his persuasus rationib. Ephesum descendit: Cononi autẽ quadraginta nauiũ classem tradidit, ac Sestum cõtendere iussit: ipse uerò itinere pedestri in suã se recepit præfecturã. Erat tum fortè cùm bello nauali pugnatũ est, Dercyllides hostis illi uetus Abydi, à quo nõ ut alij præfecti excideret, sed Abydum in Lacedæmoniorũ continebat amicitia: hic igitur cõuocatis Abydenis ita loquutus est: Nunc uobis, ô uiri, cũ ueteri amicitia ciuitati nostræ coniuncti sitis, propositũ est, ut benefactores Lacedæmoniorum uos ostendere possitis: etenim in felicitate fidem seruare nil arduũ esse uidetur: uerũ cùm quispiã in amici calamitate cõstans permanet, id omni æuo memoria retinendum erit. Proinde nos quãuis bello nauali uicti sumus, nõ tamẽ idcirco omnino perimus. Nam et antea cũ Athenienses maris tenerent imperiũ, ciuitas nostra et bene amicis, malè uerò inimicis facere potens fuit. Porrò quãtò leuius ciuitates reliquæ cũ fortuna à nobis deficiunt, tantò fides uestra maior & cõstantior apparebit. Si uerò ne terra mariq; hic obsideamur quidã uerentur, nouerint classem græcam nullam in mari esse. Quòd si Barbari Ponto imperare quærẽt, Græciã haud id toleraturã: sed dum ipsa sibi opitulabitur, nobis sociam futurã sciant. Abydeni igitur haud grauatè hæc audierũt, alacriterq; illi paruere, præfectosq;

Amicum in aduersis demũ cognosci.

fectosq; eò uenientes amicè accipiebant, abeuntes uerò omni prosequebãtur humanitate. At Dercyllides collectis in urbem multis ac fortib. uiris, Sestum transcendit (est oppidum id contra Abydum, haud plus octo stadijs diremptum) eosq; qui Lacedæmoniorũ causa terram habebant, in Cherroneso cõgregauit. Præfectos quoq; qui urbibus Europæ exciderant suscepit, eosq; haud nimium tristari debere ostendit, si perpenderẽt, quòd & in Asia, quæ sem per regis fuerat, Temnum, Aegios, & alias quoq; regiones incolere possent, quæ regi non parêrent. Sed quam munitiorẽ, inquit, Sesto inuenietis regionem? quamq; magis inexpugnabilem? quæ si obsideri debet, & peditatu & classe indiget. His dictis illos solatus est. At Pharnabazus postquam Sestum & Abydum in eo statu offendit, minaciter illis denunciat, ni Lacedæmonios eijcerent, prohostibus eos habiturum. Sed cùm non parêrent, Cononem eos à maris nauigatione prohibere iubet, ipse uerò Abydenorum uastabat agrum. Cumq; nil se proficere cerneret, domum regressus est. Cononem uero Hellespontiacas hortari iubet ciuitates, ut ineunte uere classem quammaximam cõpararent: siquidem Lacedæmonijs ob ea quæ passus fuerat irascebatur, quapropter eorum fines inuadere, & se de acceptis iniurijs quantũ posset uindicare nitebatur. Per totam itaq; hyemem his incumbebant. Vere Pharnabazus collectis nauibus, ac peregrino conducto milite, Conone quoq; secum assumpto, per insulas in Melum nauigauit, ut inde potissimum oram Laconicam inuaderet. Principioq; Pheras delatus, eam regionem ferro ac igni populatus est. Inde cùm in alijs quoq; maritimis descendisset locis, fœda populatione quantũ poterat omnia

uastauit. Verùm cùm oram eam importuosam esse cerneret, ueritus præterea auxilia hostilia, ac cõmeatus penuriam, celeriter inde regressus est, ac in Cytheriam translatus Phœnicuntem adortus est. At coloni qui Cytheriam habitabant, ueriti ne ui caperentur, urbem reliquere: quos omnes per inducias in Laconicam dimisit. Ipse Corinthiorum muro munito, præsidium ac Nicophebum Athenienſem præfectum in Cytherijs reliquit. His actis in Isthmum Corinthiorum transmisit, sociosq; ad bellum hortatus est, ac iussit ut uiros regi fidos se ostenderent, pecuniasq; omnes quas secum tulerat illis reliquit, exercitũ uerò in Asiã deportauit. Conon uerò illi suasit, ut classem ei attribueret, quã ex insulis alere promittebat: seq; enim in patriam reuersurum, ac longos muros restauraturum, Piræumq; muniturum obtulit: pro certo enim se scire aiebat, nil molestius hac re Lacedæmonijs accidere posse. Nam & Athenienſibus in his morem gesseris, & Lacedæmonios ulciscêris. Qua enim in re maximè laborarunt, eam tu omnino uanam ac inutilem reddes. Pharnabazus his auditis mox Cononem cum nauium parte Athenas dimisit, pecuniasq; illi ad opus elargitus est. At ille diligenter rem exequutus, breui muros refecit, ac in pristinum penitus restituit statum, fabris omnibus ac reliquis necessarijs regia solutis pecunia. Iuuerunt tamen Athenienſes, Bœotij, & ciuitates reliquæ, sua sponte. Corinthij interim pecunijs quas Pharnabazus reliquerat naues instruunt, ac milite complent: Agathinumq; classis constituunt præfectum, planeq; in Achaico ac Lechæo dominabantur sinu. Econtrà Lacedæmonij quoque classem comparant, cui Polemarchum præficiunt. At cùm ille

Conon muros Athenarum instaurat

in

in cõflictu quodã cecidisset, itemq; Polis classis præfectus uulneratus discessisset, Erippides classem suscepit: Proænusq; Corinthius naues, quæ cũ Agathino erant, accepit, ac Rhium dereliquit: quod quidem Lacedæmonij iterum occuparunt. Inde Teleutias ad Eripidi peruenit naues, & ille sinum rursus in Lacedæmoniorũ redegit potestatẽ. Lacedæmonij interea audientes Cononem muros Athenienses ex regijs instaurare pecunijs, classemq; ex insulis & ciuitatib. maritimis Epiri alere, rati si Tiribazum regis præfectũ in suas traducerent partes, Cononẽ amplius classem sustentare haud posse, Antalcidem ad Tiribazum qui hæc ageret, mittũt: simul adniti iubent, ut pacem cum rege cõponere posset. Athenienses his animaduersis, Cononem, Hermogenem, Dionem, Callisthenem, & Callimedontem legatos in Asiam mittunt. Thebani, Corinthij, & Argiui suos & ipsi misere legatos. Antalcides cùm ad Tiribazum uenisset, illi se à ciuitate, ut pacem à rege peteret, missum ostendit esse: cõditiones uerò esse tales, quales rex ipse olim desiderasset. De Græcis enim quæ in Asia erãt ciuitatibus, Lacedæmonios regi minimè impedimento fore, quò minus illis arbitratu suo uteretur. Insulæ uerò omnes ac reliquæ ciuitates liberi iuris essent. Cũq; ita sentimus, inquit, cur nam Græcos, aut regem contra nos bellũ gerere, pecuniasq; dilapidare necesse est? Nam aduersus regem militare nec Athenienses poterunt, cũ nos duces non erimus: neq; nos, cũ ciuitates sui iuris erũt. Placuere uehementer Tiribazo Antalcidis sermones. Sed hæc in cõtrarium trahebant. Nam & Athenienses in ciuitatum libertatem consentire formidabant, ne Lemnũ, Imbrum & Scyrum dimittere cogerentur: Thebani quoque

Lacedæmonij pacem a Persa petũt.

ne Bœotiæ ciuitates illis adimerentur timebãt. Argiui uerò, si hæ admitterentur cõditiones, formidabant, ne Corinthum, quemadmodũ & Argos, obtinere nõ possent: quapropter pacem turbarunt, ac re infecta singuli domum abiere. Tiribazus apertè absq; regis consensu cum Lacedæmonijs sentire haud tutum ratus, clàm Antalcidæ pecunias dedit, ut eo pacto Lacedæmonij rem naualem instaurare possent, Athenienses q; ac socij ad pacem propensiores redderentur: Cononem uerò, tanq; regem iniuria affecisset, ueraq; dicerent Lacedæmonij, in uincula coniecit. Inde ad regem ascendit, illiq; ostendit quæ Lacedæmonij dixissent, ac quemadmodũ Cononem iniurium cõprehendisset: sciscitatusq; est, quid de his omnib. rex fieri uellet. Cæterũ rex dum Tiribazus secum agit, Struthan in maritimam Ioniæ mittit prouinciam. Erat Struthas uehementer Athenienslb. ac socijs affectus, memor quanta mala prouinciæ regiæ ab Agesilao perpessæ essent. Lacedæmonij cùm Struthan ipsis inimicum, Athenienslbus uerò amicum esse cognouissent, Thimbronem cum classe in Ioniam contra illum mittunt. Is ex Epheso & urbibus in Mæandri campo sitis, Priene, Leucophryo & Achilleo, regios ingressus fines, cuncta uastando agebat ac ferebat. Procedente tempore cùm Struthas Thimbronem omnia inconsultè ac temerè agere cognouisset, equitatũ uniuersum illac transmisit, equitibusq; mandauit, ut admißis equis, quantum possent in Græcos impetum facerent. Contigit ea die Thimbronem sumpto prandio apud Therſandrum tibicinem agere: erat enim Therſander non solùm tibicen egregius, sed & bellicas uires, utpote Laconisans, sibi uendicabat. At Struthas Græcos dißpalatos nactus, in illos

illos improuisus copioso ruit equitatu, Thimbronemq; ac Therſandrum in primis occidit. His cadentibus reliqui omnes in fugam uerſi ſunt: quos inſequuti Perſæ ingentẽ ædidere cædem. Fugientes nõnulli, in urbes pacatas euaſerunt, et eorum quidem bona pars, quia ſerò intellectum eſt ſuccurrere Tiribazũ. Sæpe enim tum ne monitis quidem militib. auxilium ferebat. His ita geſtis, Rhodij qui à populo eiecti erant, Lacedæmonẽ uenerũt, oſtenderũtq; haud tutum Lacedæmonijs eſſe, ſi negligerent, ut Athenienſes Rhodum ſubigerent, in tantamq; euaderent potentiam. Lacedæmonij cùm intelligerent, ſi populus uinceret, Rhodum uniuerſam in Athenienſium cõceſſuram poteſtatem: ſi uerò locupletiores ſuperarent, haud dubiè inſulam ipſorũ ſequuturam partes: naues inſtruunt octo, præfectumq; illarum Ecdicum conſtituunt. Miſerunt & cum his Diphridem, quem in Aſiam proficiſci iubent, ac eas quæ Thimbronem acceperant urbes retinere, & aſſumptis exercitus reliquijs, alium ſicunde poſſet colligere, & Struthæ bellum inferre, mandant. Diphridas mandata exequutus, & alia aſſecutus eſt, & Tigranem Struthæ generũ Sardis proficiſcentem cum uxore cepit: cum quo magna quoq; pecuniarum uis in eius redacta eſt poteſtatem, ita ut militibus inde ſtipendium ſoluere poſſet. Eratq; uir ille non minus Thimbrone acceptus, cæterùm dux magis cõpoſitus & acrior, nec uoluptatib. deditus, ſed ſemper quicquid aggreſſus erat, id agebat. Ecdicus uerò Gnidum proceſſit: ubi cum populum Rhodium omnia in poteſtatem ſuam redegiſſe, terraq; ac mari ſuperiorem eſſe cognouiſſet, præterea duplo plures q̃ ipſe habebat inſtruxiſſe triremes, quietem in Gnido egit. Cæterùm La

Thimbron ou Lacæ. occumbit.

cedæmonij cùm resciuissent illum uiribus inferiorem, q̃ ut amicis succurrere posset, Teleutiã cum nauib. duodecim, quas in Achaico & Lechæo habebat sinu, ad Ecdicũ nauigare iubent: illi uerò imperiũ abrogant, Teleutiæq; amicorum curam gerere, hostes quoq; quammaximè posset damno afficere mandant. Teleutias cùm Samum uenisset, acceptis ibi nauib. Gnidum nauigat: & domum profecto Ecdico, ipse Rhodum cum nauib. septem & uiginti proficiscitur: cui in uia obuiam factus Philocrates Ephialti filius, qui cum triremibus decem ab Athenis Cyprũ in Euagoræ auxilium properabat, cum nauib. ab eo captus est. Agebat populus uterq; sibijpsi maximè contraria. Athenienses enim contra regem amicum, Euagoræ, qui illi bellum mouerat, auxilia mittebant. At Teleutias, cum Lacedæmonijs bellum cum rege esset, eos deleuit, qui aduersus eum nauigabant. Rursus igitur Gnidum reuertitur, ubi diuendita quam ceperat præda, iterum Rhodum nauigat, ac illis qui secum sentiebant, opem ferebat. Athenienses cognito Lacedæmonios rursus mari imperare, Thrasybulum Styrea cum quadraginta emittunt nauibus. Ille uerò ubi Lacedæmoniorum opes circa Rhodum pollere cognouit, ab insula abstinuit. Haud facilè enim ei uidebatur Lacedæmoniorum amicos superare posse, cùm muros obtinerent: præcipuè cùm Teleutias cum classe illis opem ferret, Athenienſiumq; amici ab aduersarijs superati essent, longeq; hostes superiores essent. Cursum igitur in Hellespontum deflexit: ubi cùm nullus esset hostis, rem magnam se peracturum sperabat. Amadocum igitur Odrysiorum regem, & Seuthen, qui maritimis imperitabat oris, inter se disceptantes suo interuentu pacauit,

Athenien-

Athenienſibusq; amicos ac ſocios reddidit, ratus ciuitates quoque Græcas quæ in Thracia, ac illis amicæ erant, propenſiores hanc ob rem in Athenienſes fore. Cumq; ciuitates Aſiaticas ob amicitiam regis rectè ſentire intellexiſſet, Byzantium nauigat, decimamq; à Ponticis uendidit nauibus: paucorumq; ibi potentia ſublata, populare regimen induxit, effecitq; ut Byzantinus populus haud grauatè Athenienſes quamplurimos in urbe cerneret. His actis, Chalcedonijs quoque in amicitiam receptis, tranſmiſſo Helleſponto, Leſbi ciuitates omnes, præter Mitylenem, Lacedæmonijs ſtudere reperit: nullam tamen antea tentare auſus eſt, priuſquam militibus ſuis, quos ſecum circiter quadringentos adduxerat, ciuitatum exules qui Mitylenem confugerant, adiunxiſſet. Mitylenæorum præterea robuſtioribus ſecum aſſumptis, primores in ſpem erexit, ſi ciuitates ſubigeret, uniuerſæ imperaturos Leſbo. Exulibus quoque oſtendit, ſi unà ſentirent, cunctos in ciuitates reduci poſſe: militibus uerò, ſi Leſbum ad amicititiam traducerent, fore ut patria multis abundatura eſſet pecunijs. His dictis illos ſolatus eſt, confeſtimq; ad Methymnam duxit. Therimachus Lacon, qui Methymnam præſidio obtinebat, cùm Thraſybulum aduentãtem audiſſet, aſſumptis turmis naualibus, Methymnæis quoque ac Mitylenæorum quotquot aderant exulibus, illi obuiam pergit, pugnaq; commiſſa Therimachus cecidit: reliqui multis ex ſuis amiſſis, in fugam uerſi ſunt. Inde cæteras aggreſſus urbes, in ſuam redegit poteſtatẽ: qui uerò minus parebant, illorum agros populatus, militi ex ea præda ſtipendium perſoluit. Rhodum inde ire contendit: & ut exercitum copioſum contrahere poſſet,

undique ex ciuitatibus argentum non paruum corrasit. Cumq; Aspendum uenisset, ad Eurymedontem progressus est flumen: cumq; iam pecunias ab Aspendijs haberet, militesq; illorũ uastassent agros, irati Aspendij nocte illum aggressi in tabernaculo obtruncant. Et Thrasybulus uir insignis ac probus, hunc exitum sortitus est. In eius locum Argyrius ab Athenienſib. est missus. At Lacedæmonij cùm decimam ex Ponto in Byzantio ab Athenienſibus uenditam esse resciuissent, Chalcedonemq; & reliquas ciuitates Helleſpontiacas ob Pharnabazi amicitiam cum illis sentire, in haud mediocrem inciderunt curã. Verùm quãuis Dercyllidem nulla in re culpare possent, Anaxibius tamen persuasis Ephoris, qui illi amici erant, egit ut ipse præfectus Abydum mitteretur, pollicitus si milites ac naues sibi traderẽtur, Atheniẽsium res in Helleſponto turbaturum, effecturumq; ne illis tam prosperè cuncta ibi cederent. Lacedæmonij igitur triremes tres, & quantum opus esset ad mille mercenarios milites, illi attribuere, cum quibus in Asiam nauigauit: mercenarioq; collecto milite ciuitates nõnullas Aeolidas Pharnabazo ademit, ex Abydoq; procedẽs, hostilẽ undiq; uastabat terram: naues quoq; tres alijs addidit, quas ex Abydo suppleuit, quibus ubiq; Athenienſib. ac socijs incumbebat. Athenienses cùm de his certiores facti essent, ne cuncta quæ Thrasybulus in Helleſpõto subegerat, ab eis alienarentur, timebãt. Iphicratem igitur cum nauib. octo, ac clypeatis mille duobus in prouinciam mittunt, quorum pars maior erat eorum quibus Corinthi præfuerat. Cùm enim Argiui ex Corintho Argos feciſſent, negarant se illis egere: nam & quosdam qui Argiuorum rebus fauebant, interfecerat.

Thrasybuli obitus.

Atq;

Atq; ita cũ Athenas discessissent, domi se tenebat. Cùm uerò in Cherronesum peruenissent, sub initium Anaxibius et Iphicrates latrones submittentes, utrinq; se infestabant. At procedente tempore cùm Iphicrates Anaxibium cum mercenario milite omni, Lacedæmonijs & Abydenis duobus Antandrum petijsse resciuisset, audiuissetq; Antandri amicè illum receptũ esse, suspicatus eum, relicto præsidio, Abydenos rursum domum abducturũ, nocte clanculum per Abydenorũ transgressus desertos fines, in montibus occultè consedit. Triremes uerò quæ illum adduxerant, Cherronesum superare iubet, ut eo pacto pro colligenda pecunia, uti cõsueuerat, proficisci uideretur. Hæc cùm egisset, haud opinione deceptus est. Anaxibius enim cùm die illa minimè sacrificasset, regressus est. Nam cùm sibi per pacatũ, ac ad urbem sociã transeundũ esset, Iphicratem uerò Proconnesum abisse existimaret, negligenter ac solutiore cura iter agebat. Iphicrates quandiu Anaxibij exercitus in planicie erat, ex insidijs haud surrexit: uerum cũ Abydeni iam in Paracremastũ essent cãpo, ubi & aurũ effodiũt, ac reliquæ copiæ in decliui essent, & Anaxibius tum primũ descenderet cũ Laconicis, tum Iphicrates ex insidijs surgit, & in illum cursu fertur. Anaxibius intelligens nullam esse spem salutis, uidens suum exercitũ & in longum distensum, & in angustum cõclusum esse, et existimans eos qui antecesserant non posse sibi apertè in accliue succurrere: uidens præterea omnes perterritos animaduersis insidijs, eos qui aderãt sic alloquitur: Viri, pulchrum erit me hìc occũbere: uos uerò antea q̃ manus cum hostib. conseratis, abite, patriæq; uos seruate. His dictis accepto ab armigero scuto, egregiè pugnans, ibi cecidit. Anaxibij interitus.

dit: occubuereq; cum eo Lacedæmoniorum præfecti, qui illũ undiq; ex ciuitatib. sequuti erant, duodecim circiter: reliqui partim fuga cæsi, partim uerò elapsi sunt: quos hostes ad urbem usq; sunt insequuti. Desiderati sunt pugna ea milites circiter ducenti, Abydenorũ uerò quinquaginta. His gestis Iphicrates rursus in Cherronesum abijt.

XENOPHONTIS RERVM GRAECARVM LIBER QVINTVS, BILIbaldo Pirckemero interprete.

ET circa Hellespontum res Atheniẽsium ac Lacedæmoniorum in eo erant statu. Eteonicus interim in Aegina agebat, quæ olim Athenienſibus adhæserat: sed postquàm bellum apertè mari gerebatur, cõsentientibus Ephoris, Aeginetis libera latrocinandi ex Attica facultas cõcessa est. Athenienses itaq; cũ haud paruo afficerentur damno, triremes decem cum præfecto Pamphilo, ac militib. nõ paucis, in Aeginam mittunt: qui Aeginetas muro clauserunt, terra mariq; obsederunt. Teleutias cùm insulas pro exigendis circumiret pecunijs, ac de obsidione certior factus esset, in auxiliũ aduolat, classemq; protinus discedere coegit: at murum Pamphilus præsidio seruabat. Aduenit interim à Lacedæmone Hierax classis præfectus, nauesq; suscepit: Teleutias uerò felicissimus domum abijt: cùm enim discessurus nauem ascenderet, nemo non militum dextram ei iunxit, & ille eum coronabat, alter sertis decorabat: qui uerò ob turbam accedere non possent, coronas in mare proijcientes, fausta ac felicia illi precabãtur. Quãtuis autem non ignorem, rem nec arduam, nec admodum memo-

memoria dignam me narrare: per Iouem tamen uiro bono haud indignum esse arbitror, si diligenter perpendat quidnam Teleutias egerit, per quod talem sibi militũ conciliauerit beneuolentiam: quandoquidem id opus, diuitijs, periculis, & memorandis rebus, uiro longè præstantius arbitror. Hierax acceptis nauibus iterum Rhodum nauigauit: Gorgopam uerò præfectum cum duodecim triremibus in Aegina legatũ reliquit: contigitq; hoc pacto Athenienses, qui in præsidio erant, potius obsideri, quàm obsidere. Ea re moti Athenienses, missis nauibus, quinto postquàm Aegina obsideri cœpta est mense, præsidium ex insula euexerunt. Soluta obsidione, Athenienses rursus à piratis & Gorgopa infestabantur: quam ob rem coacti rursus tredecim instruxerũt triremes, quibus Eunomum præfecerunt. Lacedæmonij Hieraci cùm Rhodi esset Antalcidem dedêre, Tiribazo rem gratißimam se facturos arbitrati. Antalcides itaq; cùm Aeginam uenisset, Gorgopæ secum acceptis nauibus, Ephesum nauigauit: Gorgopam uerò rursus cum nauibus decem Aeginam remisit, reliquis Nicolochũ præfecit. Et Nicolochus ut Abydenis præsidio esset, illac traiecit, Tenedumq; aggressus, agrum igni ac ferro uastauit, acceptisq; pecunijs Abydum concessit. Athenienſium uerò duces è Samothracia, Thaso, & ora ea collecti, Tenedensibus opem ferebant. Verùm cùm certiores facti essent Nicolochũ cum nauibus Abydum nauigasse, illum habentẽ uigintiquinq; naues, ex Cherroneso insequuti triremibus triginta duabus, obsidione cinxerunt. Gorgopas interim cùm ab Ephesо discederet, in Eunomum incidit, quem tunc in Aeginam fugit, quò paulò ante Solis peruenit occasum, ubi na-

uibus egressus milites cœnare iussit. Eunomus cũ aliquantisper substitisset, tandem abijt. Nocte uerò lumen habẽs, ut fieri solet, soluit, ne subsequentes aberrarent. At Gorgopas cõfestim ascensis nauibus illum occultè insequutus est: & ut hostes præcedentes latêret, gubernatores prouoce, lapidũ crepitu et remorũ motu uti iussit. Cumq; Eunomi naues iuxta Zosterẽ in Attica terræ applicuissent, ille concentu tubarũ hostes aggressus est. turmæ nauales partim in terrã descenderant, partim adhuc salo fluctuabant. Pugna igitur ad lunæ splendorem facta, Gorgopas quatuor captis nauib. Aeginã regressus est: reliquæ uerò Atticæ naues in Piræum perfugerunt. Chabrias interim cùm in Cyprũ nauigaret, ut Euagoræ octingentis clypeatis, triremib. decẽ opem ferret, acceptis alijs quoq; nauib. ac militibus Atticis, nocte in Aeginam descendit, ac in uallo concaua ultra Herculis templũ cum militib. occultè cõsedit. Orta die Dimænetes ut cõuenerat, cum graui aderat armatura: qui Herculis prætergressus templum circiter stadia sedecim, ad eum locum qui Tres turres appellatur, peruenit. Gorgopas cũ de hostium aduentu certior factus esset, cũ Aeginetis ac turmis naualibus, Spartanisq; qui tum fortè nouem aderant, obuiã pergit: nautas quoq; qui liberi essent, per præconẽ subsequi iussit: hi uarijs ac quibus poterant circundati armis, sequi festinabant. Cũq; primi insidias præterijssent, milites qui cũ Chabria in insidijs latebant, insurrexere: statimq; undiq; sagittis ac iaculis hostes degrauabant: inde impressionem in eos fecerũt. Abierunt autem armati qui ex nauibus descenderant. Et primi quidem, utpote qui nusquã conserti essent, statim mortui sunt, quorũ erat Gorgopas et Lacedæmonij. Qui

postquàm

postquàm ceciderunt, reliqui in fugam uertuntur: occubuereq; ex Aeginetis centum quinquaginta circiter, peregrini uerò milites, inquilini & nautæ, haud pauciores duocentis. Ex hoc tempore Athenienses sine cõtrouersia maris tenebant imperium: nauales enim turmæ, quamuis Eteonico cogente, amplius naues ascendere nolebant, quia stipendium illis non soluebatur: quapropter Lacedæmonij rursus Teleutiam nauib præficiunt. Quem cũ milites aduentantẽ uidissent, ualde gauisi sunt: ipse uerò concione aduocata ita disseruit: Viri cõmilitones, ego quamuis pecunijs uacuus huc aduenerim, si dij annuerint, uosq; strenuam præstiteritis operã, cuncta uobis necessaria suppeditare conabor: siquidẽ nõ ignoratis, quandiu uobis præfuerim, non minus uestram, q̃ propriam quæsiuisse salutem. Et mirabimini fortasse si dixero, maiorem esse mihi uestrorum cõmodorum rationem, q̃ meorum. Atqui ego (deos testor) mallem potius per biduũ absq; cibo agere, q̃ diem unam uos ieiunos aspicere. Si igitur unq̃ antea fores meæ petere quid uolenti patuere, nunc maximè apertæ erunt: adeò ut cùm necessarijs uos abundare intelligã, me lautius uiuentem uisuri sitis. Quòd si me frigora, calores, uigilias sustinentem uidebitis, existimate uobis quoq; similia toleranda esse: quãuis nil horum uos facere iubeo ut doleatis, sed ut emolumentum inde accipiatis. Quòd enim ciuitas nostra, ô cõmilitones, ad illud quod cernitis felicitatis peruenit fastigiũ, totq; immensis ac opulentis prædita est bonis, nõ socordia & rerũ accidit desidia, sed laborando, periclitando, & bene cõsulendo, eò dignitatis processit. Agitè igitur cũ antea, ut optimè noui, uiri fueritis fortissimi, nunc etiam meliores euadere annitimini, ut

Teleutiæ concio.

cùm strenuè simul laborauerimus, suauiter quoq; unà laboris præmium sumere posimus. Quid enim dulcius, q̃ nulli hominum, seu Græco, seu Barbaro, adulari, uerùm unumquenq; sibi ipsi sufficientem ad res necessarias suppeditandas existere? maximè unde & pulcherrimum est. Nam ab hostibus parta abundantia non solùm, ut nostis, cõmeatum, sed & gloriã inter omnes præbere solet homines. Milites his auditis una uoce clamare cœperũt, quid eos facere uellet, ostenderet. At ille: Agitè ô uiri, inquit, cœnate, frumentumq; diei unius mihi exhibete, inde cõfestim naues ascendite, ut eô nauigantes quô deus uoluerit, perueniamus tempori. Cumq; omnes naues cõscendissent, nocte uersus Atheniensem nauigat portum, modò quiescens ac dormire iubens, modò remigio pergens. Quòd si quis insipienter illum cum triremibus duodecim rem tam arduã aggressum esse existimat, is qua ratione motus fuerit, audiat. Arbitrabatur enim oppresso Gorgopa, Athenienses omnia solutiore cura in portu agere, naualiaq; omni præsidio destituta esse. Quòd si aliquæ triremes Athenis instructæ essent, existimabat tutius esse aduersus naues uiginti Athenis mouere, quàm alibi contra decem: nam ibi turmæ nauales in nauibus excubare cogebantur, Athenis uerò præfectos domi quenq; dormire: nautas uerò hinc inde sparsos quiescere cognoscebat. Hac ratione motus, rem tantam adoriri ausus fuit. Cumq; iam quinque aut sex à portu abesset stadijs, ut dictum est, quietem egit. Orta die primus portũ irrumpit, triremes uerò reliquæ subsequebantur. Minora igitur nauigia demergere non sinebat, neq; corrumpere, suis nauibus. Quòd si quam triremem erumpere conantem uidissent, confestim eam

eam opprimebant: onerarias uerò naues religatas ac plenas abducebant: in maiora quoque transgressi nauigia ubicunq; poterant homines inde rapiebãt. Quidã etiam in terram desilientes, mercatores quosdam ac gubernatores comprehendebant, illosq; in suas traducebant triremes. Et illi his intenti erant. Athenienses uerò qui in urbe assistebant, audito tumultu, ut causam clamoris discerent, extra urbem currebant: at qui extrà erant, introrò pro capiendis ferebantur armis: alij in urbem nunciatum ibant. Athenienses itaque uniuersi tam pedites quàm equites in subsidium, tanquam Piræo capto, aduolant. Teleutias uerò inde digressus, captas naues Aeginam mittit, quas triremes tres uel quatuor præsidij causa concomitari iubet: cum reliquis ipse circa Atticam, utpote ex portu nauigãs, multos piscatorios excepit lembos: oneraria quoque nauigia haud pauca hominibus plena, quæ undique ex insulis aduentabant, cepit. In Sunio quoque holcades quasdam cùm frumento, tum mercibus onustas, oppressit. His actis rursus Aeginam reuehitur, ubi diuenditis spolijs, militibus menstruum persoluit stipendium. Alia deinde aggressus loca, quæcunque poterat diripiebat: atque hæc faciens, & plenas naues alebat, & milites ad omnia obeunda pericula alacriores & promptiores habebat. Antalcides interim per Tiribazum cum rege societatem inijt: cui & auxilium promissum est, ni Athenienses & socij pacem quam ipse obtulerat, susciperent. Cùm uerò Nicolochum cum nauibus Abydi ab Iphicrate & Diotimo obsessum esse intellexisset, cum peditatu Abydum contendit: ibi acceptis nauibus nocte discessit, sermonemq; disseminauit, tanquam ab Chalcedonensibus

accerseretur. Cumq; Percopē peruenisset, quietem egit. Quod cùm hi qui cum Dimæneto, Dionysio, Leontichide & Phænia erant resciuissent, cōfestim illum in Proconnesum insequuti sunt: quibus prætergressis cōuersus ille Abydum reuersus est, ibiq; Polyxenū expectabat, qui cū uiginti Syracusanis ac Italicis aduentabat nauibus, ut eas quoque acciperet. Interim Thrasybulus Cotaliteus ex Thracia nauib. aduenit octo, Atticæq; classi cōiungi quærebat. At Antalcides cū speculatores illi triremes octo præternauigare significassent, naues duodecim celerrimas mittere cōfestim implet, reliquas occultè subsequi iubet. Cūq; hostes iam prætergressi essent, illos insequitur: id cū uidissent, fugam capiunt. Tardiores itaq; cū suis celerioribus confestim assequitur. At primorib. qui cum ipso nauigabant mandat, ne ultimas aggrederentur, sed semper anteriores assequi niterentur: quæ cùm captæ essent, & nouissimi priores comprehensos cernentes, ipsi quoq; omni propter tarditatem deposita spe, capti sunt, ita ut omnes in hostium uenirent potestatē. Aduenere interim Syracusanæ naues uiginti, necnō aliæ ab Ionia et Tiribazo, quæ in Ariobarzani instructæ erant finibus: erat enim pridē hospes Ariobarzano. Aderant etiam à Pharnabazo naues, cui iam regis filia nupta erat. Cùm igitur classis octoginta nauiū superaret numerum, Antalcides totius maris obtinuit imperiū, ita ut Athenienses à nauigatione inhiberet Pontica, illaq; ad socias diuerteret urbes. Athenienses cùm hostes nauiū multitudine pollere uidissent, uerebantur ne ut aniea obsidione circundarentur, præcipuè cùm Lacedæmonios regis socios effectos cernerent. Infestabantur insuper ex Aegina à piratis. His omnibus coacti i causis, pa-

sis, pacem uehementer desiderare cœperunt. Lacedæmonij quoque cùm cohortem Lechæi, aliamq; Orchomeni, præsidij causa alere cogerentur: insuper urbes has ne caperentur, alias ne deficerent, milite munire necesse haberent: circa Corinthum quoq; negociũ illis haud paruum iniectum esset, grauiter bellum ferebant. Argiui quoq; uidentes quòd præsidia alere cogerentur, neq; quicquam iam induciarum oblatione iuuarentur, & ipsi ad pacem inclinati erant, ita ut cùm Tiribazus nunciasset, qui regium edictum de pace audire uellent, præstò essent, omnes extemplò conuenerint: quibus collectis, Tiribazus regium ostendit signum, literasq; hæc continentes legit: Artaxerxes rex æquum esse censet, ciuitates Asiaticas sibi parere: ex insulis quoq; Clazomenas & Cyprum: reliquas ciuitates Græcas tum paruas, tum magnas, liberi iuris esse sinit, præter Lemnum, Imbrum & Scirum: illæ siquidem ut ab initio fuere, Athenienſium sunto. Quicunq; uerò pacis conditiones has minus susceperint, his ego cum ijs qui eadem uolunt, terra mariq;, nauibus ac pecunijs, cunctis deniq; uiribus bellũ inferã. Hæc cùm ciuitatũ audijssent legati, domum renunciant: & reliqui omnes pacem iuramento firmarunt, exceptis Thebanis, qui omniũ Bœotiorum uice iurare uoluerunt: quod iuramentũ Agesilaus haud susciendum esse asseruit, ni id quemadmodũ regiæ iuberent literæ, præstaretur, nẽpe ut paruæ ac magnæ ciuitates liberi iuris essent. Thebanorũ uerò legati, hæc in mandatis non habere respõderunt. Ite igitur, Agesilaus inquit, ac interrogate, uestrisq; hæc nunciate: si non parebunt, extra pacis futuros conditiones. Et illi discesserunt. Agesilaus uerò propter Thebanorum odium nil cun-

ctatus est, sed Ephoris in suam traductis sententiam, con festim rem sacram fecit: cumq; litasset, Tegeam transijt, equitesq; undiq; ad circumiacentes misit ciuitates, qui socios festinè cõuenire iuberent. mercenarios præterea accipiuit milites. Sed anteq̃ ex Tegea moueret, aderant Thebani, offerentes se ciuitates liberas dimissuros. Sicq; Lacedæmonij domum regressi. Thebani uerò pacis conditiones acceptare, Bœotiæq; ciuitates sui iuris reliquere coacti sunt. Cæterũ cùm nec Corinthij Argiuorum dimisissent præsidium, Agesilaus ijs quoq; bellum cõminatus est, ni ex urbe præsidiũ emitterent: pariter & Argiuis, ni suos abducerent. Qua denunciatione utriq; territi, Argiui urbe excessere, Corinthumq; liberã reliquere. Id cùm cædis rei, quiq; illis adhæserant, didicissent, & ipsi ex Corintho aufugere: reliqui uerò ciues haud inuiti exules recepere. His actis, ac pace quam rex dederat ab omnibus suscepta ciuitatibus, exercitus utrinq; tam terra q̃ mari dissoluti sunt: & inter Lacedæmonios, Athenienses ac socios, post anteactum bellũ, in quo Atticæ diruti sunt muri, hæc prima subsecuta pax est. Cumq; in eo bello Lacedæmonij hostibus uiriliter restitissent, multò maiorem curã habuerũt eius pacis quæ ab Antalcida denominata est: siquidẽ regij pacis executores constituti, ciuitates in libertatem uendicarunt, Corinthumq; in societatem recepere. Thebanos quoq; coëgere, ut Bœotiæ ciuitates, quod diu desiderarant, suo permitterẽt iure uiuere. Argiuos quoq; ut à Corintho abstinerent, perpulere: bellum interminati, ni inde præsidium deducerent. His ita ex sententia dispositis, uisum est eis ita cum socijs qui egregiè se in bello gesserant, quiq; in hostes propensiores fuisse uiderentur, agere, ne aliquo

aliquo pacto ab illis quandoq; deficere possent. Primò igitur ad Mantineos miserũt, eosq; muros diruere iusserũt, prædicantes haud aliter illis fidere posse, ne ad hostes deficerent: siquidem pro comperto se habere asserebãt, quòd Argiuos hostes frumento iuuarent. Illis præterea crimini dabãt, quòd inducias prætendentes, unà militare renuissent: & si quandoq; cum eis in militiam exiuissent, data opera ignauiter se gessissent. Noscere præterea aiebant, illos iniquo ferre animo, si quid boni eis accidisset: rursus si in calamitatem incidissent, gaudio non mediocri efferri ferebãtur. hocq; anno fœdera tricennalia, quæ post Mantineum bellum facta erant, exiuisse dicebantur. Cæterùm cùm Mantinei muros diruere nollent, bellum eis inferre decreuerunt. Agesilaus uerò expeditionem hanc deprecatus est, ostendens beneficia à Mantineorum ciuitate multa ac egregia, tempore Messenici belli, in patrem suum collata: quapropter Agesipolis exercitum eduxit, quamuis & pater ipsius Pausanias, Mantinensi populo summa beneuolentia deuinctus fuisset. Primò igitur prædabundus per agrum discurrit, incendioq; cuncta uastat. Sed cũ hostes intra muros se tenere cerneret, fossam profundam urbem circa effodere instituit, dimidiamq; exercitus partem laborantibus præsidio esse, ac quiescere, aliam uerò labori intendere iussit. Perfecto opere securius iam circa urbem ædificabat. Verũ cùm cõsideraſſet urbẽ frumento copioso refertam, omnisarioq; cõmeatus genere abundare (nam fertilitas magna in priorem inciderat annum) ueritus ciuitatem ac socios ægrè laturos, si tanto tempore cum exercitu urbẽ obsideret, fluuij cursum, qui haud exilis urbẽ intersecat, sistere conatus est: obstructo

Mantinei muros iubet dirui a Lacedæmonijs, quæ cum infecta ab illis maneant.

Mantinei à Lacedæmonijs coacti, ut obstructione et retentione aquarum depositionem facerent compulsi in muris diruti per vicos habitare coacti sunt.

enim illius decursu, supra domorũ ac murorũ fundamẽta stagnare coẽgit. Cumq; aßidua inundatione inferiores alluerentur lateres, superioresq; pondere murum degrauarent, primo fathiscere, inde penitus ruinã minari cœpit. At Mantinenses, ne turres decidẽrẽt, munimentis ac operibus resistẽbant ligneis, & in id per tempus aliquod elaborabant. Verùm cùm fundamenta uehemẽti undæ premerentur stagnatione, ucrebantur ne si murus per circuitum rueret, ui caperentur: quapropter se iussa facturos paratos esse obtulerunt. At Lacedæmonij illos in deditionem amplius recipere noluerũt, ni per uicos habitarent: at illi necessitate coacti, in id quoq; cõsensere. Cũq; quæstores ac populi præsides mortẽ formidarent, pater ab Agesipoli de illis securitatem impetrauit, ut omnes (sexaginta erãt) salui ab urbe discedere possent: & Lacedæmonij iuxta portas ab utroq; uiæ latere cum hastis stabant erectis, illos egredi uidentes & odio prosequentes, & tamen ab eis se continebant facilius, q̃ fecissent optimates Mantinensium. Atq; hoc dictum esto magnum obedientiæ argumentum. Inde muri diruti sunt, ac in quatuor partes Mantinea dispersa est, quemadmodũ & olim habitabant. Admodum igitur sub initiũ ægrè ferebant, quòd domus proprias subuertere, ac nouas ædificare cogerẽtur. Verũ cũ qui facultates habebant propius prædia habitarent, quæ circũ pagos habebant, & optimatũ principatu uterentur, & à tribunorũ molestia liberati essent, ea re lætabantur: & Lacedæmonij illis ex cõmuni sententia præfectos inde miserũt, multoq; alacrius ex uicis militabãt q̃ antea, cùm in populari degerent statu. Et quæ circa Mantineã hoc pacto gesta sunt, prudentiores reddiderunt homines,

ne per

ne per urbes flumina deriuarent. Eodem tempore Phliasiorum exules, cũ Lacedæmonios diligenter perpendere nouissent, quemadmodũ sociorum singuli in bello se gessissent, temporis freti opportunitate, Lacedæmonẽ uenere, illisq; ostenderũt, quãdiu ipsi urbem inhabitassent, Lacedæmonios in urbem receptos esse, in militiãq; ciues quocũq; ducti essent, subsecutos fuisse: eis uerò expulsis, Phliasios sequi nequaq̃ uelle, solosq; omnium hominũ Lacedæmonios intra mœnia nõ admitterent. His auditis, Ephori rem hanc haud contemnendam esse rati, legatos ad Phliasiorum mittunt ciuitatem, qui dicerẽt, Exules Lacedæmonijs amicos esse, eosq; iniustè urbe pulsos: dignum igitur censere illos sponte suscipere, non ui. Phliasij his auditis, uerebantur ne bellum eis inferretur. Cumq; à plurib. hortati essent ut exules reducerent (nam multi exulum consanguinei, qui illis fauebãt, in urbe remanserant: erãt & quidam, qui, ut in pluribus accidere solet ciuitatibus, res innouari cupiebant) partim timore, partim persuasionibus cõmoti, Phliasij de reducendis exulibus decretũ fecere: & bona quæ cõparerent, illis reddi: quæ uendita essent, ex publico persolui statuerunt: & si disceptatio hac de re orta esset, iudicio finiri censerunt. Et de Phliasiorũ exulibus hoc pacto eo tempore actum est. Aduenere interim ex Acantho & Apollonia urbibus maximis circa Olynthum, Lacedæmonem legati. Ephori uerò cùm aduentus causam didicissent, ad concilium & socios illos produxere: ubi Cligenes Acanthius ita disseruit: Rem quæ in Græcia pullulare incipit, uos Lacedæmonij ac socij penitus latêre arbitramur. Siquidẽ Olynthũ Thraciæ ciuitatem esse maximam, fermè omnes scitis. Porrò Olyn

Phliasij Lacedæmonios hortatũ exules recipiunt.

thij ciuitates quasdam subegere paruas, quas & legibus ac institutis suis uiuere coëgerunt. Inde maiores quoque nonnullas aggressi, in suam redegere potestatem. Eo successu elati, Macedoniæ quoq; ciuitates ex Amynthæ Macedoniæ regis seruitute in libertatem uendicare ausi sunt. Deinde postquam uiciniores in suam traduxere sententiam, ad remotiores ac maiores quoq; aspirare cœperũt: cosq; reliquimus habentes iam cùm alias multas urbes, tum Pellam, quæ est urbium Macedoniæ maxima. Quin & Amyntam audimus non solùm ciuitatib. paternis excidisse, sed & tantum nõ tota pulsum esse Macedonia. Tandem Olynthij ad nos & Apolloniates miserũt, bellumq;, ni eos militia sequeremur, interminati sunt. Et quãuis, ô Lacedæmonij, proprijs institutis & patrijs uiuere legibus summopere desideramus, ni quis tamen nobis opem ferat, illis adhærere cogemur. Habẽt uerò armatos haud minus octingentos, clypeatos uerò multò his plures, equites uerò iunctis nostris mille circiter ad bellum educere poterunt. Reliquimus quoque ibi cùm discederemus, Athenienſium ac Bœotiorum legatos: audiuimus præterea Olynthios & suos elegisse legatos, quos ad ciuitates eas de contrahenda mittant societate. Atqui si uis tanta Athenienſium ac Thebanorum accedat potentiæ, uidete ne & uobis tandem intoleranda reddatur. Cùm enim Potidæam habeant, cùm illa in Pallenæo sita sit Isthmo, existimate ciuitates cunctas intra illam sitas, in potestatem eorum uẽturas. Quòd uerò ciuitates maximè Olynthios uereantur, fortissimum hoc est indicium, quòd uehementi illos prosequuntur odio, nec tamen ad hæc detegenda huc nobiscum legatos mittere ausi fuere. Deinde & hoc consi-

considerate: cùm uos summopere curam geritis ne Bœotij in unum coëant, quo pacto illos quos supra modũ attolli cernitis, negligere uobis tutum sit: præcipuè cùm uis ea non solũ terra, sed & mari augeatur & crescat. Quid enim illis impedimento esse poterit? cùm regio ea naualis materiei sit fertilißima: pecuniarũ uerò redditus ex multis portubus, uarijsq; eueniat emporijs: ac propter soli ubertatem, numeroso urbes colantur populo. Præterea Thraces qui sine regibus degũt, illis uicini fiunt, qui nunc quoq; Olynthios colunt. Quòd si ipsis subdentur, magna quoq; & hæc eis accedet potentia. Nam & auriſodinæ quæ in Pancæa sunt sitæ regione, illis manus porrigent. Atq; horum nos nihil dicimus, quod non sit in Olynthiorum populo uulgatißimũ. Iam uerò eorum animos quis uerbis explicet? Nam deus fortaßis effecit, ut unà cum potentia etiam animi hominum augerentur. Hæc igitur nos, Lacedæmonij ac socij, quo pacto se habeant, ueraciter retulimus: uos uerò si cura digna uideantur, in tempore consulatis. Nolumus demum uos ignorare, potentiam eam quam tantam esse demonstrauimus, non penitus inexpugnabilem esse. Vrbes enim quæ inuitæ ciuitatem cum illis habent communem, hæ si quid uiderint Olynthijs contrarium, extemplò pro amicis inimicæ euadent, ab illisq; deficient. Quòd si, ut decretum est, connubia inter se contrahent, ac inuicem coalescent, intelligent præterea uictores sequi lucrosum esse, quemadmodum Arcades cùm uobiscum uadunt, sua seruant, aliena uerò diripiunt, non tam facilè dehinc res dissolui poterit. His dictis, Lacedæmonij socijs dicendi dedere facultatem, ac ut in medium consulerent iussere, quid Peloponnensibus ac

Bellum à Lacæ. adorsocijs uniuersis utilißimũ esse censerent. Maior itaq; pars
Olynthum & alijs bellum suscipiendum esse suaserunt, potißimũ qui Lace-
ciuitates sinijatris esse dæmonijs assentiri cupiebant: ac præsidium mille milituũ
non sinerent discipu- in quãq; urbẽ mittendũ esse cẽsuerũt. Actũ quoq; est, ut ci
uitates militũ loco pecunias persoluere possent, triobu-
lum scilicet Aeginæũ pro peditibus singulis. quòd si quis
equites præberet, ut pro quatuor grauis armaturæ mili-
tibus stipẽdium equiti daret. Quòd si qua urbium, milites
ad expeditionẽ eam mittere negligeret, stateram mulctæ
loco singulis diebus in singulos cõstituerunt. His actis sur
rexere Acanthij, omnibusq; ostenderunt, rectè hæc esse de
creta: uerùm quoniam exercitus tam celeriter cogi non
posset, melius interim esse, ducem aliquem confestim illuc
cũ præsidio Laconico ac sociorũ mitti: id si fieret, ciuita-
tes quæ nondum Olynthijs adhæsissent, uacillaturas: quæ
uerò illis subessent, de industria ignauiter acturas. Id cũ
omnibus placuisset, Lacedæmonij Eudamidem illuc emi-
sere: cui Neodamodũ, accolarũ & Sciritũ circiter millia
duo, attribuere: & ille confestim abijt. Ephoros uerò exo
rauit, ut fratrem Phœbidam militibus qui illum sequutu-
ri erant, præficerent. Ipse uerò cùm in Thraciã peruenis-
set, socias ciuitates præsidijs munijt: Potidæam uerò iam
Olynthiorũ sociã uoluntaria deditione cepit: ex qua pro-
gressus bellum gerebat, ut par erat, uiribus inferiorem.
Phœbidas interim collectis Eudamidanis qui relicti erãt,
pergebat: cumq; Thebas uenisset, ante urbem iuxta gy-
Thebis seditio. mnasium castra collocat. Laborabant tum fortè Thebano
rum polemarchi domestica seditione, Ismenias & Leon-
tiades, corpusq; ciuitatis in medio relictum diuersæ factio
nes distrahebant: & Ismenias quia Laconici nominis ex

profes-

professo inimicus erat, cũ Phœbida minimè cõgressus est. Leontiades uerò illũ omnib. demerebatur officijs, eumq; postq̃ ei cõciliatus est, his aggressus est uerbis: Oblata est tibi, ô Phœbida, occasio hac die rem magnã ac patriæ tuæ utilissimã peragendi: si enim me cum militib. subsequêris, in arcem te deducã. Id si fiet, existima Thebas penitus Lacedæmonijs, ac nobis amicis uestris subiectas esse: quandoquidem nunc, ut cernis, decreto inhibitũ est, neminem Thebanorũ tecum contra Olynthios militare. Quòd si rem hanc nobiscũ peregeris, cõfestim multos tum pedites, tum equites tecũ missuri sumus, ita ut ui magna fratri tuo auxiliũ ferre possis: & dum ille Olynthũ subiget, tu Thebas multò maiorem Olyntho ciuitatẽ in tuam rediges potestatem. Hæc cũ Phœbidas audisset, animo elatus est: magis etenim gloriæ, q̃ uitæ tenebatur desiderio: nõ enim à natura nimiũ callidus seu prudẽs erat. Cũ igitur illi assensum præstitisset, eum tanq̃ abiturus exercitũ mouere iussit: cũ uerò tempus aderit, Leontiades inquit, egomet ad te deducendum ueniã. Cùm itaq; senatus in fori porticu cõsedisset (mulieres etenim Cerealia in Cadmia celebrabant) æstasq; ac meridies, & ideo solitudo multa in uijs esset, Leontiades conscenso equo, ac ad Phœbidam aduectus, confestim illum in arcem deducit: traditisq; illi portarum claubus, hortatus est, neminem, nisi quem ipse iussisset, in arcẽ admitteret. Ipse uerò senatũ ingressus, ita locutus est: Quòd Lacedæmonij, ô uiri, arcem obtinent, nolite ægreferre: nulli enim se bellum illaturos aiunt, nisi qui belli desiderio tenetur. Cùm uerò lex permittat polemarcho eum, qui morte digna commiserit, capere, ego Ismeniã hunc ut hostilia machinatum comprehẽdo: qua-

Phœbidas cum La cõcionem copias ad Olynthium ducturus, eo mane Thebarum arcem occupat.

propter satellites & ministri hunc accipite, ac quò iussi estis, ducite. Illi uerò confestim accurrentes eum comprehendunt. Qui igitur conscij erant, illi auxilium præbuere, manusq; pariter iniecere: qui uerò rei huius ignari erant, ac contra Leontiadem sentiebant, partim ex urbe cõfestim aufugerunt, uerentes ne interficerentur, partim domum se contulerunt. Cùm uerò Ismeniam carceri in Cadmia mancipatum esse cognouissent, Athenas fuga delati sunt. Erant uerò qui Androclidi ac Ismeniæ adhæserant, quadringẽti circiter uiri. His actis, pro Ismenia polemarchum alium elegere. Leontiades uerò confestim Lacedæmonẽ profectus est, inuenitq; Ephoros ac uulgus grauiter ferentes, Phœbidam rem tam magnam & minus sibi à ciuitate cõmissam aggredi ausum. Verũ Agesilaus se interposuit, asserens, si damno Spartam affecisset, dignũ esse qui hanc ob rem pœnam subiret: sin uerò cõmodo, sponte ex priscæ legis forma suscipienda, quæ proprio peregisset instinctu. Primũ igitur discernendum esse, num quæ egisset, damnosa an utilia forent. Leontiades uerò cùm illi senatus datus esset, ita uerba fecit: Viri Lacedæmonij, antequàm hæc gesta essent, uosipsi Thebanos hostili animo contra uos extitisse nõ obscurè professi estis: siquidem illos semper aduersarijs uestris amicos, socijs uerò inimicos esse cognouistis: quandoquidem cõtra inimicissimũ uobis in Piræo populũ uobiscum militare noluerũt: Phocenses uerò, quoniã illos propenso animo in uos esse cernerent, bello aggressi sunt. Præterea quia uos bellum cõtra Olynthios moliri senserunt, societatem cũ illis cõtraxere. Et uos quidem tum semper ueriti estis, ne sibi totam aliquando subijcerẽt Bœotiã. Nunc uerò, his actis, haud amplius

plius Thebani uobis timendi erunt, sed uobis sufficiet scy tale perbreuis, ut in cunctis quæ iusseritis, illi uobis pare ant, si saltē ut nos uestri, ita & uos nostri curā gesseritis. Quæ cū Lacedæmonij audiuissent, arcem occupatā seruari debere, Ismeniā uerò iudicio sisti censuerunt. Miserunt itaq; iudices ex Lacedæmone tres, à socijs uerò urbib. tam magnis q̄ paruis, à singulis unū. Qui cùm ad iudiciū consedissent, Ismenias de plurib. accusatus est: quòd Barbaris scilicet faueret: quodq; ob nullum Græciæ cōmodū, Persæ hospes factus esset: & quòd Persicæ pecuniæ particeps factus esset: quodq; ipse & Androclides cunctarū in Græcia perturbationum potißima causa extitissent. Ad quæ ille respondit: nec tamen male acta, bene gesta esse persuasit: quapropter damnatus morte pœnas luit. Inde Leontiades & qui illi adhærebant, ciuitatem obtinuere, longeq; plus Lacedæmonijs quàm iußi essent, obtemperabant. Lacedæmonij uerò his actis, multò alacrius Olynthiaco intenti bello erāt. Teleutiā igitur præfectum illuc mittunt, & quod decem millibus statutum erat, eos et ipsi omnes communiter mittebant, & undiq; in confœderatas ciuitates scytalas mittebant, quibus ex fœderis forma socios Teleutiā sequi mādabāt: qui omnes alacriter Teleutiæ paruere (nō enim ingratum se præstabat, si quis ei aliquid contulisset) & Thebana quoq; ciuitas, tanquam Agesilai fratri promptè pedites ac equites præbuit. Et ille quamuis festinaret, non tamen admodū progrediebatur, ne amicis molestius esset: & ut quamplurimas uires contraheret. Ad Amyntam quoq; præmisit, illumq; ut mercenarium militem cōduceret, rogauit: & si principatum recipere uellet, uicinis regibus ut in societate manerent,

pecunias daret, hortatus est. Ad Derdam quoq; Elemiæ principem misit, illiq; ostendit, cùm Olynthij maiorẽ Macedoniæ potentiam subegissent, minimè donec minorem quoq; sibi parêre coëgissent, cessaturos, ni quis illos iniuria abstinere cogeret. His actis, cum ingenti exercitu, multisq; in societatẽ accitis, Potidæam uenit: ibi uniuerso collecto exercitu, in hosticum profectus est, rectaq; ad urbẽ tendit: nec tamen agrum ferro aut flamma uastauit, ratus si id ageret, & eunti & redeunti impedimentum allaturum. At cùm ab urbe egrederetur, tum rectè arbores incisurũ, ne quis ipsum à tergo aggredi posset. Cumq; haud longius quàm decem ab urbe abesset stadia, agmen sistit, & cornu dextrum ipse ducendum sumpsit, ut si hostes egressi forent, ipse potissimũ cum his congrederetur. Reliqua sociorũ phalãx in dextro collocata erat cornu: cui & Laconici, Thebani, & Macedonũ quotquot aderant iuncti sunt. Ipse uerò Derdam cũ equitib. illius quadringentis circiter secũ retinuit, tũ quia ducebatur is equitatus, tum quia Derdæ obsequebatur, ut libẽs adesset. Postquã autem hostes urbe egressi, sub muris aciem instruxerunt: equitatus illorum in Lacones & Thebanos impetum faciunt, Polycharmumq; Laconem equitũ præfectum equo deturbant, iacentemq; multis cõficiunt uulneribus: quãplurimos quoq; alios interficiunt. Tandem ad dextrum flexere cornu, ubi cùm equites in fugã uertissent, uniuersus peditatus inclinare cœpit: exercitusq; omnis in ultimum deductus fuisset discrimen, ni Derdas cum equitatu suo ad Olynthiorum portas usq; prouectus, Teleutiasq; illum cum suis subsequutus fuisset. Siquidem id Olynthiorum cernentes equites, ac pariter timentes ne ab urbe interclu-

tercluderentur, citatis regressi sunt equis: in quos inuectus Derdas, quamplurimos interfecit. Peditatus quoque Olynthiorum paucis desideratis in urbem regressus est: ille enim proxime muros cõstiterat. Teleutias parta uictoria trophæum statuit, ac inde digressus arbores incîdit. Et æstate ea hac expeditione peracta, Macedonũ & Derdæ domũ dimisit exercitũ. Olynthij uerò nihilominus Lacedæmoniorũ infestabãt socios: nam direptis incensisq; uillis, homines quoq; trucidabant. Ineunte uere, Olynthiorũ equites circiter sexcenti sub meridiem Apollonienſium irrumpentes fines, cuncta populabantur. Contigit eadem die Derdam cum equitatu Apolloniã ingressum, ac prandentẽ, excursionẽ cernere: qui cùm equites arma induere, equosq; paratos habere iußisset, tantisper quieuit, quoad hostes per contemptũ ad suburbana & portas usq; progressos esse cõspexisset: tum cõpositio agmine undiq; erumpit. Id cùm hostes uidissent, in fugam uertũtur: quos ad nonaginta fermè stadia persequutus, quãplurimos ex illis interfecit, reliquos ad muros Olynthiorum usq; palantes egit. Feruntur certamine illo octoginta circiter equites à Derda cæsi esse. Exinde hostes se magis muris cõtinebant, & regionis perparuam partem colebant. Succedenti tempore Teleutias rursus copias ad Olynthum duxit, ut arbores quæ reliquæ erant, incideret. At Olynthiorum equites urbe egressi, fluuium iuxta urbem labentem quietè transgressi, illi obuiam pergunt: quorum audacia indignatus Teleutias, Tlemonidem clypeatorum præfectum cursu eos aggredi iubet. At Olynthij uidentes peltastas irruere, conuersi, ac rursus quietè amnem transgressi abierunt. Quos discedentes Lacedæmonij fortiter tan-

quam fugientes insequuti, flumen ipsi quoque transcendunt. Olynthij conspecta eorũ paucitate, & quia se superiores credebant, conuersi in illos impetum faciunt, Tlemonidemq; in primis, inde circiter centum interficiunt. Teleutias rei indignitate motus, confestim uniuersam educit phalangem: clypeatos uerò ac equitatum subsequi iussit: ex quibus plurimi, quia muris nimiũ appropinquassent, male accepti sunt: nam à turribus telis impetiti, igno minioseq; reuerti cogebantur. Interim Olynthij cum clypeatis equitibus opem ferunt: tandem grauis quoq; armatura urbe egressa est: hi omnes phalangem turbatam nacti, primo impetu fundunt, Teleutiamq; bellum cientem obtruncant: quo cæso acies inclinare cœpit, omnesq; in fugam uersi sunt: partim Acanthũ, ac Spartolem, alij Apolloniam euasere, plurimi uerò Potidæam fuga delati sunt: & quemadmodum diuerse fugiebant, ita diuerse quoq; hostes insequuti sunt, adeò ut magna ex parte cæsi, flos quoq; totius exercitus ea desideratus sit fuga. Arbitror uerò tali calamitate homines, si rectè considerauerint, prudentiores reddi debere: nam neq; domesticos ira commotos plectere decet: sæpius enim domini irati maiora perpessi sunt mala, quàm intulerũt. Proinde hostes nec ratione, sed inconsultè aggredi, delictum existit maximum: ira enim temerè omnia fiunt. Ratio uerò non minus ne ipsa lædatur, quàm quo pacto hostes offendere ualeat, perpendit. Lacedæmonij audito pugnæ euentu, maioribus uiribus rem aggredi statuerunt: timebant enim ne uictoribus ob sequundam belli fortunam animus cresceret: præterea cladem inultam relinquere nolebant. Agesipoli igitur regi bellum hoc demandari, trigintaq; Spartanos, quem-

Thelentias cum magna parte exercitus fuse trucidat.

Ratione, non ira, circa res agẽdas utendũ.

quemadmodum cum Ageſilao, in Aſiam mitti placuit: quem multi fortes ac ſtrenui ſequuti ſunt uoluntarij: hoſpites quoq; alumnorum appellati, ac Spartanorum nothi, uiri egregij, ac optima præditi indole, rerumq; urbanarum haud inexperti. Militarunt & cum eo ex ſocijs ciuitatibus quamplurimi ſpontanei, inter quos erant Theſſalorũ equites, qui Ageſipoli noti fieri cupiebant: Amynthas quoq; & Derdas, acrius quàm antea bello incumbentes. Et Ageſipolis cunctis ex ſententia ordinatis, contra Olynthum duxit. Phliaſiorum interea ciuitas cùm in belli uſum multas Ageſipoli pecunias tradidiſſet, ab illoq; laudata eſſet, rata cũ Ageſipolis foris militaret, alterum regem Ageſilaum minimè contra illos exercitũ educturũ (haud enim fieri poſſe ut reges ambo à Sparta abeſſent) arrogans erat, & nihil æquum faciebat reuocatis ab exilio. Exules enim, quæ dubia erãt, æquo iudicio finiri rogabant: at illi in urbe ipſa lites dirimere cogebant. Cumq; expulſi interrogaſſent, quodnam iudiciũ illud futurum eſſet, in quo iudices, qui illos præcipuè iniuria affecerant, iudicaturi eſſent, nil reſpondebant. Idcirco extorres acti, Lacedæmonem profecti, ciuitatem ſuam accuſabãt. Hos domeſtici plures inſequuti ſunt, qui & ipſi haud iuſta illos pati oſtenderũt. Phliaſij hanc ob rem indignati, omnibus qui Lacedæmonem tranſierant, præterquã qui publico nomine illuc miſſi erant, mulctam indixere: at mulctati abire cunctabantur: manentes uerò docebant, illos hæc machinari, à quibus antea eiecti erant, quiq; Lacedæmonios excluſerant: hi enim bona exulum emerant, & ne illa reddere cogerentur, dabant operam. Atque hi tum effecerant, ut qui Lacedæmonem iuerant, mulctaren

tur, ne quis deinceps illuc ire, ac quæ in urbe fierent, prodere auderet. Cùm itaq; Phliasij contra pacta feciſſe uiderentur, bellum ab Ephoris contra illos decretum eſt. Nec Ageſilao inuito ea ſuſcepta eſt expeditio: hoſpites enim patris Archidami fuerant, qui cum Podanemo extorres acti erant: ſuijpſius uerò, qui cum Proclea Hipponici filio effugerant. Cumprimũ itaq; litaſſet, exercitũ eduxit: cui obuiam facti Phliaſiorum legati, orantes ne illis bellũ inferret. Quibus reſpondit: Non ideo bellum ſuſceptũ eſſe ut aliquis iniuria afficeretur, ſed ut iniuria affectis opẽ ferret. Tandem legati omnia ſe facere paratos eſſe oſtenderunt, ſolùm ne agrum incurſaret, precabãtur. Quibus ille rurſus reſpondit: Verbis eorũ, cùm antea mentiti fuiſſent, credere nõ poſſe, niſi rem fide dignam agerẽt. Cumq; illi, quid id eſſet, quæſiuiſſent: iterum intulit, ſi id quod poſtulo feceritis, minimè lædemini: hoc eſt, ſi arcẽ nobis tradideritis. Id cùm facere negaſſent, infeſto agmine fines eorum irrumpit, cõfeſtimq; muro illos circũdans obſidebat. Verũ cùm plures Lacedæmoniorũ ægreferrẽt, quòd pauorum hominum gratia, plures q̃ quinq; millia hominũ occumbere deberent (nam ut hoc perſpicuũ fieret, Phliaſij in cõſpicuo ijs qui erant loco cõciones habebant) cõtra hæc Ageſilaus talem ingreſſus eſt uiam: quicũq; propter cognationẽ ſeu amicitiã exulum ad illum transfugiſſent, docebat et ſodalitates ſuorum cõparare, & ad neceſſaria quod ſatis eſſet pendere quicunq; exerciri uellent. Quin etiam arma cõparare omnibus ijs imperauit, & nõ ſegniter ad eam rem pecunias conferre. Illi uerò hæc facientes exhibuerũt plus q̃ mille egregios ac fortes uiros, qui etiã Lacedæmonijs ipſis haud indigni qui unà militarent, uiderẽ-

derentur. Et Ageſilaus his incumbebat. Ageſipolis uerò confeſtim ex Macedonia ad Olynthiorum urbem exercitũ duxit, illisq; pugnandi copiam fecit. Cumq; nemo cõtrà exiret, ad agros depopulandos tranſijt, Toronemq; ui cepit. Sed cũ torrida æſtate laborib. minimè parceret, acuta febri correptus eſt. Cumq; pridẽ Dionyſij in Aphyto uidiſſet templum, deſiderio umbræ, limpidæq; ac frigidæ, quæ illic erat, captus aquæ, illuc uiuus delatus eſt, ſeptimaq; die poſtq; febre correptus eſſet, extra templũ occubuit. melle inde curatus, domũ relatus eſt, regiaq; illi cõtigit ſepultura. Ageſilaus his auditis, non, ut quidam exiſtimaſſent, ob aduerſarij caſum lætatus eſt, ſed humaniter mortem illius lachrymatus eſt, et conuerſationẽ defleuit. Reges enim cùm domi ſunt, unà habitare conſueuerunt: nã Ageſipolis in iuuenilibus, uenaticis, equeſtribus, ac iucundis ſermonibus, Ageſilao ſemper comes fuerat: præterea illum, ut decebat, in cõmuni habitatione iuuenis ſeniorem ſemper ueneratus fuerat. Lacedæmonij Polybiadem in illius locũ ad Olynthiacũ miſere bellum. Ageſilaus interim tantum tempus quo frumentũ deficere Phliunti debebat, obſidione cõſumpſerat: uerũ tantùm inter uentris diſtat abſtinentiã, ut cum Phliaſij dimidiũ tantùm q̃ antea inter ſe diſtribuerent frumentũ, duplum quoq; temporis, ut par erat, obſidionem pertulerint. Tantumq; audacia à puſillanimitate differt, ut Delphion quidam claro ortus genere, cum triginta alijs Phliaſijs impedimento eſſe potuerit, quò minus pax ſancita ſit: potensq; fuerit & comprehendere, & in uincula conijcere quibus diffideret, & multitudinem ad cuſtodias ire cogere, & eos adoriens in ſuam trahere ſententiam: ſæpius etiam per eruptionem

Mors Ageſipolis.

cum his quos circũ se habebat, in stationes irrũpere, & alios alibi aggredi. Tandem cùm inopia extrema labora re cœpissent, nec amplius frumentũ in urbe supereſſet, ad Ageſilaum miserunt, rogantes ut per inducias illis legatos Lacedæmonẽ mittere liceret: nam magiſtratib. urbẽ, ut ea ex libito uterentur, tradere paratos esse se ostendebãt. At ille hanc ob rem iratus, seq; cõtemni existimãs, Lacedæmonem mittit, ac per amicos egit, ut Phliaſiorũ res liberè illi permitterentur: & quãuis legatos per inducias ſuscepiſſet, cuſtodiã tamen diligentiorem q̃ antea, ne quis urbe effugere poſſet, adhibebat. Delphion tamen & Stigmatias quidã, quãuis undiq; armis ſepta eſſet, nocte aufugerunt. At cùm à Lacedæmone aduenissent qui nuncia rent, Ageſilao conceſſum esse, ut de Phliaſiorum ciuitate quicquid libitũ eſſet, ſtatueret, ita decreuit. Quinquaginta uiros de exulibus, quinquaginta quoq; Lacedæmonios primò dijudicare debere, quem in urbe uita, quemq; mor te dignũ cenſerent. Inde leges ſtatuere, quibus urbs regeretur: & quoad hæc peragi poſſent, præſidiũ illis, ſemeſtreq; ſtipendium reliquit. His actis, diſſoluto exercitu ſocios dimiſit, ciues uerò domũ reduxit. Et hæc ita circa Phliuntem, per annũ et menſes octo geſta ſunt. At Polybiades, Olynthios fame ac omniũ rerum laborantes penuria (nil enim nec ex terra capere, nec mari inferre poterãt) legatos de pace petenda Lacedæmonẽ mittere coëgit. Cumq; illuc liberis uenissent mandatis, bellum his conditionib. diremptum eſt, ut eoſdem hoſtes ac amicos, quos & Lacemonij, haberent, & exiſtimarent: quos & quocunq; ducerent, ſequerẽtur, ac ſocij eſſent. Cumq; ſuper his iuramentum præſtitiſſent, domum reuerſi ſunt. Hæc cùm Lacedæmonijs

monijs feliciter succeßißent, ita ut Thebani & alij Bœotij planè sub eorum imperio essent: Corinthij autem facti essent fidelißimi: Argiui uerò deiecti essent, quòd eos nihil amplius iuuaret inducíarũ oblatio: Athenienses item essent deserti: & socij, qui eis infesti fuerant, puniti: uidebatur eis imperiũ pulchrè planè & tutò esse compositũ. Et quamuis multa tam Græca q̃ Barbara in medium deduci possent, quemadmodũ dij sceleßos, impios, & iniußos minimè negligunt, præsentium tamen narratione solùm cõtentus ero. Lacedæmonij enim quamuis ciuitates liberas dimißuros iurassent, arcem tamen Thebanam retinebãt, quam his qui extorres acti fuerant, custodiẽdam tradidere: quamuis antea nulli hominũ subiecta fuißet. Verùm statum eorum qui Lacedæmonijs arcem tradiderant, ac ciuitatem seruituti subiecerant, ut ipsi tyrannidem obtinere ualerent, septem solùm exules diſſoluere potuere. Id uerò quemadmodũ acciderit, explicare pergam. Erat quidam Phyllidas, qui scribæ officio sub polemarchis, qui cum Archia præerãt, fungebatur, cæterisq; in rebus egregiè se gesserat. Hic cùm Athenas priuati negocij causa applicuißet, Melloni Thebano sibi antea noto, qui ibi exulabat, conuentus, & de Archiæ præfectura, ac Philippi tyrannide interrogatus est: cui cùm rem domesticam displicere sensißet, fide data & accepta, de singulis cum eo conuenit. Inde Mellon, assumptis secum fidißimis exulum sex, nil præter enses ferentes, sub noctis initium in Thebanorum conceßit fines: ubi clanculum per diem delitescens, sub uesperum, tanquam qui ex agris tardißimè ueniſſet, cum socijs portas ingreßus est. Cumq; urbem intraſſent, nocte illa apud quendam Charonem per-

exules Thebani ab eis a Lacedæmonijs recipiũt.

noctarunt, cum quo & sequentem egere diem. Phyllidas interea cùm cætera ex sententia ordinasset, polemarchis, ut sub exitum magistratus Aphrodisia celebrare possent, mulieres omniũ in Thebis pulcherrimas ac uenustissimas se adducturum promittit: illi uerò, nam tales erant, auidissimè concubitum expectabant. Cùm itaq; cœnassent, ac præcedente potu uino incaluissent, promissa exigunt, fœminasq; produci iubent. Ille egressus, Mellonis gregales tres matronali habitu, alios sub famularũ adducit specie: illisq; parũper expectare iussis, rursus ingressus Archiæ ait, fœminas intrare nolle, nisi ministri ablegarẽtur. Quibus omnib. cõfestim exire iussis, Phyllidas illis uinum tribuit, sicq; dimisit. Inde fictas introducit meretrices, ac propè sedere iussit. Erat autem inuasionis signum, cũ sedere iuberentur, ut statim detecti ferirent. Atq; eos ita perijsse aiunt quidam. Alij dicunt Mellonis gregales tanq; comessatores ingressos, occidisse polemarchos. Inde Phyllidas tribus secum assumptis, ad Leontiadis proficiscitur ædes, ostioq; pulsato, obrem aliquã annunciandã, à polemarchis se missum esse ait. At ille (seorsum enim post cœnam recũbebat, uxorq; illi lanificio incumbens aßidebat) nil mali suspicans, Phyllidã cum socijs introire iußit. Illi ingreßi, eum interfecere. Vxorem uerò metu à clamore cõpescuerunt, ac exeuntes, illam ostiũ obserare iusserunt: si uerò apertum relinqueret, rursus ingredi, ac omnes qui in domo erãt occidere uelle, interminati sunt. His gestis, Phyllidas duobus secum assumptis, ad carcerẽ pergit, ac custodi ait, se uirum quendam præfectorum iussu uinculis mancipandum adducere: & ille reserato carcere protinus interfectus est. Vincti inde omnes soluti sunt: quos celeriter

celeriter à proxima porticu armis detractis armauit, ac ad Amphium produxit, illicq; aciem instruere iubet: inde per præconem Thebanos omnes tam equites q̃ pedites progredi iubet, quoniã tyranni morte pœnas dedissent. Ciues uerò quandiu nox erat, ob incredulitatem quietem agebãt: orta uerò die, req; patefacta, celeriter pedites ac equites armati suppetias ferunt. Missi sunt quoq; equites ad exules qui Athenis uersabantur, ut illis rem annunciarent, illosq; in auxiliũ aduocarent. Interim præfectus qui arcem obtinebat, audito nocturno præconio, confestim ad Platæenses ac Thespienses pro ope petenda mittit. Id Thebanorum suspicati equites, Platæensibus obuiam eunt, ac cum illis cõgressi, plures q̃ uiginti interfecerunt: inde in urbem regressi, & cum Athenienſib. ac exulibus, qui iam aduenerant, in arcem impetum faciunt. At qui arcem obtinebant, paucitati diffisi, cùm hostium cernerent audaciã, magna præterea his qui primùm muros transcendissent præmia proponi audirent, uehemẽter timere cœperunt, seq; abire uelle obtulerunt, si liberè cum armis dimitterentur. At illi libenter quæ petebãt cõcessere, induciasq; præstito iuramento pepigere, sicq; illos dimisere. At digredientib. illis, quoscunq; inimicorũ esse cernebãt, illos obtruncabant: quidam tamen ab Athenienſib. auxiliarijs clàm seruati sunt. Thebani insuper liberos interfectorum quoscunq; cõprehendere poterant, iugularunt. Lacedæmonij his auditis, primò præfectum arcis desertorẽ, quoniam auxilium haud expectauerat, interfecerunt: inde exercitum comparant aduersum Thebanos, quem Agesilaus educere renuit, ostendens se quadraginta ultra pubertatem expleuisse annos: ad quam ætatem cùm quis per-

Lacedæmonij contra Thebanos exercitum ducunt.

uenit, amplius militare haud cogitur: quã eandem legem & regib. esse ostendit. His dictis, à militia se exonerauit: quãuis haud illius rei gratia remanebat, sed quòd optimè nouerat, si exiret, ciuiũ calumniam, tanq̃ tyrannis opem ferret, ciuitatiq; negociũ iniiciat, nõ cuitaturũ: quapropter illis hac de re cõsultandi liberã reliquit facultatẽ. At Ephori cũ de Thebana cæde certiores facti essent, Cleombrotũ tum primũ exercitũ educentẽ, cùm maximè hyems rigeret, emittũt: sed uiam quæ rectà illuc ducit, Chabrias cum Athenienſiũ clypeatis insederat: quapropter Cleombrotus iuxta Plataeas exercitum ducere coactus est. Inde procedens, in eos qui carcerib. effractis liberati fuerant, summitatesq; montiũ custodiebant, incidit: erant hi centum quinquaginta circiter, qui omnes à clypeatis interfecti sunt, exceptis si qui fuga sibi cõsuluere. Inde per Plataenſiũ adhuc amicorũ ac Thespienſiũ progressus fines, ad Canis capita, qui locus Thebanorũ erat, castra collocat: ubi sedecim circiter cõsumptis diebus, rursus Thespias reuersus est, relictoq; ibi Sphodria præfecto cum tertia sociorũ parte, pecunias quæ supererant illi tradidit, mercenariumq; militem cõducere iubet: ipse uerò milites reliquos domũ per Crasios secum duxit, dubios num bellũ an pax cum Thebanis esset: cũ enim in Thebanorũ irrupisset fines, exercitũ tamen illæsis quoad poterat agris reduxit. Digredienti quoq; illi uehemẽtißimus incidit uentus, quẽ aliqui futura augurari suspicabantur: multa enim damna exercitui intulit. Nam ex Crasio per montem mari imminentem ducenti, iumenta quamplura impedimentis onusta, in mare præcipitata sunt: arma quoq; militib. erepta, ac ui uenti in mare deiecta sunt. Multi quoq; cũ amplius

arma

arma ferre nõ possent, in montium summitatibus lapidibus repletas galeas reliquerũt. Inde descendentes, in Aegosthenis Megarensib. ut potuere cœnarunt. Postridie uerò regressi, arma relicta abstulere, sicq; singuli domum abiere. Athenienses uerò cùm Lacedæmoniorum perpenderent uires, bellumq; amplius haud Corinthi, futurum esse cernerent, sed iam prætereuntes Atticam Lacedæmonios, Thebas inuadere, ita timore correpti sunt, ut duos ex ducib. qui cum Mellone contra Leontiadem seditionẽ concitarãt, hunc morte, alium, quia haud expectauerat, exilio condemnarint. Thebani rursum maximo terrore perculsi, ac tantæ belli moli impares se futuros rati, talem machinãtur dolum. Sphodriæ harmostæ, qui in Thespijs cum copijs agebat, pecunia delinito persuadent, ut Atticos ingressus fines, Athenienses Lacedæmonijs hostes redderet: & ille eis assensus, Piræum occupare posse simulatus (nam portubus adhuc carebat) milites sumpta cœna à Thespijs abducit, prædicens ingruente die Piræum se uelle occupare. Verùm luce apud Thriadas præuẽtus, haud occultè rem aggressus est, sed undiq; prædabundus discurrens, pecora abigebat, domosq; diripiebat: ex quibus nõnulli effugientes Athenas, nunciant ingentem aduentare exercitum. Athenienses itaq; celeriter correptis armis, tam equites quàm pedites urbem undiq; seruabant. Contigit eodem tempore Lacedæmoniorum legatos Etymoclem, Aristolochum et Ocellum Athenis apud Calliam hospitem Proxeni filium agere, quos Athenienses tanquam huius rei haud ignaros comprehendunt, ac in uincula cõijciunt. At hi rei nouitate perculsi, ostenderunt se haud ita stultos esse, ut si de occupando Piræo præsciuis-

Iniuriæ Lacedæmonij in Athenienses.

sent, seipsos ultrò capiendos in urbem inclusissent, præsertim apud Proxenũ, ubi citò inueniri possent. Addebãt insuper, Athenienſib. manifestum fore, Lacedæmoniorũ urbem rei huius penitus ignarã esse, certissimeq; scire, Sphodriam meritas daturũ pœnas: quapropter innocentes, ac tumultus huius ignari iudicati, ac dimissi sunt. At Ephori Sphodriã reuocauere, capitisq; reum detulere. At ille timore perculsus minimè paruit. uerùm etsi iudicium contẽpsisset, euasit tamen: quæ res multis Lacedæmone quoq; iniustissima uisa est. Id uerò ob talem accidit causam. Erat Sphodriæ filius nuper pubertatẽ ingressus, Cleonymus nomine, formosissimus, et inter coæquales probitate maximè excellens: hunc Archidamus Agesilai filius deperibat: uerùm amici Cleombroti maximè Sphodriam urgebãt, nam socij erant. Agesilaum uerò cum amicis timebant. Cleonymũ itaq; Sphodrias aggressus, Poteris, ô fili, inqt, patrẽ saluare, si Archidamũ rogaueris, ut Agesilaũ mihi ad iudiciũ uenienti deliniat. Ille his auditis, Archidamum cõpellare, ac ut patri succurreret, precari ausus est. Archidamus uerò, cùm Cleonymum plorantem astare uideret, ipse quoq; collachrymauit: cumq; precib. instaret, illi respõdit: Nosti quòd patrẽ meum uix aspicere, nedum alloqui audeam: et si quid in urbe peragere quæro, ad omnes potius q̃ ad parentem accedo: sed cuncta ita ut iubes certò scias omni me annisurum diligẽtia, ut rem tibi expeditam reddam. Ac his dictis ex Philitio domum abijt. Orta uerò die surrexit, ac patrẽ exeuntẽ obseruauit: qui cùm egressum uidisset, primò si quis ciuium aderat, illum sibi assistere hortabatur. Inde hospites, demum famulorum si quis aderat, precibus aggressus est. Tandem cùm Agesilaus ab

laus ab Eurota reuerteretur, domumq; ingressus est, ille haud ultra progressus abijt. Postridie hæc eadem egit. At Agesilaus quã ob rem ille sequeretur suspicatus, haud tamẽ interrogauit, sed tacitus dissimulauit. At Archidamus quãuis Cleonymi teneretur desiderio, nil tamen habebat quod illi de patre referret, ideoq; nescebat quo pacto eũ adiret. At Sphodriæ amici, cũ Archidamũ haud amplius è domo procedere cernerent, quãuis antea Cleonymum frequenter cõcomitari solitus esset, ne ab Agesilao obiurgatus esset uerebantur. Tandem Archidamus procedere, sicq; patrem alloqui ausus est: Cleonymus, ô pater, me tibi supplicare iussit, ut illi parentem serues: & ego, si fas est, id quoq; precor. At ille respondit, Tibi ignosco: at quo pacto mihi à ciuitate ignoscendum sit, si uiro iniusto pepercero, qui proprij lucri gratia, magna ciuitatẽ affecit iniuria, haud cerno. Et ille ad hæc nil cõtradicere ausus, sed iustitia confusus discessit. Postridie uerò regressus, seu ipse præmeditatus, seu ab alio edoctus, talem intulit sermonẽ: Si Sphodrias, ô pater, nil iniustè egisset, scio ipsum absolueres: nũc si quid peccauit, nostri gratia sibi ignoscas oro. At ille respondit: Si hæc honesta futura sunt, sic esto. Quæ cùm Archidamus audiuisset, exigua spe discessit. Post hæc cùm Sphodriæ amicus quidam cum Etymocle sermonem habuisset: Vos, inquit, omnes, ut arbitror, Agesilai amici Sphodriã morte condemnabitis. Cui Etymocles ait: Non hercle igitur eadem cum Agesilao faciemus: ille enim cum ctis, cùm hac de re sermo incidit, ait: Impossibile est Sphodriam non iniustè fecisse: uerùm qui & puer, adolescens ac uir, semper egregiè egerit, crudele fore talem interficere uirum, cùm præcipuè Sparta similium indigeat mili-

tũ. Ille his auditis ueſtigio Cleonymo nunciat: q protinus ad Archidamũ accurrẽs, ait: Quòd noſtri curã geris, iam intelleximus: atqui noueris ô Archidame, nos quoq; enixè operã daturos, ne unq̃ te noſtræ pœniteat amicitiæ. Nec mentitus eſt: nam uiuẽs cunctis illũ demeritus eſt offi ijs: & in Leuctris ante regem pugnans cũ Dinone polemarcho, primus ciuiũ in medios irruit hoſtes, ibiq; egregiè pugnans occubuit, et Archidamũ quidem ad extremũ cruciauit, uerũ ut promiſerat præſtitit, ne ipſius amicitia illi dedecori, ſed honori eſſet. Et Sphodrias hoc maximè effugit pacto. Proinde Athenienſes quicunq; Bœotijs fauebant, populum inſtigabant, oſtendebãtq; Lacedæmonios nõ ſolũ illatas iniurias ultos nõ eſſe, ſed potius Sphodriã laudib. extuliſſe, quòd Athenienſib. inſidias molitus eſſet: quapropter Athenienſes Piræũ munire aggreſſi ſunt, nã ualiaq; refecere, Bœotijsq; pro uirib. auxiliũ ferre ſtatuerunt. Lacedæmonij rurſus exercitũ cõtra Thebanos emittere decreuerunt, ac Ageſilaũ, quia illum Cleõbroto expertiorem arbitrabantur, ut expeditioni huic præeſſet, rogauerũt. Ille uerò nulli rei quã ciuitati acceptã fore cognoſceret, ſe contradicturũ oſtendit, confeſtimq; copias cõparat. Cæterũ cùm haud ignoraret, ni quis Citheronem præoccuparet, haud facilè in Thebanũ agrum trãſgredi poſſe: Cletorienſes uerò cõtra Orchomenios bellum gerere, peregrinumq; alere militem noſſet: cum eis egit, ut ſi mercenarij indigeret militis, illi nõ denegaretur. Cùm igitur rem ſacram pro traiectu feciſſet, anteq̃ Tegeam ueniſſet, ad præfectum peregrini militis Cletoriũ mittit, ſtipendiumq; menſtruum perſoluit, ac iußit ut Citheronem occuparet: Orchomenijs uerò ut interim à bello abſtinerent,

Athenienſes injuriã affecti à Lacedæmonijs Thebanis adſciſcunt.

Ageſilaus ad bellum contra Thebanos.

rent, præcepit. Si uerò ciuitas quædam ciuitati alteri hac durante expeditione bellũ intulisset, cõtra illam iuxta sociorũ fœdera primò se iturum interminatus est. Cithero nem itaq; transgressus, Thespias uenit: inde profectus, in Thebanorũ fines impetum facit: uerũ potiora undiq; uallo ac fossa munita esse reperit. Cùm igitur in multis locis castra locasset, regionẽ omnẽ extra uallum ac fossam ferro ac igni populatus est: hostes uerò, quocunq; procedebat, intra uallum tanq̃ eum repulsuri aciem dirigunt. Ac aliquando cùm ad castra se reciperet, Thebanorum equites confestim per latentes egressi uias, clàm illos sequebantur. Cũ uerò iam cœnã pararent, corporaq; curarẽt, equitesq; partim nõdum ex equis descendissent, partim ascendissent, apparuere illi, impetũq; in Lacedæmonios faciũt, clypeatosq; quãplurimos deijciunt: ex equitib. uerò Cleonem & Epilytidem Spartanos, ex socijs uerò Eudicũ, ac nonnullos Athenienſium exules cùm nõdum equos ascendissent, opprimunt. Agesilaus his uisis celeriter suis opem fert, equitesq; cum ijs, qui decimum à pubertate annum excesserant, militibus in hostes immittit. At Thebanorum equites similes erant ijs qui meridiano æstu laborant. Sustinebant enim eos à quibus inuadebantur, ita ut hastas iacularentur, non tamen ictum perferebant: tandem duodecim ex suis amissis abiere. Agesilaus itaq; cùm semper hostes post prandium procedere uidisset, orta die rem sacram peregit: inde festinè ad hostes duxit, uallumq; præsidio uacuum sine certamine transgressus, cuncta ad urbem usq; ferro ac flamma uastauit. His gestis rursus Thespias regressus urbem muniuit, Phœbidamq; præfectum cum militum manu haud contemnenda ibi reliquit, ipse uerò

rursus Megaram regressus socios dimisit: domesticũ uerò militem domum reduxit. Phœbidas deinceps excursionibus quotidianis Thebanos infestabat, finesq; eorum agebat ac ferebat. Thebani cũ iniurias uindicare statuissent, uniuerso populo cõtra Thespienses arma mouerunt: quibus Phœbidas obuiã progressus, phalangem ab excursione inhibuit, Thebanosq; infecta re Thasum redire cõpulit: ubi tãtus terror eorum castra inuasit, ut abiectis quas collegerant frugib. domum abierint: quapropter Phœbidas cum clypeatis illos uiolentius urgebat, grauẽ uerò ar maturã, Thespienses q; structo agmine subsequi iubet: in spem enim uenerat hostilem exercitum penitus opprimi posse: quapropter citato agmine illos insequutus est. Nam & ipse magna ui præibat, & alios ut illos urgerent hortabatur, & Thespiensium armatos subsequi iubebat. Verùm cùm Thebanorum equites ad saltũ quendam inuium peruenissent, quia fugæ spes illis erepta erat, primò cõstitere, inde collecto animo in hostes cõuersi sunt, quoniã nesciebãt quâ trãsire possent. Clypeati cũ pauci numero essent, primi timore perculsi in fugã uertũtur. Id hostes cernentes, fugiẽtes insequi decreuere: Phœbidamq; resistere conãtem, cum duobus aut tribus trucidauere. Quod cùm mercenarij uidissent milites, & ipsi uniuersi fugã arripiunt, cursuq; ad Thespiensiũ grauem delati armaturã, illos quoq;, quamuis ferociter paulò antè Thebanos insequerentur, fugere cõpulere, etsi nemo hostium insequeretur: iam enim serò erat: quapropter pauci desiderati sunt: nec tamen à fuga cõstitere, priusquã urbem ingressi essent. Rursus itaq; Thebani animo elati, Thespienses ac circumiacentes ciuitates inuadere statuerunt: tamen illinc

Phœbidas interfectus fraude à Thebanis.

populus

populus Thebas migrabat. In cūctis enim ciuitatib. dynastiæ quemadmodū Thebis cōstitutæ erant, ita ut Lacedæmoniorum amici admodum auxilij indigerent. Lacedæmonij itaq; post Phœbidæ interitum, polemarchum cum cohorte una, qui Thespiēsib. præsidio esset, per mare submittunt. Ingruente uere, rursus Thebanos bello aggredi statuerunt, Agesilaumq; exercitum, ut antea, educere rogant. Ille de expeditione idem sentiens quod prius, anteq; pro transitu rem sacram faceret, Thespidas ad polemarchum mittit, quem montium summitates in Citherone occupare custodireq;, quoad ipse applicaret, iubet. Inde cū superato illo Plataeas peruenisset, Thespias, ut antea, ire simulauit, illucq; mittens cōmeatum parare, legatosq; qui undiq; conuenerant, ibi opperiri iubet: quapropter Thebani omnib. uirib. Thespiensum ingressum munierunt. Agesilaus uerò cùm oriente die litasset, Erythras pergit, & ante solis occasum duorū dierum peracto itinere, præterijt exercitum qui erat apud Scolum, priusq; Thebani ueniissent ab eo loco custodiēdo, per quem antea ingressus fuerat. Inde progressus cuncta circa Thebas aurorā uersus, ac Tanagræum usq; cōcremauit. Tanagran enim, qui cum Hypantodoro sentiebant, Lacedæmonijsq; amici erant, adhuc obtinebant. Inde digressus à sinistra urbis parte exercitū deducit. At Thebani egressi iuxta locum qui Vetulæ Pectus appellatur, aciem instruunt, tutum ibi periclitari esse rati: nam præterq; quòd à tergo munitionibus ac uallo circunsepti erant, locus ille angustus, minimeq; permeabilis erat. At Agesilaus cùm id uidisset, haud pugnā conserit, signo uerò dato urbem uersus ire pergit. Thebani uerò timentes ne urbs deserta caperetur, relicto

quem tenebant loco, celeri cursu per Potinã uiam ad urbẽ ferũtur: nam ea tutißima erat. Pulcherrimũ itaq; Ageſilaus edidit ſtratagema. Nam quãuis diuerſe ab hoſtib. recederet, eos tamen curſu reuerti, ac ſolutis ordinib. polemarchos cum legionib. currere coëgit: & Thebani à collibus lanceas iaculabantur, ita ut quendam polemarchũ Alypetũ nomine transfigerent. Tandẽ etiã his ceſſere collibus, ita ut Scirite & equitũ nõnulli nouißimos Thebanorũ adorti, ad urbem uſq; cæde cõpulerint. Sed cũ Thebani muris appropinquaſſent, rurſus cõuerſi hoſtes excipiebant. Quod leuis armaturæ milites ac Scirite uidentes, antea q̃ manus cõſererent, ad ſuos nemine deſiderato ſe nõ ſegniter recepere. Thebani nihilominus trophæum ſtatuerunt, quoniã hoſtes à perſequutione regreßi eſſent. Ageſilaus uerò ad eum quẽ paulò antè hoſtes tenuerant acceßit locũ, ibiq; caſtra collocat. Poſtridie uerò Theſpias exercitũ abduxit: quem ferociter clypeati qui ſub Thebanis merebant inſequuti, Chabriã quoq; ut idẽ faceret hortabãtur. In eos itaq; Olynthiorũ equites (iam enim ex fœdere cõmilitabãt) impetũ faciunt, illosq; per accliue proſequuti ſunt, quãplurimosq; ex eis interfecere. In accliui enim loco facilè capiuntur ab equitib. pedites. Cùm uerò Ageſilaus Theſpias ueniſſet, ciues inter ſe diſſidentes reperit. Cũq; hi qui Lacedæmonijs fauebãt, aduerſarios, inter quos Menon erat, interficere uellent, ille nõ permiſit, ſed recõciliatis illis inuicem, de pace ſeruanda iurare coëgit: ſicq; digreſſus, rurſus per Citheronẽ Megarã tranſgreſſus eſt, ubi dimißis ſocijs, ciuiles copias domũ reduxit. Premebantur interim Thebani frumẽti inopia: biennio enim nullas ex agris collegerãt fruges: quapropter duas triremes

mes cum decẽ talentis Pegasas mittunt, ut ibi frumentum emerent. Id cũ Alcetas Lacedæmonius, qui oræ illi præerat, resciuisset, dum illi frumentũ cõparant, tres clàm instruxit triremes. Cumq; naues frumento onustæ abirent, Alcetas eas intercepit, uirosq; omnes haud pauciores tercentũ in suã redegit potestatem, quos omnes in arce quam obtinebat, in uincula cõiecit. Cùm uerò puerum quendam egregia deperiret forma, ex arceq; ad illum descendisset, captiui cõspecta negligẽtia arcẽ occupant, ciuitasq; paulò pòst ad eos defecit, ita ut Thebani abundè dehinc frumentum inferre possent. Appetẽte rursus uere, Agesilaus in lecto decumbebat. Cùm enim exercitũ ex Thebis Megara reduceret, ac ex Veneris templo in Archiũ ascendisset, uena ei nescio qua abrupta, sanguis in crus sanũ defluxit: cumq; tibia illi intumesceret, ac intolerabilis dolor eum uexaret, Syracusanus medicus quidã circa talum illi uenã aperit. At sanguis cùm semel erupisset, per noctẽ ac diem integram absq; intermissione effluxit. Et quamuis omnia pertentassent, sanguinis tamen decursum sistere haud potuere, quoad animus cum reliquisset: tunc enim fluere cessauit. Et ille Lacedæmonẽ relatus, reliquum æstatis & hyemem in lecto decubuit. At Lacedæmonij ineunte uere rursus Thebanos bello petere statuere, Cleombrotumq; copias educere iubent: qui collecto exercitu Citheronem uersus ducere pergit, clypeatosq; nonnullos præmittit, quos uiarũ angustias occupare iubet. At Thebani & Athenienses cùm iam antea montem obtinerent, paulisper eos subire permittunt: cumq; propè accessissent, contra illos insurgentes, præcipites egere, ac quadraginta circiter interfecere. Quo facto, Cleombrotus cùm impossibile cerneret

Cleombrotus contra Thebanos exercitũ ducit.

cerneret in Thebanorũ transcendi posse fines, copias reduxit ac dissoluit. Cumq; inde socij frequentes Lacedæmonem cõuenissent, sermo inter illos ortus est, tanq̃ per desidiã bellũ protraheretur: multò enim plures q̃ Athenienses se naues instruere posse, ac fame urbẽ capere, indeq; Thebas siue per Phocenses, siue iuxta Crasios progredi. Cùm itaq; cõsilium id haud inutile esse uideretur, sexaginta instruunt triremes, quibus Pollen nauarchũ præficiũt. Nec illi qui hæc suaserunt, opinione decepti sunt. Cùm enim frumentariæ Athenienſium naues ad Geræstum applicarent, ob Lacedæmoniorũ metum qui circa Aeginã, Ceum & Andrum in stationibus agebant, ultrà progredi non audebant: sicq; Athenas penitus obsideri, ac fame urgeri contigit. Ea igitur Athenienses necessitate coacti, classem ipsi quoq; comparant, ac Chabrio duce cum hostib. confligunt & superant, ita ut liberè inde frumentũ importari possit. Interim Lacedæmonij pedestres coëgere copias, ac in Bœotiã transcendere nitebantur: quapropter Thebani Athenienses rogant, ut hostiliter Peloponnesum aggrederẽtur: sic enim fore rati, ut domestico Lacedæmonij implicati bello, ab externis tutandis auocarentur ciuitatibus, ipsiq; faciliter inde ijs resistere possent. Et Athenienses, quia Lacedæmonijs ob Sphodriæ iniurias infensi erãt, impigrè exercitũ cum nauib. sexaginta, quibus Timotheũ præficiunt, in Peloponnesum mittunt. Et quoniã hostes Thebas nõ inuaserant, neque tum cùm adhuc Cleombrotus exercitũ duceret, neq; cùm Timotheus circũnauigaret, Thebani fortiter finitimas aggressi ciuitates, rursus eas in suã redigunt potestatem. Timotheus tamen circũnauigans Cercyram subigit, nec tamen diripuit, uirósue expulit,

expulit, aut leges immutauit: quapropter ciuitates cūctas finitimas beneuolentiores habuit. Lacedæmonij itaq; & ipsi classem instruunt, Nicolochumq; uirum audaciſsimū illi præficiunt. Qui cùm Timothei conſpexiſſet naues, nihil cunctatus est: ac quamuis ſex Ambraciorum abeſſent triremes, nauibus quinq; & quinquaginta, cum ſexaginta Timothei conflixit nauibus, ab illoq; uictus est. Timotheus uerò trophæum in Aelyzia cōſtituit. Nicolochus autem collectis ex fuga nauibus, aſſumptisq; ſex Ambraciotidis triremibus, Aelyziam, ubi Timotheus ſedebat, nauigat. Qui cùm haud cōtrà prodiret, ille quoq; trophæum in proximis ſtatuit inſulis. At Timotheus cùm & naues ſuas inſtruxiſſet, alias quoq; ex Cercyra impleſſet, plures quàm ſeptuaginta comparauit triremes, ita ut longè claſſe excelleret: ſed quia pecunijs haud paucis ob claſsis magnitudinem indigebat, eas ab Athenienſibus depoſcebat.

XENOPHONTIS RERVM GRAECARVM LIBER SEXTVS, BILIbaldo Pirckemero interprete.



T hic ſtatus Athenienſium & Lacedæmoniorum erat. At Thebani cùm Bœotias ſub egiſſent ciuitates, in Phocæam exercitū ducunt. At Phocenſes Lacedæmonem pro auxilio oratum mittunt, oſtenderuntq;, ni eis opem ferrent, non poſſe Thebanis non conſentire. Lacedæmonij igitur per mare Cleombrotum regem cum cohortibus quatuor, & ſociorum parte, Phocæam mittunt. Eodem fermè tempore Lacedæmonem ex Theſſalia applicuit Polydamas Pharſalius: erat is in uniuerſa Theſſalia clarus, tantæq;

in ciuitate sua, cũ probitate, tum æquitate, existimationis, ut inter se dissidentes Pharsalij, illi arcem commiserint, publicosq; redditus ei assignauerint: iusseruntq;, ut quantũ lege permitteretur, cum ad sacrorum sumptus, tum ad alias expensas sumeret. & ille his pecunijs arcem illis seruauit, ac cuncta necessaria de his per annum expendit: & si quando pecunijs carebat, proprias impendebat: eratq; aliàs hospitalis, ac Thessalorum more magnificus. Hic itaq; cùm Lacedæmonem uenisset, ac sibi fandi data copia esset, ita disseruit: Ego, ô uiri Lacedæmonij, cùm hospitio uobis deuinctus sim, & ab omnibus, quantùm remi nisci potest, progenitoribus uobis benefacere didicerim, dignum arbitror, si rei cuiusquam indigeam, uos adire, & si quid uobis aduersi in Thessalia accidere didicerim, significare. Audiuistis igitur proculdubio Iasonis nomẽ: uir etenim ille potentißimus, ac magni existit nominis. Ille igitur per inducias me conuenit, itaq; disseruit: Quòd ego, ô Polydama, urbem uestram Pharsalum etiam inuitam mihi subijcere ualeam, inde tibi cõiecturare licet: siquidem plurimis ac maximis Thessaliæ ciuitatibus pro socijs utor: quas tamen omnes, quamuis uos illis cõtra me opem præstiteritis, unaq; militaueritis, subegi. Nosti præterea quòd peregrinum alam exercitum, sex millib. haud inferiorem, cui ciuitas nulla, ut arbitror, facilè resistere potest. Nam etsi aliunde non minor educitur exercitus, ciuitatum tamen milites partim uiribus sunt effœti, partim uixdum pubertatem attigere: uigent quidem in ciuitate unaquaq; quampaucißimi. Apud me uerò nullus meret, qui non labore mihi æquiparari possit. Ipse autem (oportet enim apud uos uera loqui) corpore est robusto, laborisq;

Polydamæ concio.

risq; patientißimus, ac uirtutis quotidie periculum facit: siquidem in gymnasijs ac exercitu assiduè se armis exercitat. Ac quoscunq; ex peregrino milite molles cernit, illos exterminat: quos uerò laboris patientes, & in periculis contra hostes audaces cognoscit, honorat, ac honestis ordinibus, donisq; decorat largißimis: languentes curat, mortuosq; sepulturis exornat, ita ut omnes milites peregrini qui sub eo militant, planè nouerint bellicã uirtutem, honoratißimam ac spectatißimam ipsis cõferre uitam. Ostendit mihi præterea, iam Maracos & Dolopes ab eo subactos esse: Alcetem quoq; qui in Epiro dominatur: ideo, inquit, minimè uereor ne nos & quam facilimè uincere queam. Verùm rerum inexpertus quispiam dicere posset: Cur ergo differs, & non confestim Pharsalios bello aggrederis? Quandoquidem, per Iouem, longè mihi pulchrius esse uidetur, uolentes uos potius quàm inuitos mihi conciliare. Si enim ui à me subacti eritis, semper de fide uestra dubitare cogor: uerùm ego uos mihi fidißimos esse cuperem. Si itaq; mihi adhærebitis, manifestè cõstat quòd utrinq; uiribus admodum crescemus. Noui uerò ô Polydama, quòd patria tua in te solum respicit: quã si mihi, ut amicabiliter ea uti possim, cõciliaueris, tibi, inquit, promitto, maximum te, secundum me, in uniuersa Græcia constituturum. Et ut manifestius tibi rem ostendam, audi. Nil enim te credere iubeo, nisi quod certißimis rationibus uerißimum esse comprobauero. Nónne hoc manifestè constat, si Pharsalus cum ciuitatibus adhærentibus nobiscum sentiet, ego facilimè Thessalorum omnium dux constituar? Id si fiet, Thessalia equites circiter millia sex, grauis uerò armaturæ milites ad millia decem

ſuppeditare poterit. Qui ſi uirib. noſtris accedent, ſi rectè eorum corpora animiq; magnitudinem cõſidero, nullam eſſe gentem arbitror, cui dignentur parére Theſſali. Cùm enim latiſſima ſit Theſſalia, gentes omnes circũiectæ, ſi dux in illa conſtituetur, colla illi ſubmittent: quæ cùm fermè omnes ſagittis ſe exerceant, magnam clypeatorum uim afferant neceſſe eſt. Præterea Bœotij, & reliqui omnes qui contra Lacedæmones bellum gerunt, ſe mihi ſocios offerunt, ac me iam quoq; ſequi dignum ducunt, ſi ſolùm eos à Lacedæmoniorum liberauero iugo. Athenienſes præterea rectè noui cuncta machinaturos, ut ſocietatis noſtræ compotes fieri poſſint: quorum tamen ſocietatem reſpuendam cenſeo: quandoquidem facilius mari quàm terra principatum acquiri poſſe reor. Et ſi haud abſurdè ratiocinor, ad hæc quoq; intende. Cùm nos Macedoniam, unde Athenienſes ligna ſumunt, poßideamus, longè plures illis naues ædificare poterimus. Viris uerò egregiè illas inſtruere, nunquid Athenienſes, aut nos potius poſſe credendum eſt, qui tam multos habeamus pauperes? Nautas uerò nónne propter abundantiam, et quia aliò quoq; frumentum emittimus, alere aptiores ſumus Athenienſibus? quibus nil eſt, niſi quod pecunijs emunt. Nónne item pecunijs nos ſuperabundare par eſt, minimè ad inſulas reſpicientes, ſed à mediterraneis gentibus fructus colligentes? quandoquidem omnia per circuitum nobis tributum perſoluent, ſi in Theſſalia ducatus conſtituetur. Noſti ſiquidem Perſarum regem, cùm non ex inſulis, ſed mediterraneis regionibus fructus colligat, ditißimum omnium eſſe hominum: quem ego facilius ſubigendum eſſe reor, quàm terram Græciæ: quandoquidem omnes ibi homi-

homines, excepto uno, potius seruitutis quàm fortitudinis memores esse scio. Noui præterea quibus uiribus Cyrus ascenderit, quaq; potentia Agesilaus in Asia rem gesserit: quibus tamen rex in ultimum penè discrimen incidit. Hæc cùm ille dixisset, respondi: Cætera consideratu digna esse: sed ab Lacedæmonijs socijs ad hostes deficere, cum eos nulla in re inculpare possimus, mihi admodũ iniquum esse uideri. At ille me hanc ob rem laudans, dixit: Cùm talis sis, multò mihi acceptior eris. Sicq; me dimisit, uosq; adire, & ostendere iussit, omnino se Pharsalijs bellum illaturum, ni dictis pareant. Opem insuper à uobis postulare me hortatus est: & si tibi, inquit, auxilium, quo mihi resistere poteritis, concesserint, agè belli fortunam experiamur. Quòd si tibi non adeò potentes uidebuntur, ut auxilium ferre possint, non iam amplius erga patriam iustè te geris: quæ cùm te honoribus afficit, tu econtrà illam periculis obijcis certissimis. quapropter, ô Lacedæmonij, uos acceßi, & omnia quæ illic uidi ac audiui, iam enarraui. Proinde ita rem se habere arbitror, ut si exercitum illuc mittetis, qui non solùm mihi, sed & reliquis Thessalis, Iasonis uiribus resistere posse uideatur, confestim ab eo ciuitates defecturas. Vehementer enim omnes formidant, ne longius uiri potentia serpat. Si uerò Neoda modes cum uiro priuato aliquo illi resistere posse existimatis, uobis quietem agere consulo. Siquidem magnis uiribus res uobis agenda erit, & contra uirum talem, qui adeò dux est prudens, ut si quid clàm & per insidias, uel palàm & ui aperta agere constituit, haud multum opinione aberret. Nouit præterea nocte non secus ac die uti, & cùm res exigit, prandio cœnaq; simul sumpta labo-

rat: ac tum demum sibi quiescendum esse arbitratur, cùm eô quô desiderat, peruenerit, remq; ex animi sententia absoluerit. Nouit & quemadmodum militum desiderio, cùm quid egregium perpetrauerint, satisfaciendum sit: ita ut cuncti qui sub eo merent, certissimè sciant, labores ocium quoq; sequi. Ipse uerò inter omnes quos ego noui homines, præcipuus uoluptatum est contemptor, adeò ut nunquam tantisper animũ remittat, quin id quod decorum sit, perficiat. Vos igitur re diligenter considerata, mihi, ut maximè uos decet, aperiatis, qd hac in re uel agere possitis, aut saltem uelitis. Et ille ita loquutus est. Lacedæmonij uerò tum rem in alteram distulere diem. Postridie uerò & subsequentibus diebus cùm diligenter suas examinassent uires, perpendissentq; quantum copiarum, nauium, tum domi, tum foris alere cogerentur: classis præterea quam contra Athenienses instruere cogerentur expensas: tum finitimorum odia & bellum considerassent, ita respondere placuit: se impræsentiarum auxilium sufficiens emittere posse minimè, uerùm ut abiret, sibiq; & ciuitati pro uiribus consuleret, monuerunt: & ille laudata ciuitatis ingenuitate discessit, Iasonemq; rogauit, ne illum arcem tradere cogeret, quò fidei suæ commissa custodire posset. Filios uerò suos illi obsides dedit, promisitq; ciuitatem sponte illi conciliaturum, ipsumq; ducem constituturum. Data igitur & accepta fide, confestim pax Pharsalijs reddita est, et eorum uoluntate Iason Thessaliæ dux constitutus est. Qui cum ciuitatibus singulis, tum equitũ, tum peditum iniunxisset numerum, octo millia equitum, peditum uerò millia collegit uiginti: clypeatorum uerò tantus erat numerus, ut omnibus resistere possent hominibus:

Iason Thessaliæ dux

nibus: ipse uerò tanquam omnium dux, ex omnibus ciuitatibus tributum exegit. Et hæc quidem hoc sunt gesta pacto. Ego uerò unde digressus eram, reuertar. Lacedæmonij interea & socij Phocæam conuenere: at Thebani domum reuersi, ingressum obseruabant. Athenienses uerò cùm Thebanos eorum opera creuisse cernerent, nec pecunias ab illis ad rem acciperẽt naualem, quotidianisq; grauarentur collationibus, ex Aegina quoque piratis infestarentur, necnon fines suos tutari cogerentur, ad pacem animum inclinare cœperunt, belloq; finem imponere decreuerunt. Quapropter missis Lacedæmonem legatis pacem fecere, confectumq; inde duo ex legatis ciuitatis decreto ad Timotheum nauigauere, illumq; de pace certiorem reddidere, domumq; redire iusserunt. Et ille abiens Zacynthiorum exules in terram eorum exposuit: quapropter confectum Zacynthij Lacedæmonem miserunt, ostenderuntq; quàm insigni à Timotheo iniuria affecti essent. Lacedæmonij itaque contra pacta Athenienses egisse rati, rursus classem instruunt, nauesq; tam ex Lacedæmone, quàm Corintho, Leucade, Ambracia, Elide, Zacyntho, & Achaia, Epidauro, Trœzene, Hermione ac Halieo, sexaginta circiter collegere. Classi uerò Mnasippum præficiunt, quem maris illius curam gerere, ac Cercyram bello lacessere iusserunt. Ad Dionysium quoque miserunt, cui ostenderunt, quàm utile ipsi esset, si Cercyra Athenienſibus non parêret. Et Mnasippus uniuerso collecto exercitu, Cercyram contendit, ducens secum præter Lacedæmonios, mercenarios quoque milites mille circiter ac quingentos. Cumq; in terram descendisset, regionem illam amœnã egregieq; excultam, uniuersam ferro

pax facta inter Athen. & Lacedæ. sed minime diuturna.

ac igni uastauit. Magnificæ enim domus cum cellis uinarijs in agris erant extructæ, militesq; eò uenere deliciæ, ut uinum nullum præter odoratum bibere uellent. Mancipia quoq; ac pecora multa abacta sunt. Inde castra in tumulo circiter quinq; stadia ab urbe distanti locauit, ut Cercyrenses penitus ab exitu coërceret. Classis uerò ad alteram urbis partem circumacta est, unde & adnauigantes prospicere, & prohibere posset: indeq; nonnunquam cùm per uentum licebat, in portum quoq; impetum faciebat, urbemq; undiq; hoc circundedit pacto. At Cercyrenses quia & terra & mari obsessi erant, nilq; inferri poterat, magna penuria laborare cœperũt: quapropter Athenas pro auxilio oratum mittunt, pariterq; quàm magnis priuarentur commodis, si Cercyra illis auferretur, hostibus uerò quantum uirium accederet, ostenderunt, cùm ex nulla ciuitate, exceptis Athenis, neq; nauium, neq; pecuniarum summam maiorem colligere possent. Etenim sita est Cercyra, cum urbibus quæ ad sinum pertinent, in amœnissimo Corinthiaco sinu, egregieq; Laconicam terram offendere potest: commodissimè uerò ex oppositio continenti à Siciliaq; in Peloponnesum nauigationem præstat. Athenienses igitur his auditis, totis uiribus bello incumbendum esse rati, Stesicleum cum sexcentis clypeatis illuc mittunt, quos Alcetem deducere rogãt: & illi nocte applicantes, urbem ingressi sunt. Decreuerunt præterea triremes instruere sexaginta, quibus Timotheum præficiunt: qui cùm naues domi implere haud posset, insulas circumnauigans, ex illis remigem parare instituit, eo quoq; pacto naues exerceri posse existimans. Athenienses uerò illum tempus frustra terere rati, ei minimè

nimè pepercere, sed abrogato illi imperio, Iphicratem dedere successorem: qui naues admodum celeriter impleuit, trierarchis quoq; uim adhibuit, omnes quoq; naues ex Attica secum sumpsit, neq; paralo aut salaminiæ pepercit, asserens, si ibi res ex sententia succederent, multas illis remissurum naues. Septuaginta itaq; nauium classem breuiter collegit. Interea Cercyrenses adeò uehementer urgebantur, ut ob transfugarum multitudinem Mnasippus per præconem denunciauerit, se illum hastæ subiecturum, si quis amplius transfugeret. Sed cùm nihilominus transfugerent, tandem flagris cæsos dimittebat. At qui in urbe erant, seruos amplius intra mœnia haud suscipiebant, ita ut multi extrà fame perirent. Quæ cùm Mnasippus cerneret, arbitrabatur modo non urbem cepisse. Insolentius igitur cum mercenarijs cœpit agere militibus, ac quosdam insolutos abegit: eis uerò qui remanebant, bimestre debebatur stipendium, non ob pecuniarum, ut fere batur, penuriam, quarum summam immensam militum loco ciuitates, quia maritima illa erat expeditio, submiserant. Interim qui in urbe excubabant, cùm ex turrib. cernerent phalangem negligentius agere, militesq; undiq; per agros dispersos, urbe erumpunt, & quosdam ex hostibus uiuos in potestatem redegere, nonnullos uerò obtruncarunt. Mnasippus cùm hac de re certior factus esset, sumptis armis cum militibus uniuersis quos circum se habebat, opem ferre pergit: necnon turmarum ductores & tribunos mercenarium educere iubet militem. Cumq; ex his nonnulli respondissent, difficulter eos, cùm neq; stipendium solueretur, aut necessaria tribuerentur, sequuturos, alios baculo, quosdam uerò hasta percussit. Illi itaq;

ægrè contumeliã ferentes, ducẽq; infensissimo persequentes odio, omnes simul egressi sunt: quod minimè ad prælium cõducit. Quibus in ordinẽ redactis, hostes ad portas urbis usq; persequutus est. Qui cũ muris appropinquassent, cõuersi, iaculis ac sagittis insequentes ulciscebãtur. Alij uerò alia excurrentes porta, collectiq;, uehementer nouissimos urgebant. Qui cùm in octenos essent ordinati, infirmam arbitrati phalangis aciem, abire nitebãtur: sed eùm retrocedere inchoassent, Cercyrei eis tanquam fugientibus instabant: at illi nondum se conuertebant, sed qui eos proximè sequebantur, fugam circunspiciebant. Mnasippus uerò illis, cùm et ab alia parte urgeretur, succurrere haud poterat: milites quoq; assiduè ab eo dilabebantur. Tandem hostes collecti omnes, qui pauci erant, circa Mnasippum, opprimunt. Id cùm grauis armaturæ uidissent milites, ipsi quoq; pedem referunt, & tandem omnes in fugã uertuntur, parumq; abfuit quin castris quoq; exuerentur. Verùm Cercyrei cùm turbam lixarum, seruorum ac mancipiorum procul uidissent, illos in auxiliũ aduentare rati, receptui cecinere, erectóq; trophæo mortuos per inducias reddidere. Inde obsessi animos erigere cœperunt. Lacedæmonij uerò ingenti premebantur tristitia: siquidem Iphicrates nõ tantùm cum classe adesse ferebatur, sed Cercyrenses quoq; nauibus instruendis operam impendere: quapropter legatus Mnasippi qui euaserat, classem ad uallum circumegit, inde nauigia mancipijs & pecunijs onusta dimisit: ipse uerò cum ascensoribus & qui euaserant militibus, uallum seruabat. Tandẽ hi quoq; timore perculsi, conscensis triremibus abierunt, copioso frumento, multo uino, mancipijs & militibus infirmis quam-

Mnasippi interitus.

quamplurimis derelictis: uehementer enim timebant, ne ab Athenienſibus in inſula deprehenderentur. Et illi quidem in Leucadem ſe recepere. Iphicrates uerò cum nauigare cœpiſſet, inter nauigandum omnia pugnæ nauali neceſſaria expediebat, aſſidueq; maioribus depoſitis malis, certamini nauali ſe accingebat. Quòd ſi uentum ſequundum nactus fuiſſet, minimè illo utebatur, ſed remis tantũ agebatur: eo ſiquidem pacto militum corpora exercebat, nauesq; multò agiliores reddebat. Sæpius quoq; ubi exercitus prandere ſeu cœnare deberet, cornua à terra obuertebat: cumq; naues circumegiſſet, ac dato ſigno proras ex aduerſo conſtituiſſet, primores aquatũ, uel ſi alterius rei indigi eſſent, in terram dimittebat, prandereq;, et aquam ſumere iubebat. Qui uerò ultimo applicabant loco, magna afficiebantur pœna, quòd & illis omnibus carerent, & dato ſigno iterum naues conſcenderent: eo enim accidebat pacto, ut primi cuncta per quietem expedirent, ultimi uerò omnia cum feſtinatione agere cogerentur. Stationes quoq; cùm in hoſticum deſcendebat, non ſolùm, ut decebat, in terra conſtituebat, ſed & ab erectis malis ſpeculari iubebat: ſiquidem ab his melius quàm à terra proſpectus patebat. Cùm uerò cœnandi, aut dormiendi tempus inſtabat, nullus in caſtris lucebat ignis, ſed ante illa, ne quis clàm accedere poſſet, accenſus erat. Sæpius quoque cùm tranquillitas incidebat, confeſtim ſumpta cœna diſcedebat: & ſi aura ſpiraret, nautæ per quietem nauigabant: ſi uerò remis naues impellere cogerentur, dimidia pars laborabat, altera uerò quieſcebat. Diurna uerò nauigatione dato ſigno iam in cornua claſſem protẽdebat, indephalãge procedebat, ita ut pariter nauigaret, ſimulq;

classem exerceret, ac omnium animos ad futurum certamen præpararet. Frequenterq; in hostico & prandebãt & cœnabant, propterea quòd solùm necessaria faceret, & antè soluebat, q̃ succurri ab hostib. posset, ac celeriter transibat. De Mnasippi uerò morte, primùm cùm circa Sphageas in Laconia esset, audiuit. Verũ cùm Eleam applicuisset, ad Alphei fauces nauigauit, & ad locũ qui Piscis appellatur, processit: unde postridie Cephaleniam cõtendit, ac structa acie tanq̃ pugna nauali decertaturus ferebatur. Nam de Mnasippi morte à nemine audiuerat qui interfuisset ipse: ideoq; suspicatus id fallendi animo ab hostib. cõfictum esse, cautius iter agebat. Postquàm uerò in Cephaleniam transmisit, apertè quæ gesta erant, audiuit, exercitumq; aliquantisper recreauit. Et quamuis nõ ignorẽ, hæc omnia, hisq; similia, duces cùm pugna nauali sint conflicturi, præmeditari solere: illud tamen laude dignum censeo, cùm quis ad hostes accelerare cogitur, nõ tamen inter nauigandum aliquid obliuiscatur, quod ad certamen futurũ pertinere uideatur: neq; propter hanc exercitationem, tardius quod cõstituerat iter facere cõpellatur. Cùm igitur ciuitates Cephaleniæ subegisset, Cercyrã nauigat: ubi audiuit decem aduentare triremes, quæ ab Dionysio Lacedæmonijs auxilio mittebãtur: quapropter cõsiderato loco, ex quo quamlongissimè prospectus patêret, ibi speculatores cõstituit, quibus iniunxit, primũ cùm naues à longè cernerent, signũ darent. Trierarchos uerò uiginti elegit, quos ad præconis uocem celeriter subsequi iussit. Si quis minimè parêret, hunc se impunitũ haud derelicturum cõminatus est. At cũ dato signo hostes aduentare cognitum esset, præconisq; uox audita, spectatu digna

gna festinatio uisa est: nemo non enim eorum qui naues ascendebat, cursu ferebatur. Iphicrates igitur hostili classi obuiam pergit: quam uacuã nactus (nam milites in terram descenderant) naues omnes necnon uiros in suã redegit potestatẽ, præter Melanippũ Rhodiũ, qui alijs quoq; suas erat ne ibi starent, & sua excesserat naui. Hic itaque saluus è manib. Iphicratis euasit. Et Iphicrates Syracusanorũ naues detruncatis proris in Cercyreorum perduxit portum: uiris uerò cunctis argenti summã, qua se liberare possent, constituit. Anippum uerò arctius custodiebat, ut uel pecuniam ingentem ab eo exigeret, uel pro seruo uenderet. At ille præ mœstitia sibi mortem cõsciuit. Reliquos omnes Iphicrates, cùm Cercyrenses se pecuniarum sponsores præstitissent, liberos dimisit. Et nautas quidem Cercyrensib. agrum colentes ut plurimũ alebat. Cum cetratis uerò ac grauis armaturæ militibus in Acarnaniam transgressus est, ac ciuitatib. amicis si quid indigerẽt præstò erat: Thyrensibusq; uiris fortißimis, ac loci opportunitate fretis, bellum intulit. Inde classem quasi nonaginta nauium ab Cercyra accersiuit, ac in Cephaleniam delatus pecunias tam à uoluntarijs q̃ ab inuitis exegit. Inde Lacædæmoniorum fines, sociasq; illorum ciuitates aggredi statuit, & uoluntarias in ditionem suscipere, resistentes uerò debellare. Proinde hanc Iphicratis expeditionẽ haud mediocri laude dignam arbitror: plus tamẽ extollendũ, quòd Callistratum non admodum idoneum, Chabriamq; rei militaris expertißimum, sibi in agendis rebus socios attribui precatus est. Si enim eos, quoniam prudẽtia excellere credebat, sibi consiliarios acciuit, sapienter mihi egisse uidetur: sin uerò quòd aduersarios censebat, rebus

tamen agendis præsentes esse desiderabat, ut planè cernere possent eum nil per contemptum, temeritatem uel superbiam agere, magnanimi mihi uiri officio functus esse uidetur. Et ille siquidem ijs incumbebat. Athenienſib. interim, cũ amicos suos Platæenses Bœotia excidisse, ad eosq; confugisse cernerent, Thespienses uerò rogantes ne urbe expulsi negligerentur, non amplius Thebanorum placebant acta: uerùm ne illis bellum inferrent, partim uerecundia prohibebantur, partim uerò quòd in uanum se nisuros intelligerent, à bello abstinebant. Veruntamen cùm illos ciuitatib. Phocaicis ac ueteribus amicis, quiq; in bello contra Barbaros gesto egregiam nauassent operam, arma inferre uiderent, amplius illorum facti participes esse noluerunt. Populus igitur pacem faciendam esse decreuit. Primò itaq; Thebas legatos mittunt, illisq; denunciarunt, si ita uisum esset, pro pace firmanda se Lacedæmonem sequerentur. Inde Lacedæmonem quoq; legati missi sunt, Callias Hipponici, Autocles Strombichidis, Demostratus Aristophontis, Aristocles Cephisodoti, Melanopus Lycanthi filius. Aderat & Callistratus orator: siquidem Iphicrati, si eum dimisisset, promiserat, aut pecunias ad rem naualem se missurum, aut pacem conciliaturum. Cùm igitur legati irent, ille Athenis erat, ac sedulò de pace agebat. Vbi uerò ad concilium Lacedæmoniorum ac sociorum producti essent, Callias primus eorum orationem habuit. Erat is eiusmodi, ut nõ minus à seipso quàm ab alijs laudari se lætaretur. Et tũ quidẽ sic dicere orsus est: Viri Lacedæmonij, hospitij iure non solùm ego uobis deuinctus sum, sed & patris pater, cũ hoc à patre accepisset, generi ac posteris per manus tradidit. Volo autem

Calliæ oratio.

hoc

hoc quoq; uobis declarare, quo pacto erga nos affecta sit ciuitas. Illa enim quando bellum est, duces nos eligit: cùm uerò illa pacis tenetur desiderio, ad eam conciliandam potissimũ nos legati mittimur. Proinde iam bis pro dissoluendo bello huc concessi, in ambabusq; legationib. inter uos & nos pacẽ sanciui. Nunc uerò tertiò aduenio, reorq; æquissimã nunc reconciliationẽ me consequuturũ. Cerno etenim haud secus uos q̃ nos affectos esse, & æquè captiuitatem Platæensium ac Thespiensiũ ægerrimè ferre. Nónne igitur cùm ita utrinq; sentiamus, potius amicos q̃ hostes esse decet? Atqui ad sapientes spectat quãdoq; bellum soluere, etiamsi non parua interceserit offensa. Nos uerò cùm adeò unanimiter sentiamus, nónne mirum est non iampridem pacem facere? Equidem iustum est nos alteros alteris bellum non inferre. Nam, ut fertur, Triptolemus progenitor noster, Cereris ac Proserpinæ arcana sacra, ex peregrinis Herculi duci uestro, Castori quoq; ac Polluci ciuib. uestris, primò ostendit, ac Cereris frugẽ primò in Peloponneso seminandam tradidit. Quo igitur pacto æquũ aut iustum esse potest, uos à quibus olim semina accepistis, ad illorũ fruges deuastandas pergere? seu nos quibus tradidimus, hos nolle quamplurimam alimenti copiam habere? Si itaque fatis ac deorum uoluntate bellum inter homines quandoque concitatur, decet nos id incipere quamtardissimè: cùm uerò id acciderit, quamcelerrimè soluere. Post hunc Autocles rhetor acerrimus ita disseruit: Viri Lacedæmonij, quamuis non ignorem ea quæ dicturus sum uobis haud admodum iucunda auditu fore, existimo tamen cùm amicitia quæ diuturno sit permansura tempore, sit sancienda, ostendendum

Autoclis oratio.

primò esse quæ potissima belli causa extiterit. Vos uerò semper ciuitates liberas esse oportere prædicatis, cũ maximè uos libertati illarum impedimento fitis: siquidem id primũ cum amicis agitis urbibus, ut uos quocunq; ducatis sequãtur. Nunquid hoc libertati cõuenit? Hostes quoq; ex libito, non cõmunicantes cũ socijs, facitis. Inde euenit, ut illos quos liberos appellatis, sæpius aduersum optimè meritos militare cogatis: & quod maximè libertati contrariũ est, hìc decarchias, alibi uerò triacontarchias constitutis: præfectorumq; illorum maximã curam geritis, non equidem ut legitimè imperent, sed ut per uim ciuitates obtinere queant, adeò ut potius tyrannide quàm ciuili tate oblectari uideamini. Porrò cùm Persarum rex ciuitates liberas esse iussisset, maximè sentire uisi estis, ni Thebani ciuitates singulas sui iuris esse, & proprijs uti permissent legibus, minimè literis paruisse regijs. Verùm cùm Cadmiam occupassetis, neq; Thebanis ipsis libertate frui concessistis. Oportet uerò eos qui amici futuri sunt, nõ ab alijs quod dignum iustumq; sit exigere, seipsos uerò ut potentia crescant, cupidissimos ostendere. Quæ cũ dixisset, silentium ab omnib. sequutũ est: & qui Lacedæmonijs infensi erant, sermone hoc maximè oblectati sunt. Post hũc uerò Callistratus ita uerba fecit: Quòd & à nobis & à uobis, ô Lacedæmonij, summopere erratum non sit, minimè affirmare ausim: quãuis non ita sentiã, ijs qui peccarunt nunquã esse utendum. Siquidem neminem ex omni mortalium numero crimine carere cerno. Atqui uidentur mihi erratis homines interdum prudentiores euadere, præcipuè cùm peccatis puniuntur, ut nos: quod pariter uobis quoq; propter iniquè acta, & multa quæ perperàm à uobis gesta

Callistrati oratio.

bis gesta sunt, euenisse uideo. Nam cùm Thebis Cadmiam occupassetis, uniuersæ ciuitates quas in libertatem uendi care studuistis, cũ iniuria Thebanos affectos esse cognouissent, ultrò illorũ sequuti sunt partes. Proinde cùm nimiã habendi cupiditatem uobis noxiã fuisse experti sitis, rursus nunc æquiores in mutua futuros amicitia spero: quam tamen quidam dissuadere conantur, & pacem criminari non desistunt, tanq̃ nos non amicitiæ gratia, sed timore potius, ne Antalcides breui cũ pecunijs à rege applicet, huc concesserimus. Verùm quantis illi innitantur nugis, considerate. Siquidem rex, Græciæ ciuitates omnes liberas esse iussit. Cùm igitur nos quoq; idem sentiamus ac agamus, nil est cur regem timeamus: nisi quis existimet, eum cũ pecuniæ iactura alios potius extollere uelle, q̃ absq; impensa, quæ illi utilissima sunt amplecti. Sed cur nam, quispiã dicet, uenitis? Non quidem ob inopiã: id quod intelligetis, si rem maritimã considerare uolueritis. Sin autem terrestrem, quid in præsentia bene sit, quãuis sociorũ quidam, aut quæ nobis non placeant, aut quæ uobis placeant, faciant: tamen credibile est, nos uelle quæ rectè sentimus, uobis ostendere, uel ideo quia seruastis nos. Atq; ut utilitatis adhuc mentionẽ faciã, in cunctis ciuitatibus homines existunt, qui partim nobis, partim uerò faueant uobis: in singulisq; urbib. hi Spartanorũ, alij Athenienſiũ sequuntur partes. Si igitur inter nos amicitia conciliata fuerit, unde credere par est molesti quippiam nobis euenire? Quis enim in terra, si uos amici fueritis, offendere nos poterit? In mari uerò, si uobis auxilio erimus, quisnã uos iniuria afficere poterit? Atqui quòd aliquando bella inter homines oriantur, rursusq; dissoluantur, omnes nouimus. Nos

uerò pacis desiderio, si non nunc, at aliquando tenebimur. Cur igitur eô rem protrahamus, ut multis incõmodis oppressi potius, quàm celeriter pace confecta, calamitates euitemus innumeras? Neq; enim illos laudandos censeo, qui in certaminibus sæpius uictoriam ac gloriam retulerunt: ita tamen contendunt, ut non antea desistant, quàm uicti laborem ac exercitium demum amittant. Neque aleæ lusores, qui cùm semel lucrãtur, inde duplo plus perdunt, quàm lucrum iam antea partum. Videmus enim tales ut plurimum ad extremam redigi inopiam. Quæ & nos considerare decet, nec unquam eò certaminis descendere, ubi aut omnia uincere, aut cuncta perdere necesse sit: sed potius ut & uiribus crescere, & beatè degere possimus, inter nos amicitiam contrahamus: eo enim pacto & nos propter uos, & uos propter nos, potentiores quàm unquam lapsis temporibus, in terra Græciæ euadere poterimus. Lacedæmonij itaq;, cùm illum rectè loquutum existimarent, pacem suscipiendam esse decreuerunt: in qua conuenit, ut præfectos ex urbib. educerẽt, exercitusq; tam terrestres quàm maritimos dissoluerent, ciuitatesq; liberas dimitterent: & si quis contra hæc uenisset, iniurium esse, licereq; omnibus oppressis ciuitatib. opem ferre: & qui id minus uellet, eum iureiurando nõ cogi auxilium ijs ferre, quibus fieret iniuria. & pacem hanc Lacedæmonij eorũ ac sociorũ nomine iuramento firmauere. Athenienses uerò ac socij, per singulas iurauere ciuitates. Ascripti quoq; sunt fœderib. Thebani. Quorũ legati postridie rursus cũ processissent, petierũt ut scriberetur, pro Thebanis Bœotios iurasse. Quibus Agesilaus respondit, nil se immutaturum de his quæ antea iurata ac descripta

Lapsi inter Athenienses et Græcas ciuitates ex bello Thebano.

pta essent. Si uerò inter fœdera annumerari nollent, eos, si ita iuberent, ex illis se deleturũ. Sicq; pax cum alijs cõfecta, cum Thebanis uerò solùm disceptatio. Et Athenienses ita sentiebant, ut Thebanos à sententia minimè dimoueri posse sperarent: & Thebani affecti tristitia discesserunt. Athenienses inde præsidia ex urbibus abducere cœperunt, ac Iphicratẽ cum classe domum reuocauere, & quæcunq; post confectam Lacedæmone pacem ceperat, reddere coëgerunt. Lacedæmonij uerò ex alijs ciuitatib. præfectos & præsidia deducebant. Cleombrotus uerò cùm in Phocæa exercitum haberet, magistratusq; qui domi erãt scisciatus esset, quid ipsum facere uellent: Prothous sententiam dixit, exercitum ex iuramenti forma dissoluendum esse, cunctasq; ciuitates ad Apollinis templum conuocari, & si quis ciuitatibus impedimento foret ne libertate frui possent, rursus collectis socijs illi bellum inferri debere: sic enim se sperare aiebat, & deos propitios fore, & ciuitates nulla maiori affici posse iniuria. Concilium uerò his auditis, illũ nugas agere existimabat. Iam enim, ut credere par est, fatis agitabantur. Prohibuere itaque Cleombrotum ne exercitum dissolueret, sed confestim illum in Thebanorum fines, ni Bœotiæ ciuitates liberas dimitterent, irrumpere iusserunt. Ille uerò cùm Thebanos minimè parêre, sed in sententia perstare uidisset, ut iussus erat, in Bœotiam mouit. At Thebani ex Phocæa illum irrupturum arbitrati, ut ingressum prohiberent, montium angustias occupauerant. At ille clàm Thisborũ superatis montibus, iuxta Creusim descendit: qua capta, duodecim quoq; Thebanorum intercepit triremes. His actis à mari discedens, in Leuctris Thespiacis cõsedit. At Thebani in

oppositō & haud longè distanti castra locauerant tumulo, nullos præter Bœotios secū trahentes socios: ibi Cleombrotum sedentem amici his compellarunt uerbis: Si ô Cleombrote Thebanos absq; pugna abire dimiseris, ne ultimum in urbe subeas discrimen, periclitaberis. In memoriam enim reducetur, quòd cùm ad Canis capita applicuisses, minimè Thebanorū uastaueris agros: quodq; postea illorū fines ingredi prohibitus fueris, cùm Agesilaus semper per Citheronem irruperit. Si igitur propria, aut patriæ teneris gloria, uiros te aggredi decet. Et amici talia dicebāt: inimici uerò iam palàm fore aiebāt, num, ut ferebatur, Thebanorū ille faueret rebus. Cleombrotus his auditis, pugnæ se accingebat. Altera igitur pars, Thebanorū primores ni pugna decernerēt, adiacētes defectionem molituras ciuitates, se uerò obsidionis periculū subituros, considerabant: id si fieret, populum quamprimum inopia premi cœpisset, quemadmodum antea, contra eos insurrecturum: quapropter satius esse rati prælio defungi, impigreq; pugnantes occumbere, quàm rursus, ut antea, fuga solū uertere. Præterea ad pugnā oraculo quodam impellebantur. Siquidem ferebatur, Lacedæmonios ibi quandoq; prælio superari debere, ubi uirginum erat monumentum, quæ à Lacedæmonijs uim passæ, ac seipsas interfeciſſe dicebantur: quapropter Thebani & ante pugnam monumentū hoc decorarant. Nunciatum quoq; ex urbe est, templa omnia sua sponte patuisse, sacraq; cuncta uictoriam à deis portendere. In Herculis uerò templo arma nusquam comparuisse, tanquam deo ad pugnam egresso, aiebant. Quidam uerò hæc omnia potentiorum commenta fuisse referunt. Hoc satis constat, Lacedæmonijs in

nijs in prælio illo cũcta aduersa, Thebanis uerò sequũda accidisse. Cleombrotus deniq; sumpto prandio de pugna deliberabat: & sub meridie uino impellente in certamen illos ruisse relatum est. Cùm uerò utrinq; arma sumpsissent, iamq; manifestè pugna decertandũ esse constaret, ex Bœotiorum castris rerum uenalium institores, & nõnulli qui impedimenta ferebant, quiq; pugnare formidabãt, abire cœperũt: quos Hieronis mercenarij milites, ac Phocensium cetrati, necnon Heraclienſium & Phliasiorum equites, adorti, undiq; circundederunt, in castraq; Bœotiorum redire compulerunt, ita ut multò maiorem & fortiorem, quàm antea esset, Bœotiorum redderent exercitum. Inde cùm in subiectum Lacedæmonij descendissent campum, ante phalangem constituũt equites: quibus Thebani suum quoq; opposuerunt equitatũ, longè animis & ob Orchomenium bellum, & Thespiensem uictoriã præstantem. Erat contrà Lacedæmoniorum equitatus ijs temporibus admodum imbecillis. Equos enim locupletiores alebant: cùm uerò in expeditionem eundum esset, tum demum ueniebat is qui designatus erat, & equum ac arma ob festinationẽ qualiacunq; sibi traderentur, accipiebat, atq; ita militabat: equis inde milites corporib. imbecilles, animisq; languentes, imponebant. Et sic utrinq; se equitatus habebat. Phalangẽ præterea ita Lacedæmonij instruxerant, ut tres tantummodo cohortes in fronte consisterent: quo accidit, ut acies haud densior q̃ militũ esset duodecim. Econtrà Thebani non minus scutis quinquaginta primã firmarũt aciem, ita fore rati, ut si medios regis perrumperent ordines, cætera omnia facilè uictoriæ cessura. Cùm uerò Cleombrotus exercitum contra hostes direxis-

set, antequam milites aciem moueri sensissent, iam equites conflixerant: confestimq; sub initium Lacedæmonij victi terga dedêre, & fugientes inciderunt in suos grauis armaturæ milites, cùm quidem adhuc inuaderent Thebanorum manipuli. Quòd uerò illi, qui circa Cleombrotũ conflixere, sub initium uicerunt, hinc coniecturare licet: non enim tempore illo regem recipere, uiuumq; abducere poterant, nisi qui ante eum pugnabant, uicissent. Cùm uerò Dinõ cecidisset, polemarchus ac ex præfectis Sphodrias, & Cleonymus filius eius, equites quoq;, & qui polemarchi comites appellantur, necnon alij ab hostibus ferè oppressi, pedem referre cœperunt. Id cùm qui in sinistro steterant cornu conspexissent, ipsi quoq; deflexerunt. Cadebant interim plurimi, cædesq; passim ædebatur. Cùm tamen fossam quam castris prætenderant superassent, arma in eo unde processerant ponebant loco: castra enim haud in plano, sed in loco aliquantùm deuexo locata erant. Lacedæmoniorum itaq; nonnulli cùm pugnæ huius ignominiam intolerabilem esse arbitrarentur, ne hostes trophæum erigerent, inhibendos esse, cæsos quoque haud per inducias, sed pugna recipi debere asserebant. At polemarchi cũ uidissent ex Lacedæmonijs mille circiter occubuisse, ex Spartanis uerò quadringentos, cùm omnino septingenti illic fuissent, cecidisse scirẽt: præterea socios omnes perquàm molestè bellum ferre, nonnullos quoq; cladem hanc haud grauatè cernere, collectis primoribus, quid agendum esset deliberare cœperunt. Ac ubi omnibus mortuos per inducias recipi debere uisum est, ad Thebanos hanc ob rem præconem misere. Illi itaq; trophæum erexere, mortuosq; per inducias reddidere. His actis, cladis nun-

Leombrotus Lacæd. ad Leuctra a Thebanis victus.

dis nuncius Lacedæmonem peruenit. Celebrabatur fortè tum puerorum certamen, uirorumq; chorus iam ingressus erat. At Ephori cùm de accepta clade certiores facti essent, ut necesse erat, indoluere: chorum uerò haud interturbarũt, sed ut ad finem usq; certamen perducere tur, permisere. Cæsorum uerò nomina domesticis reddidere: mulieribus uerò ne clamorem tollerent interdixere, tacitasq; calamitatem hanc ferre iusserunt. Postridie uerò cernere erat interfectorum propinquos alacres ac cultos in publico uersari: eorum uerò qui uiuere nunciati fuerũt necessarios, paucos, & hos mœstos ac humiles, deambulare uidisses. Ephori inde ex reliquis classibus, usque ad eos qui quadragesimum pubertatis annum attigissent, mittere decreuerunt. ab externis quoq; cohortibus eiusdem ætatis milites ad opem ferendam miserunt. Nam antea etiam qui superauerant pubertatis trigesimumquintum annum, contra Phocenses militauerant: quinetiam quos tum magistratum gerere cõtigerat, sequi iubebant. Verùm cùm Agesilaus nondum ab ægritudine conualuisset, filium eius Archidamũ exercitum educere iusserunt: quem alacriter sequuti sunt Tegeatæ. Adhuc enim uiuebant, qui cum Stasippo laconizabant. Nec parum in urbe poterant Mantinenses quoque qui ex uicis aderant: iam enim ab optimatibus regebantur. Corinthij quoq; ac Sicyonij, necnon Phliasij, Achæi quoq; impigrè sequebantur: nonnullæ quoq; aliæ ciuitates Lacedæmonios milite iuuarunt: triremes præterea tam ipsi quàm Corinthij instruxerunt. Sicyonios quoque ut idem facerent, hortati sunt, illis triremibus exercitũ deportare habentes in animo. Et Archidamus pro transitu rem facie-

bat ſacram. At Thebani confeſtim poſt pugnam Athenas nuncium mittunt coronatum, quem & magnitudinem uictoriæ nunciare, ſimulq; opem poſtulare iuſſerunt: tempus aduenisse dicentes, quo à Lacedæmonijs omniũ quæ contra illos geſſerant, uindictam exigere poſſent. Contigit uerò Athenienſem ſenatum in arce collectum eſſe: qui cùm hæc audiſſet, q̃ egrè tulerit, hinc coniecturare licet, quòd nec præco hoſpitio ſuſceptus eſt, nec ullũ de auxilio ferendo reſponſum tulit, & ita re infecta Athenis diſceſſit. Ad Iaſonem quoque ſocium Thebani celeriter miſerunt, quem opem ferre orauerunt, cõſiderantes quonam res euaſura eſſet. Et ille triremes tanquam mari ſuppetias laturus inſtruxit: accepto tamen mercenario milite, & equites quos ſecum habebat, quamuis Phocenſes non indicto bello uterentur, per terram in Bœotiam tranſgreſſus eſt, ac in plurimis ciuitatibus antea cõſpectus eſt, quàm quò tenderet auditum eſſet, ita ut priuſquam quid contra ipſum moliri potuiſſet, longè diſceſſerat: oſtendens, in rebus humanis celeritate ſæpius, multa digna ac egregia tranſigi poſſe, quàm ui. Cumq; in Bœotiam peruenisſet, Thebaniq; dicerent, tempus eſſe ut undiq; Lacedæmonios adorirentur, illumq; cum milite peregrino à tergo, ſe uerò ex aduerſo illos inuadere debere, oſtendit Iaſon eos nõ rectè ſentire: minimè enim tam egregio perpetrato opere, fortunã ſæpius eſſe tentandam. Proinde ſi rem maiorẽ gerere quærerent, facilè etiã iam parta uictoria priuari poſſe. Nonne uidetis, inquit, uos neceſsitate coactos uictoriã reportaſſe? Exiſtimate igitur Lacedæmonios quoq;, cũ ipſis de anima certamen ſubeundũ erit, pugna ſuperare poſſe. Siquidẽ, ut cernere licet, deus ſæpius

paruos

paruos extollere, potentesq; deprimere gaudet. His dictis Thebanos ne temerè de rerum periclitarentur summa, auertit. Haud secus Lacedæmonios quoq; admonuit, ut cõsiderarent, quantũ inter uictorẽ ac uictum interesset exercitũ: & si omnino acceptã referre desideratis cladẽ, ait, uobis aliquantulũ supersedere cõsulo, quoad resumptis uirib. maiori ui ad prælĩ redire possitis. Haud enim ignoratis, inquit, quosdã ex socijs de amicitia cum hostib. agere: quapropter omnino inducię uobis quærẽdæ sunt, quas ego ut tanto uos eripiã periculo, & ob paternã amicitiam & hospitalitatẽ, confectas uobis reddã. Et hæc ille dicebat. Illud uerò agebat fortassis, ut utriq;, quãuis inter se dissidentes, eo indigerẽt. Cùm uerò inducię pactæ essent, polemarchi milites cœnare, ac itineri se accingere iubent, ut nocte cõfecto itinere, sub lucis ortum Citheronẽ ascenderent. Sumpta igitur cœna, anteq; somno indulgerent proficisci iussi, confestim à uespera per Creusios deducti sunt, potius tenebris q; inducijs fidentes. Difficulter uerò pergebant: quia sub noctẽ ac cũ timore discedebant, asperrimaq; uia ad Aegosthenas Megaricas peruenere, ubi Archidami obuiã habuere exercitũ, ibiq; statiua acta sunt quoad cũcti cõuenirent socij: quibus collectis, uniuersum Archidamus Corinthum duxit exercitũ: dimissis inde socijs, ciues domũ reduxit. Iason uerò per Phocidem reuersus est, ubi Hyampolitorũ cepit suburbia, necnõ plurimis interfectis uniuersam regionẽ ferro ac igni uastauit: reliquã inde Phocidem absq; maleficio emensus est. Cumq; Heracleam peruenisset, Heracleensiũ muros discitit, nõ eam ob causam quòd timeret, ne aliquando occupatis his angustijs quispiam illi bellũ inferret, sed potius cùm

Heracleam in montium ſitam anguſtijs cerneret, uereba tur ne aliquando cùm in Græciã irrumpere uellet, præoc cupata Heraclea id facere prohiberetur. Poſtquam uerò rurſus in Theſſaliã peruenisſet, magni erat nominis, tum quòd lege Theſſalorum dux conſtitutus erat, tum quòd mercenariorũ tam equitũ quàm peditum ingentem aleret numerum, qui omnes ueterani ac fortiſſimi erant uiri. Augebatur potentia illa propter ſocietatem multorũ, nõ ſolum eorum qui iam cum eo amicitiam cõtraxerant, ſed & qui ei conciliari deſiderabant: quapropter eò deuenit potentiæ, ut à nemine uno contemni poſſet. Cùm uerò Pythia aduentaſſent, ciuitatibus ut boues, oues, capras, & ſues ad ſacrificium paſcerent edixit. Et quamuis ſingulis ciuitatibus mediocris numerus iniunctus eſſet, ferebatur tamen boues haud pauciores mille fuiſſe, reliquorum uerò pecorum decem millium exceſſiſſe numerum. Auream quoq; coronam ciuitatibus victoriæ præmium conſtituit, qui pulchriorem deo bouem pauiſſent. Theſſalis inſuper mandauit, ut tanquam circa tempora quibus Pythia celebrantur militaturi eſſent, ſe inſtruerẽt: decreuerat enim, ut aiũt, panegyrim deo peragere, certamina uerò ſibijpſi uindicare. Quid uerò de ſacris cogitaret pecunijs, nunc quoq; incertum eſt. Fertur enim, cùm Delphis conſuluiſſet oraculũ, quid fieri oporteret ſi ſacras abſtuliſſet pecu nias, deum reſpondiſſe, id ſibi curæ fore. Et uir ille quamuis talis tantusq; eſſet, eoq;, ut dictum eſt, potentiæ deueniſſet, cùm tamen Pheræorũ inſpexiſſet ac luſtraſſet equitatum, iamq; conſediſſet, interrogaſſetq;, num quiſpiã ali cuius rei indigus eſſet, à ſeptem qui acceſſerãt iuuenibus, & litem inter ſe finxerant, trucidatus ac confectus eſt.

Iaſonis interitus.

Cumq;

Cumq; satellites qui aderant impigrè illi opem tulissent, unus ex eis cùm adhuc Iasonem feriret, lancea traiectus occubuit: alter uerò cùm equum ascendere conaretur deprehensus, multisq; confectus uulneribus cecidit: reliqui ascensis ad id præparatis equis, omnes euasere, ac in quãcunq; Græciæ uenissent ciuitatẽ, summis accepti sunt honoribus. Hinc intelligere licet, in maximo Græcos cõstitutos fuisse timore, ne in apertam quandoq; erumperet tyrannidem. Interfecto illo, Polydorus frater ipsius, et Polyphron duces constituti sunt: & Polydorus, cùm ambo Lariſſam pergerent dormiens, nocte à Polyphrono fratre, ut cõiecturare licet, interemptus est. Repẽtina enim mors, & absq; manifesto indicio, suspicione non caruit. Et Polyphron annum imperauit unũ, ducatumq; in tyrannidem mutauit. Nam Pharsali Polydamantem cũ octo alijs præstantißimis interfecit ciuibus, ex Lariſſa uerò quampluri mos in exiliũ egit. Hæc cùm ageret, à fratre Alexandro, tanquam Polydorum ulciſceretur, tyrannidemq; diſſoluere conaretur, interfectus est. Sed cùm ille ducatum arripuisset, admodum Theſſalis dux moleſtus fuit, Thebanis uerò ac Athenienſibus hoſtis infeſtißimus, piraticamq; ac latrocinia crudelißimè terra ac mari exercuit. Cumq; talis esset, ipse quoque ab uxoris fratribus non ſine illius fraude peremptus est. Cùm enim Alexandrũ inſidias fratribus moliri oſtendisset, clàm eos in thalamum induxit, ibiq; per integram celauit diem. Alexandrum uerò uino ſomnoq; nacta ſepultum, cùm ad lucernæ lumen ſubduxisset enſem, fratres ut rem aggrederentur hortabatur. Verùm cùm illos timere ac cunctari cerneret, ni cœptum peragerent, Alexandrum ſe excitaturam comminata est.

Alexander Pheræus uxoris inſidijs iugulatus

Inde inductis illis, obdito pessulo, quoad uir occũberet fores clausit. Huius in Alexandrũ odij causam ab aliquibus inde ortũ ccpisse memoriæ proditũ est, quòd cùm pusionem suum iuuenem formosum in uincula cõiecisset, ipsaq; de solutione illius interceßisset, ille eductum iugulasset. Alij ferunt, cùm liberos ex illa procreasset, Thebas misisse, Iasonisq; uxorem sibi desponsasse. Et uxoris insidiarũ causæ hæ fuisse dicuntur. Tisiphonus uerò, qui senior inter fratres erat, arrepto principatu, illum ad hæc tempora, quo hæc scripsimus, obtinuit. Et quæ in Thessalia sub Iasone, ac post illius interitum ad Tisiphoni principatum usq; gesta sunt, hoc se habuere pacto. Iam uerò unde digressus sum reuertar. Archidamus postquam ex Leuctris Bœotiæ exercitum abduxerat, Athenienses animo uoluere cœperunt, Peloponnenses arbitrari se ut antea sequi oportere: Lacedæmonij eo statu essent, in quem Athenienses redegissent. quapropter ciuitates omnes quæ pacis, quam rex constituerat, participes esse desiderabant, conuocare cœperunt: quibus collectis decretum fecere, ut omnes qui unà sentire uellent, iuramentum iurarent tale: Inducias quas rex transmisit, Athenienses uerò ac socij cõfirmarunt, firmiter obseruabo. Quòd si quispiã contra ciuitatem aliquam quæ iuramentum hoc præstitit, militauerit, totis uiribus illam iuuabo. Cumq; iuramẽto hoc reliqui omnes lætati essent, Elij huic contradicere cœperunt, asserentes neq; Marganes aut Scilluntios siue Triphyllios liberi iuris esse debere, quoniam ipsorum ciuitates illæ essent. Athenienses uerò ac reliqui decreuerunt, quemadmodum antea rex scripserat, tam minores quàm maiores liberas esse ciuitates: hancq; ob rem circum singulas

gulas miserunt ciuitates, qui undiq; à magistratibus iuramenta exigerent: omnesq; præter Elios iurauere. Mantinenses uerò cùm se penitus liberos cernerent, cõuenere, rursusq; ciuitatem condere, ac mœnijs circundare decreuere. Id Lacedæmonij molestissimum esse rati, si cõtra eorum fieret uoluntatem: quapropter Agesilaum, quoniã paternus illis amicus esse uidebatur, ad Mantinenses mittunt legatum. Qui cùm ad illos peruenisset, primores populi concilium dare noluerunt, sed si quid dicere uellet, id corã ipsis exponeret iusserunt. Et ille eis promisit, si nunc ab opere desisterẽt, illudq; in aliud differrent tempus, effecturum se, ut de Lacedæmoniorũ sententia, & non magno sumptu, murus construeretur. Cui illi responderunt, impossibile esse rem intermittere, cùm iam publicè decretum esset, ut uniuersa ciuitas munimẽta erigeret. quapropter Agesilaus iratus discessit. Bellum uerò illis inferre, cũ pax ea conditione facta foret, ut sui iuris essent, impossibile sibi uidebatur. At Mantinenses. quamplures Arcadiæ ciuitates adiutores misere: Elei uerò tria argenti talenta illis in operis contulere expensas. Et Mantinenses his incumbebãt. At Tegeatæ, qui cum Callibio & Proxeno sentiebant, omnes Arcades conuenire debere, & quod publicè electum esset, hoc ciuitatibus esse ratum censuerunt. Qui uerò Stasippo adhærebant, patrijs uti legibus æquum esse dijudicabant. Idcirco cùm qui Callibio & Proxeno fauebant, in theatris uicti essent, existimabant, si armatum intrò uocarent populum, multitudine superare posse. Id sentientes qui circa Stasippũ aderant, ipsi quoq; arma ceperunt, nec numero inferiores erant. Cumq; ad manus uentum esset, Proxenũ ac nonnullos alios paucos

Mantinæi mũros instaurare conantes impediũt à Lacedæ.

interfecere: reliquos cùm in fugam uertissent, haud longè insequuti sunt: talis enim Stasippus erat, ut plures ex ciuibus interire haud uellet. At qui cũ Callibio effugerant, cùm ab inimicis amplius non persequerentur, sub muris & porta quà Mantineam itur collecti quietem agebant: siquidem iam antea ad Mantinenses pro auxilio ferendo miserant. Interim uerò cũ Stasippo & suis de reconciliatione agebant. Cùm uerò Mantinenses opem sibi ferre cõspexissent, alij occupatis muris, ut suppetias eis quamcelerrimè ferrent, orabant Mantinenses, & ut festinarent hortabantur: alij uerò portas illis aperiebant. Stasippus uerò & qui cum eo sentiebant, cùm hac de re certiores facti essent, per portas quæ Palantium ferunt, excederunt, & antequam à persequentibus comprehenderentur, in Dianæ confugerunt templum, ubi inclusi quietem agebant. At eorum inimici ac persequutores conscenso templo, ac culmine reuulso, lateribus illos feriebant: qui cognita necessitate, illos desistere iusserunt, seq; exire paratos esse ostenderũt. At illorum aduersarij eos tanquam mancipia corripientes, uinctosq; currui impositos Tegeam perduxerunt: ubi cũ Mantineis causa cognita fuit, illos interfecere. His actis Tegeatæ qui cum Stasippo senserant, octoginta circiter Lacedæmonem fugere: & Lacedæmonijs ex iuramenti forma quamcelerrimè Tegeatensium mors, tum expulsorum iniuria, uindicanda uisa est: quapropter contra Mantinenses bellum suscepere, tanquam illi contra iuramentum Tegeatensibus arma intulissent. Cumq; Ephori ita decreuissent, Agesilaum ciuitas educere copias iussit. Et Arcades alij Aseã conuenere. Verùm cùm Orchomenij cum Arcadibus ob Mantinensium

odium

odium sentire nollent, quinetiã in urbem recepissent collectos mercenarios milites, quibus Polytropus præerat, manserunt domi Mantinenses, hæc curantes. Heræi autem & Lepreatæ cum Lacedæmonijs contra Mantineos militarunt. Agesilaus uerò cùm rem sacram fecisset, confestim in Arcadiam irrupit, & urbem quandam finitimam Eugeam nomine cepit: ubi cùm senes, mulieres & pueros solùm reperisset (iuniores enim uniuersi ac militaris ætatis in Arcadiam profecti fuerant) nulla tamen calamitate urbem affecit, sed eis illam inhabitare concessit, rerum uerò necessariarum quantùm indigebant milites emere iussit: si uerò sub primam irruptionem quid raptum esset, idq; compareret, Agesilaus reddi iussit. Muros uerò interim cùm ibi ageret, ac Polytropum cum mercenario expectaret milite, quantùm opus erat instruxit. Interim Mantinei Orchomenios inuadunt, à quibus male accepti, ac nonnullis desideratis, turpiter à muris expulsi sunt. Cumq; inde digressi, iamq; Elymiam peruenissent, Orchomenij à persecutione illorum reuersi sunt: mercenarij uerò quibus Polytropus præerat, illos pertinacius insequebantur: quod Mantinei cernentes, ac cognoscentes ni illos repellerent, cladem se accepturos, conuersi persequentes excepere, Polytropũq; fortiter bellum cientem interficiunt: reliqui in fugam uersi sunt, & ni Phliasiorum equites in tempore affuissent, ingens clades accepta fuisset. Hi enim Mantineis ne longius ab ordine uagarentur, impedimento fuere, illosq; à persequutione inhibuere. Et Mantinei his actis domum regressi sunt. Agesilaus uerò cùm de his certior factus fuisset, peregrinumq; militem ex Orchomeno sibi coniungi

amplius nõ ſperaret, exercitũ mouit, primaq; die in Tegeatide regione cœnã ſumpſit, poſtridie in Mantineorũ deſcendit fines, caſtraq; ſub Mantineæ mõtibus, qui ad occaſum uergunt, poſuit: ex quibus excurſione facta, cuncta ferro ac flamma uaſtauit. Arcades uerò qui Aſeæ cõuenerant, nocte Tegeam peruenere: poſtridie Ageſilaus progreſſus, cùm haud longius ſtadijs uiginti à Mantinea abeſſet, caſtra collocat. Aderant interim ex Tegea numero ingenti Arcades, ac mõtes qui inter Mantineam & Tegeam intercedunt occupabãt, mirè Mantineis cõiungi deſiderantes: Argiui enim illos uniuerſo haud ſequebantur populo. Et erant qui Ageſilao perſuaderent, ut cũ illi nõ adeſſent, confligeret. Ille uerò timebat, ne dum cũ illis congrederetur, Mantinenſes ex urbe eruptione facta, à tergo & laterib. illum adorirentur. Optimũ igitur ratus ut eos cõiungi pateretur, & ſi ex æquo ac aperto cõfligere uellent, illis pugnandi faceret copiã. Arcades itaq; ſe coniunxere. At clypeati ex Orchomeno, & Phliaſiorũ equites cum illis nocte Mantineã prætergreſſi, orta die Ageſilao rem ſacrã faciente in cõſpectum uenere, effecereq; ut milites in ordines redirent, Ageſilaus uerò ad illos ſe recipe ret. Cũ uerò quòd amici eſſent, cogniti fuiſſent, Ageſilaus litauit, ſumptoq; prandio, infeſto procedit agmine, ac ſub ueſperum caſtra poſt ſinũ Mantinenſem undiq; montibus circumſeptũ collocat. Poſtridie diluculo ante exercitũ litauit, cernensq; ex Mantineorum ciuitate milites undiq; ad montium ſummitates confluxiſſe, quamceleriter exercitum ex ſinu abducere decreuit: timens uerò ne dum copias reduceret, hoſtes nouiſſimos adorirentur ac premerent, ſigna ſiſtere iubet, aciemq; circumegit, ac nouiſſimos

uerſis

uersis hastis circunflectere, & phalangi se coniungere mandat: sicq; non solùm tutè angustias superauit, sed & longè firmiorẽ phalangem reddidit. Cumq; duplicata sic acie in plana descendisset, rursus eam ad nouem uel decẽ explicat scuta. Mantinenses uerò haud obuiam fuere, ab Elijs qui unà militabant persuasi, ne ante Thebanorũ cõfligerent aduentũ: certissimè enim se scire aiebant, breui illos affuturos. Decem enim talenta hanc ob rem illos à se mutuatos esse ostenderunt. Quæ cùm Arcades audiuissent, in Mantinea quieuere. Agesilaus autem quamuis mirè exercitum abducere cuperet, hyems enim media erat, per tres tamen dies statiua haud longè à Mantineorum egit ciuitate, ne timore perculsus, præpropera celeritate copias reduxisse uideretur. Quarta uerò luce militibus summo mane prandere iussis, compositò agmine processit, tanq; castra illic collocaturus, ubi antea cùm ex Eugea moueret posuerat. Cùm uerò nemo ex Arcadibus compareret, citato agmine Eugeam concessit, eoq; multam sub noctem uenit. Milites enim anteaquàm hostium conspexissent ignes, abducere uoluit, ne fuga abijsse crederetur. Ciuitatem itaq; à priori ignominia aliquantisper subleuasse uidebatur, quòd Arcadiam ingressus illam uastasset, nemoq; manũ cum illo conferere ausus fuisset. Cumq; in Laconicam peruenisset, Spartanos domum reduxit, socios uerò ad proprias dimisit urbes. Arcades interim cùm Agesilaum digressum, exercitumq; soluisse resciuissent, undiq; collecti contra Heræos mouerunt, cùm quòd Arcadibus adhærere nollent, tum quòd cum Lacedæmonijs in Arcadiam irruperant. Populabundi igitur domos concremabant, arboresq; incidebant. Cùm uerò Thebani

pro auxilio ferendo Mantineam peruenisse dicerentur, Heræam regressi sunt, ac Thebanis se iunxere. Thebani uerò rectè se res habere rati, cùm suppetias tulissent, hostemq; nullum offendissent, discedere parabant. Arcades uerò & Argiui, necnon Elij, quamprimùm Laconicam illis irrumpere suadent, ostendentes multitudinem suam, necnon Thebanorum exercitum summis tollentes laudibus. Bœotij enim uniuersi Leuctrica elati uictoria, in armis egregiè se exercebant. Sequebantur quoque eos Phocenses iam illis subiecti, omnesq; Euboiæ ciuitates, necnõ Locri utriq;, Acarnanes quoq;, Heracleotæ, & Maliæi aderant, & Thessalorum equites, ac peltati. Hæc omnia enumerantes, ac solitudinem quæ Lacedæmone erat referentes, orabant ne antea discederent, quàm in Lacedæmoniorum irrupissent regionem. Thebani uerò hæc quidem audiebant, sed contrà cogitabant, prætendentes quòd admodum difficilis ingressu Laconica esse diceretur. Arbitrabantur insuper præsidia in locis opportunis dispositæ esse: etenim Ischolaus in Io Sciritidos cum iuniorib. & Tegeatum exulib. trecentis circiter agebat. Erat præterea in Leuctris super Maleotides præsidium aliud. Considerabãt insuper Thebani Lacedæmonios celeriter uniuersas cõtrahere posse uires: prælio uerò decernere nullibi illis opportunius arbitrabantur, quàm in finib. proprijs: quæ omnia perpendentes haud multũ ad irruptionem inclinati erant. Cùm uerò ex Carya quidam aduentassent, solitudinem nunciantes, seq; itineris duces offerentes, & si fraudulenter quid moliri uiderentur, iugulari se iubentes: quidamq; ex conterminis ciuitatibus eos uocassent, promittentes quamprimũ illos in finib. uidissent, se

defe-

defecturos: referebant præterea uicinos à Spartanis in auxiliũ uocatos parére noluisse: Thebani hæc omnia & ab omnibus audientes persuasi sunt, & ipsi per Caryas irruperunt, Arcades uerò per Ion Sciritidos. Quòd si Ischolaus inuia occupasset, nemo illic ingredi potuisset: nunc uerò cùm Iates socios præstolatur, in uico consedit. Cùm itaq; ingenti multitudine Arcades inuia superassent, ab eis qui cum Ischolao aderant ex aduerso excepti, ac egregiè sub initium uicti sunt. Cùm uerò crescente certamine à tergo & ex transuerso ac ab domorum culminibus undiq; iaculis ac sagittis premerẽtur, Ischolaus cũ omnibus qui aderant, præterquàm si quis ignotus aufugit, occubuit. His actis Arcades ad Thebanos in Caryas contenderunt: Thebaniq; cùm resciuissent quæ ab Arcadibus gesta essent, multò alacriores iam irrumpebant, Selasiamq; confestim incenderunt, ac diripuerunt. Cùm uerò ad plana peruenissent, castra in Apollinis metati sunt luco: postridie uerò progrediebantur. Pontes uerò quæ ad urbem ducunt, transcendere ausi non sunt: hostes enim armati in Aleæ cõspiciebantur templo. A dextra igitur Eurotam habentes procedunt, regionemq; multis & egregijs excultam domibus, ferro ac igni populabantur. At mulieres quæ nunquam hostes conspexerant, ne fumum quidem uidere sustinebant. Spartani uerò cùm urbs muro careret, undiq; loca peruia præsidijs firmant. Et quamuis pauciſsimi & essent & uiderentur, egregiè tamen resistere parabant. Proinde magistratib. uisum est per præconẽ nunciare, ut quicunq; ex seruis arma corriperent, ac ordinibus se immiscere uellent, publicã acciperent fidem, cùm debellatum foret libertate donarentur: ferturq; sub eam

Thebani et socij Laconicam inuadunt

uocem ad sex millia seruorum nomina dedisse, ita ut haud paruam Spartanis ob multitudinem iniecerint formidinem. Cùm uerò ex Orchomeno mercenarij manerent milites, Phliasij quoque Lacedæmonijs opem tulissent, nec non Corinthij, Epidaurij & Pellenes, cum alijs nonnullis ciuitatibus, iam minus seruos qui nomina dederant timuere Lacedæmonij. Cùm uerò hostilis prætergressus esset exercitus, ad Amyclos deuenit, ibiq; Eurotam transgressus est. Et Thebani ubicunq; castra collocabant, cõfestim detruncatis arborib. eas castris prætendebant, eaq; muniores eo reddidere pacto. Arcades uerò nil tale curabãt, sed depositis armis, ad rapinã & domorum se cõuertebãt direptionem. Tertia inde uel quarta die Thebanorum, necnon Eliorum, Phocensium, Thessalorum ac Locrensium equites, cuncti ad Hippodromium usq; processere: quibus Lacedæmoniorũ equitatus, lõgè numero inferior, fit obuiam. Insidias uerò iuniores quasi trecenti in Tyndaridorum posuerant templo. Vno itaq; impetu equites concitant equos, in hostesq; permittunt, peditesq; ex insidijs pariter surrexere. Verũ hostes hunc haud tulere impetum, sed deflexere. Id cùm pedites cernerent, quamplures quoq; ex ipsis in fugam uersi sunt. Sed cùm Lacedæmonij à persequutione desisterent, Thebanorum quoque exercitus hostes excipere paratus esset, rursus castra collocarũt, urbẽ uerò aggredi ausi nõ sunt. Iam enim Spartanos uiribus auctos esse cernebãt: quapropter uniuerso inde digressi exercitu, Elos uersus, ac Gythiũ ducere cœperunt, urbesq; mœnibus carentes incenderunt: Gythium uerò, ubi Lacedæmoniorum erant naualia, triduo oppugnauerunt. Deficiebant interim nonnulli ex conter-

minis

minis ciuitatiibus, cum Thebanisq; arma iunxere. Athenienses uerò cùm hæc audissent, dubij erant quid de Lacedæmonijs agerent. Ex senatus itaq; decreto concionẽ conuocauere. Aderant enim Lacedæmoniorum, ac aliorũ sociorum qui nondum ab illis defecerant, legati. Et Lacedæmonij Aratus, Ocyllus, Pharax, Etymocles & Olontheus, cuncti fermè eadem dicebant. In memoriam enim Atheniensibus reducebãt, quòd semper in maximis periculis ad communem utilitatem inuicem opem tulissent: se enim tyrannos ex Atheni expulisse: Athenienses uerò cùm ipsi à Messenijs obsiderentur, egregiè auxiliũ tulisse. Vtilitates quoq; referebant ac commodum, quod illis si unà sentirent, utrinq; euenire posset. Commemorabãt præterea quemadmodum cõmuni consensu barbarum repulissent, quodq; Athenienses Lacedæmonijs suadentib. classis duces, ac publicarũ pecuniarũ custodes à Græcis electi fuissent: ipsi uerò omnibus Græcis consentientibus terra duces cõstituti essent. Cùm igitur Athenienses hac de re consultarent, quidã progressus ita uerba fecit: Si uos & nos, ô uiri, unà sentiemus, spes erit nos, quod iampridem fertur, Thebanos decimari posse. Athenienses tamen id non admodum accipiebant, sed quidam talis rumor ferebatur: Nunc quidem hæc dicunt, sed cùm secundas res haberent, nos premebant. Fortißimum uerò inter cætera quæ à Lacedæmonijs referebantur, hoc esse uidebatur argumentum, eos Thebanis summis restitisse uiribus, cùm deuictis eis, Athenas desolare conati fuissent. Plurimus igitur sermo erat, tanquam ex iuramenti forma opem ferre tenerentur. Arcades enim nulla affectos iniuria, cum socijs arma Lacedæmonijs intulisse eam ob causam, quòd

Lacedæmonij ab Athenien. sibi auxili profuit.

Tegeatibus auxilium contra Mantineos, qui neglecto iuramento illos inuaserant, præstitissent. Ob hos itaq; sermones tumultus per concionem ortus est. Aliqui enim iustè Mantineos egisse dicebant, quòd Proxenianis qui à Stasippo cum suis interfecti fuerant, opem tulissent. Alij uerò iniustè illos fecisse asserebant, quòd Tegeatibus arma intulissent. Cumq; concio tam diuerse sentiret, Cliteles Corinthius surrexit, itaq; uerba fecit: Est quidem fortasse controuersum, uiri Athenienses, quinam primi iniuriam intulerint. Nos uerò quis post factam pacem incusare habet, tanquam contra ciuitatem aliquam militauerimus, pecunias quorundam abstulerimus, terram alienam uastauerimus? Verùm Thebani regionem nostrã ingressi, arbores detruncauere, domus incendere, ac demum pecunias & pecora diripuere. Nobis itaq; cùm tam insigni ac manifesta affecti sumus iniuria, si opem denegaueritis, nónne contra iuramenti formam ueniisse uidemini? præsertim eo iureiurando, in quo uos operam dedistis, ut nos uobis omnibus iuraremus. His dictis Athenienstum secutum est murmur, tanquam rectè iusteq; Cliteles dissertuisset. Post hunc uerò Patrocles Phliasius ita loquutus est: Omnibus ô uiri Athenienses manifestũ esse reor, Thebanos, si Lacedæmonij è medio sublati fuerint, confestim uobis præ cæteris bellum illaturos. Vos enim solos impedimento esse arbitrantur, quò minus Græciæ dominia consequi ualeant. Quæ cùm ita se habeant, ego uos non magis, si contra Thebanos militaueritis, Lacedæmonijs, quàm uobismetipsis opem tulisse reor. Longè enim uos molestius laturos arbitror, si Thebani uobis inimici ac cõtermini, Græciæ ducatum assequuti fuerint, quàm si hostes re-

Clitelis oratio.

Patroclis oratio.

ſtes remotiores habueritis: quapropter facilius, donec ſocij ſupererunt, defendere uos poteritis, quàm ſi deuictis illis ſoli Thebanis reſiſtere cogamini. Quòd ſi qui uerentur, ne ſi Lacedæmonij nunc ope ueſtra à periculis erepti fuerint, olim uobis moleſtias ſint præbituri: illi ſciant, non eos quibus bene, ſed quibus malè factum eſt, ne uiribus creſcant, timendos eſſe. Quinimò & hoc quoque cogitare oportet, non ſolùm reſpub. ſed & homines priuatos decere, dum maximè uiribus florent, ea acquirere, quæ illis quandoque uſui eſſe ualeant, ut cùm neceſſitas ingruerit, paratum quò refugiant præſidium habeant. Vobis oblatum eſt pulcherrimum tempus, quo ſi implorantibus Lacedæmonijs opem feretis, illos in omne tempus amicos fideliſſimos reddere poteſtis. Porrò ſi præſenti tempore in eos benefici fueritis, non paucos huius rei teſtes habebitis: ſed dij, qui nunc & in ſempiternum cuncta aſpiciunt, in primis teſtes erunt, dein ſocij pariter ac hoſtes, præterea Græci uniuerſi ac Barbari, nil enim hos latêre poterit: quapropter ſi ingrati aliquando contra uos cuaſuri eſſent, quis unquam illis fidem poſthac adhibiturus eſſet? Verùm ſperandum eſt illos bonorum potius quàm malorum uirorum officio functuros, maximè cùm præ cæteris ſemper hominibus laude digna perage re, quæ uerò uituperio fuere imputanda, declinare cõſue uerunt. Atqui & hoc quoq; perpendendum erit: ſi unquam Græciæ à Barbaris periculũ imminebit, in quibus nam potius quàm in Lacedæmonijs ſpem collocare, ſeu quos ſocios fideliores reperire poteritis, quàm eos qui in Thermopylis conſtituti, omnes potius egregiè pugnãdo occumbere, quàm uiuentes Barbaro in Græciam aditum

præstare elegerunt? Nónne igitur dignum esse uidetur, cùm tam strenuam operã unà uobiscum præstiterunt, & adhuc præstare possunt, uos pariter et nos summa ope illos iuuare? Aequum præterea existimandum est, ob præsentes socios illis opem non denegare: cùm minimè ignoratis, illos qui in ultima necessitate eos nõ dereliquere, & uobis aliquando dignas relaturos gratias. Quòd si paruæ ciuitates uidemur esse, quæ cum ipsis periculum subimus: noueritis, si uestra ciuitas accesserit, non amplius cõtemnẽdas fore urbes quæ eis auxilium feremus. Ego præterea, ô Athenienses, semper audiui hanc ciuitatem uestram consuesse cunctis, qui ad illam aut iniuria affecti, seu timore perciti, confugerint, auxilium non denegare. Nunc uerò non solùm audio, sed præsens cerno, Lacedæmonios tam magni nominis uiros, & cum ipsis amicos eorum fidelissimos, ad uos uenisse, subsidium exposcere, opemq; uestram implorare. Video quoq; Thebanos, qui tum minimè Lacedæmonijs persuadere potuerunt ut uestram diriperent urbem, nunc rogantes ne impedimento sitis, quo minus qui uos seruarunt perditũ eant. Maiores uestri olim bene audierunt, quòd Argiuos qui circa Cadmiam occubuerant, insepultos relinquere noluerint: uos uerò quãtò rectius agetis, si Lacedæmonios uiuentes neq; iniuria affici, aut penitus exterminari sinatis? Egregium hoc quoq;, quòd Eurysthei oppressi iniurijs, Herculis tamen filios saluare uoluistis. Verũ quantò hoc pulchrius, quòd non solùm principes, sed integram seruabitis ciuitatem? Omnium uerò pulcherrimum, quòd cũ suffragijs suis absq; periculo Lacedæmonij uos tutati sunt, nunc uos armati & cũ periculo illis subuenire non differatis. Cũq;

nos

nos gaudeamus si uerbis saltem uiros tam egregios iuuare ualemus, qua tandem lætitia uos efferri decet, cùm re ipsa illis opem præstare posßitis? Quinimò et hoc generosi animi est indicium, quòd cum sæpius amici ac hostes Lacedæmoniorum fueritis, non tamen iniuriarum potius, quàm beneficiorum memores eritis: gratiamq; referatis non eorũ solùm quæ in uos benignè, sed in uniuersam contulerint Græciã, de qua ut uiri boni optimè meriti sunt. His dictis Athenienses repulsis contradicere uolentibus, sententiam rogare cœperunt, ac uniuerso populo Lacedæmonijs succurrendum esse decreuerunt, Iphicratemq; ducem elegere: qui cùm rem sacrã fecisset, omnes in Academia cœnare, sibiq; præstò esse iußit. Verùm quamplures illum exeundo præcessere, & Iphicrates copias mouit, Athenisesq; rati ad rem egregiã se duci, alacriter sequebantur. Postquàm uerò Corinthum peruenit, aliquos ibi substitit dies: ob quam moram confestim illi nota inusta est. Deinde ubi tandem eduxit, impigrè sequebantur quô ducebat, impigrè quoq; si mœnibus admoueret, aggredie bantur. Interim qui in Laconica hostes erãt, Arcades & Argiui, Elij quoq; cùm contermini essent, paulatim dilabebantur, domum quæ ceperant & rapuerant agentes ac ferentes: quapropter Thebani quoq; & reliqui ex hostico abire quærebant, exercitum enim quotidie imminui cernebant. Iamq; commeatus inopia castra inuaserat: cuncta siquidem depopulata, uastata, direpta, ac concremata erant: insuper hyems imminebat, ita ut omnes abeundi tenerentur desiderio. At postquàm illi ex Lacedæmoniorum excederent finibus, Iphicrates quoq; Athenienses ex Arcadia Corinthum reduxit, quem de ante actis si quid

egregiè gesſit, minimè reprehendo: quæ uerò illo egit tempore, partim inutilia, partim uerò nullius momenti fuisse inuenio. Cùm enim Onium occupasſet montem, ut Bœotijs impedimento esſet, quò minus domum regredi possent, admodum opportunam iuxta Cenchreas immunitam reliquit uiam. Certior deinde fieri cupiens num Thebani Onium transgressi essent, Athenienſium necnon Corinthiorum equites cunctos illuc ſpeculatum misit: quamuis pauci ad rem illam longè aptiores multis fuiſſent: ſi enim pedem referre coacti fuiſſent, multò facilius ac per ocium quodammodo, cùm pauci eſſent, abire potuiſſent. Nunc uerò manum magnam, hoſtibus tamen longè inferiorem emittere, nónne extremæ dementiæ eſſe uidetur? Equites itaq; cùm multi eſſent, longoq; agmine incedere cogerentur, ubi primùm abire cœperunt, turbatis ordinibus ad iniquiſſimum deuenere locum, ita ut haud pauciores uiginti ex illis caderent. Hoc acto, Thebani iam liberè quò uoluerunt abiere.

XENOPHONTIS RERVM GRAECARVM LIBER SEPTIMVS, BILIbaldo Pirckemero interprete

INSEquenti anno Lacedæmoniorum ac ſociorum legati liberis Athenas uenere mandatis, conſultantes quonam pacto fœdera inter Lacedæmonios & Athenienſes ſancienda eſſent. Cumq; multi tam peregrini, quàm Athenienſes, de ſocietatis cõditionibus æquis diſſeruiſſent, tandem Procles Phliaſius talem orſus eſt ſermonem: Poſtquã uobis, ô Athenienſes, Lacedæmonios in amicitiam recipere placuit,

Proclis Phliaſij oratio.

placuit, mihi in primis considerandũ esse uidetur, quo pacto amicitia illa sit perquã diuturnè mansura. Id uerò fieri posse maximè arbitror, si æquis conditionibus utrinq; fœdera ineantur. Ac in reliquis fermè consentire uidemini, solũ uerò de principatu nunc contentio intercedit. Vobis igitur mari, Lacedæmonijs uerò terra imperium tribui, æquum esse censetis: quod mihi non humana potius q̃ diuina prouidentia ac fortuna quadã euenire uidetur. Primò enim locũ ad rem naualem admodũ idoneum colitis: plurimæ siquidem ciuitates quæ mari sustentantur, ciuitatem uestrã circumhabitant, & hæ omnes uestra imbecilliores. Portus præterea habetis egregios, sine quibus potentia nautica uti, est impossibile. Triremes quoq; possidetis plurimas: patriumq; uobis est, rebus pollere maritimis. Præterea artes omnes ad rem illam necessarias, familiares habetis. Vsu uerò & experiẽtia inter cũctos excellitis homines. Vita enim ut plurimũ uobis ex pelago est, ita ut cùm etiã priuatis incũbitis rebus, maritimorũ tamẽ certaminum experientiam singularem acquiratis. Adde quòd nusquã maior classis q̃ è ciuitate uestra prodire cernitur: quod haud parui ad imperium est momenti: nam qui iam uirib. pollet, hunc cuncti lubenti sequũtur animo. Dij quoq; in re nautica hanc uobis tribuere felicitatẽ, ut quamuis multis ac maximis certaminibus mari defuncti sitis, in paucis tamen succubuistis, pluribus uerò egregiè superastis: quapropter consentaneum est quoq; socios uobiscũ periculorũ quamsuauissimè participes fieri. Quòd uerò necessaria ac attinens rerum maritimarũ uobis imminet cura, ita considerate. Lacedæmonij quamuis annis plurimis uobiscum bella gessere, regionemq; uniuersam

in ſuam redegiſſent poteſtatem, minimè tamen uos ſubigere ualuere. Cùm uerò deus aliquando illis maris quoq; cõceßiſſet dominium, confeſtim ab illis penitus ſubacti eſtis. Hinc patet, è mari uniuerſam ueſtram pendere ſalutem. Quod cùm ita ſit, nónne uos Lacedæmonijs in re maritima præferri eſt conueniens? Siquidem primùm ipſi quoque in nauticis rebus ſe uobis inferiores eſſe ingenuè fatentur. Deinde in maritimis certaminibus minimè periculum utriſq; par eſt: illis enim de uiris tantummodo quibus triremes inſtruuntur, cura eſt: uobis uerò de liberis, uxoribus, & uniuerſa demum ciuitate, res agitur. Et ſic ueſtra ſe habent. Lacedæmoniorum uerò hoc pacto: Primò mediterraneam incolunt regionem, ita ut quãdiu terra potiuntur, etſi à maritimis includuntur negocijs, egregiè tamen uiuere poſſunt. Id cùm ipſi præcipuè calleant, ab infantia in bellicis ſe exercere conſueuerunt certaminibus, & quod maximi momenti eſt, parêre gubernatoribus illi optimè terra ſciunt, uos mari. Præterea ut uos in re nauali, ita illi in terra ſunt plurimi, & celerrimè exire poſſunt. Itaq; inſuper & ſocios credibile eſt confidentißimos accedere. Adde quod deus ut uobis mari, ita illis terra felices eſſe dedit: plurima ſiquidẽ ac maxima terreſtria confecere certamina, in paucis uerò ſuccubuere, plurib. uerò egregiam retulere uictoriã. Quòd uerò illis neceſſaria & non inferior terra, quàm uobis mari, cura immineat, ex re ipſa dignoſci poteſt. Vos enim quamuis annis plurimis cum illis, ſæpiusq; pugna nauali cõflixiſtis, illos tamen debellare potuiſtis minimè: cùm uerò ſemel terra uicti ſunt, confeſtim illis de liberis, uxoribus, & uniuerſa ciuitate periculum iniectum eſt. Nónne igitur ijs qui tam egre-

egregiè in terrestribus excellunt certaminibus, rectè copiarum terrestrium committitur imperium? Et ego quæ coràm recensui, utrisque longè utilissima esse arbitror. Vos uerò quæ maximè in rem sunt, consulere decet. His dictis, Athenienses ac Lacedæmonij qui aderant utrinque assentientes, uehementer illius laudarunt sermonem. Surrexit inde Cephisodon, ac ita uerba fecit: Viri Athenienses, non uos decipi sentitis: Verùm si mihi mentem adhibueritis, confestim manifestè uobis errorem demonstrabo. Si enim mari classem ducetis, Lacedæmonijq; uobis socij erunt, nónne illi trierarchos mittent Lacedæmonios? pariterq; ascensores? Nautæ uerò nónne erũt hi lotæ uel mercenarij? nunquid igitur uos ijs parebitis? Si uerò Lacedæmonij uobis terra militandum esse denunciauerint, nónne uos equites ac pedites mittetis? Nunquid igitur illi duces erunt uestri? uosq; illorum serui, ac penitus nullius momenti? Respõde itaq; mihi ô Lacedæmonie Timocrates, nũquid paulò antè dicebas, societatem æquis conficiendam esse conditionibus? Est'ne igitur quid æquius, quàm alternatim maritimis ac terrestribus præesse exercitibus? & si quid boni rebus inest nauticis, uos participes fieri, nos uerò à terrestribus haud arceri? His auditis, Athenienses illi assensere, decreueruntq; singulas ciuitates quinque alternatim præesse diebus. Cumq; utrinq; cum suis ac sociorum copijs Corinthum conuenissent, uisum illis est communiter Onium custodiendum esse montem. Cumq; Thebani cum socijs aduentassent, obseruabant alij alibi Onium: Lacedæmonij uerò ac Pellenenses loca facilima expugnatu obtinebant. At Thebani & socij cùm à statuis abessent stadia circiter triginta,

Cephisodontis oratio.

castra in campis collocant, & inita ea ratione profectionis ut possent primo diluculo ad Lacedæmoniorum uenire custodias, profecti sunt: nec hora aut opinione decepti sunt. Lacedæmonios enim ac Pellenenses cùm è stratis surgerent, ac excubiæ nocturnæ iam mutarẽtur, nacti sunt, illosq; instructi inopinatos, compositiq; dispersos inuaduni: at qui ex tumultu illo euasere, in proximum confugêre tumulum. Quibus omnibus collectis, Lacedæmoniorum polemarchus locum facilè obtinere, hostesq; ab ingressu prohibere potuisset: nam & commeatus facilè importari potuisset. Verùm id minimè fecit: sed cum Thebanis admodũ dubijs ac anxijs quonam pacto Sicyonem descẽdere possent, iamq; de reditu cogitantibus, inducias pepigit, ut quibusdã uidebatur potius ex Thebanorũ quàm suorum commodo, sicq; discessit, & eos qui secum erant abduxit. At Thebani securè iam discedentes, Arcadibus, Elienſibus & Argiuis socijs se coniunxere, cum quibus populabundi Sicyonem & Pellenem contendunt. Cumq; in Epidauro castra posuissent, uniuersam circumiectam regionem flamma ac ferro uastarunt: inde mirum in modum despectis hostibus abiere. Cumq; haud longè Corintho abessent, celeri cursu ad portas quæ Phliuntem eunti respiciunt, feruntur, ut si illas apertas offenderent, irrumperent. Sed cùm quidam leuis armaturæ milites urbe egressi essent, in illos inciderunt, cùm uix iugera quatuor à muris distarent: conscensisq; monumentis ac locis editioribus, sagittis ac iaculis illos incessebant, & haud paucos ex primoribus obtruncant: inde in fugam uersos tria uel quatuor insequuntur stadia. His actis, Corinthij mortuos ad muros traxerunt, illisq; per inducias redditis

ditis, trophæum erexere: Lacedæmoniorumq; socij ob id factum aliquantisper respirauere, ac animum resumpsere. Simulq; post hæc uenere Lacedæmonijs à Dionysio auxilia, triremes supra uiginti, oneratæ Celtis & Iberis, inter quos erant equites fermè quinquaginta. Postridie Thebani ac socij instructis ordinibus campum, qui mari ac tumulis urbi imminentibus interiacet, uniuersum milite complent, omniaq; uastant ac diripiunt. Atheniensium uerò ac Corinthiorum equites ob multitudinem illis appropinquare haud audebant. At Dionysij equites, quamuis pauci essent, sparsi, cùm alius aliò ruunt, iaculis hostes obequitando incessunt: cumq; illi eos inuadere conarentur, terga eis uertebant. Inde abeuntibus rursus nouissimos premebant: interim uerò nonnunquàm equis desilientes quiescebant: cùm uerò leuis armaturæ milites illos persequerentur, rursus facilè conscensis equis illos eludebant: & si qui longius persequuti fuissent, eos conuersi premebant, iaculisq; malè afficiebant, ita ut uniuersum exercitum procedere seu regredi cogerent ad eorum nutum. Inde Thebani haud multis mansere diebus, copiasq; domum reduxere: reliqui quoque socij in suam quisque dilapsus est ciuitatem. Præsidiarij uerò milites qui Dionysio aduenerant, Sicyonem delati, Sicyoniosq; congredi ausos, in campo prælio uincunt, ex quibus septuaginta circiter interfecere: Geras inde murum ui capiunt ac diripiunt: & subsidium quod primò à Dionysio in Lacedæmoniorum missum est auxilium, his actis Syracusas reuersum est. Thebani quoque ac cuncti qui à Lacedæmonijs defecerant, ad hoc usque tempus unanimiter res gessere, ducentesq; Thebanos sequuti sunt. Sed Lyco-

medes quidam Mantinensis nulli genere inferior, opibusq; pollens, & alioquin laudis cupidus, Arcades animi impleuit, asserens solummodo ijs Peloponnesum patriam esse, solumq; illos indigenas illic inhabitare: numerosissimam item Græcarum nationum esse Arcadiam: corpora præterea robustissima ac fortissima habere ea ratione ostendit, quòd cum auxilio quispiam indigeret, neminem Arcadibus præferret: neq; unquam Lacedæmonios absque Arcadibus Atticam ingressos, nec nunc quidem Thebanos sine ipsis Laconiam irrumpere ausos. Si igitur sapitis, inquit, cùm ad expeditionem quandam uocabimini, minimè parebitis: utpote Lacedæmonios antea cùm eos sequuti estis, mirum in modum extulistis: nunc uerò si Thebanis obtemperaueritis, nec uos qui ex parte præstetis, dignos ducitis, forsitan istos alios inueniatis Lacedæmonios. Arcades his auditis Lycomedi assentiebantur, summisq; illum extollebant laudibus, solumq; uirum esse arbitrabantur. Igitur duces constituerunt quos ille iussisset: & quidem ex euentu rerum magnum Arcades adepti sunt nomen. Epidaurum enim Argiuorum ingressi, reditus ab Chabria qui peregrinis præerat militibus, Atheniensibus & Corinthijs intercluſi sunt: ex quibus Argiuos ferociter adorti, non solùm militum multitudine, sed & loci opportunitate longè superiores, repulerunt. Inde cùm Asinem terræ Laconicæ adorti essent, præsidium uicere Lacedæmoniorum, ac Geranorem polemarchum Spartanum interfecere, suburbiaq; Asineorum diripuere. Cumq; in militiam exire decreuissent, neque nocte aut hyeme, seu uiæ longitudine, aut montium deterrebantur iniquitate, ita ut eo tempore longè fortissimi censerentur.

rentur. At Thebani hanc ob rem Arcadibus subiraſcebantur, nec ut antea amicè illos colebãt. Elij quoq; poſtquàm ab Arcadibus ciuitates quæ Lacedæmonijs ereptæ erant, repetere cœperunt, ac cernerent neq; ſe, neque ſermones eorum alicuius eſſe momenti: Triphylios uerò, & alios qui ab eis defecerant, quoniã Arcades ſe eſſe dicerent, ſibi præferri, ipſi quoq; Arcadibus infenſi erant. Cumq; ſociorum ſinguli præcipuè res ſuas curarent, aduenit ab Ariobarzane cum pecunijs ingentibus Philiſcus Abydenus, confeſtimq; ſubinitium Thebanos ac ſocios, necnon Lacedæmonios, Delphos de pace facienda conuocauit: qui deo num pax futura eſſet minimè conſulto, per ſe deliberabant. Cumq; Thebani haud conſentirent Meſſenios Lacedæmonijs ſubiectos eſſe, Philiſcus ut Lacedæmonijs auxilio eſſet, copioſum comparauit exercitum. Aduenit interim ſecundum à Dionyſio ſubſidium. Cumq; Athenienſes in Theſſaliam contra Thebanos ducendum cenſerent, peruicere Lacedæmonij, ut in Laconicam prius moueretur. Cumq; auxiliares Dionyſij milites Lacedæmonẽ applicuiſſent, Archidamus cum illis & ciuibus ad hoſtes profectus eſt, Carnanosq; ui expulit, et quoſcunq; uiuos in ſuam redegit poteſtatẽ, cunctos iugulauit. Inde digreſſus ad Pharraſias Arcadiæ infeſto procedit agmine, ac uniuerſam regionem ferro & igni depopulatus eſt. Cùm uerò Arcades & Argiui in ſubſidium aduolaſſent, copias reduxit, caſtraq; in Epimedeis collocauit tumulis. Cumq; ibi ſederet Ciſidas auxiliariorum Dionyſij militum præfectus, manendi tẽpus ſibi præſcriptum exiſſe affirmans, Spartam uerſus abducere ſuos cœpit. Cùm uerò abeuntem Meſſenij per uiarum anguſtias adorti eſſent, ille ad

Archidamum pro ope ferenda misit, qui ei suppetias tulit. Cumq; ad diuerticulum quod Euctresios ducit, peruenissent, Arcades & Argiui ut illi uiam intercluderent, ad uenerant. At Archidamus in loco ubi ex Euctresijs et Epimedeis uiæ concurrunt, in plana digressus, pugnandiq; copiã facturus, aciem instruit, ordinibusq; circumuectus, talibus ad pugnam hortatus est milites: Viri ciues, si nunc strenuam nauauerimus operam, rursus erectis suspicere poterimus oculis, patriamq; filijs nostris talẽ reddemus, qualem à patribus nostris olim accepimus. Desinamus igitur aliquando liberis, uxoribus, senioribus, ac hospitibus opprobrio esse, apud quos antea omnium Græcorum eramus spectatissimi. His dictis, ex æthere fulgura ac tonitrua illi sequunda intonuisse aiunt. Contigit quoq; dextrum uersus cornu lucum ac statuam Herculis esse, à quo ipse oriundus ferebatur. His signis adeò militum ferocia & audacia creuit, ut haud parum negocij præfectis de inhibendo ardore iniectum sit. At cùm Archidamus aciem direxisset, iamq; ad manus uentum esset, pauci admodum primum tulere impetum, qui pugnantes occubuere: reliqui uerò in fuga cecidere, ab equitibus ac Celtis interempti. Finita pugna, trophæoq; erecto, Archidamus confestim Demotelem præconem domum, uictoriæ magnitudinem nunciatum mittit, referreq; iubet, ex Lacedæmonijs neminem, ex hostibus uerò permagnum ceciidisse numerum. Fertur cùm hæc Spartæ audita essent, ab Agesilao seniores ac Ephoros cunctos lachrymari cœpisse: adeò gaudio & tristitiæ lachrymæ communes sunt. Et Thebani ac Elij non multò minus de Arcadũ fortuna lætati sunt quàm Lacedæmonij, adeò iam ægrè ferebant eorum fastum.

Archidami ad milites oratio.

ſtum. Thebani uerò confeſtim animo uoluere cœperunt, quonam pacto Græciæ uniuerſæ imperium cõſequi poſſent. Arbitrabantur itaque, ſi ad Perſarum regem mitterent, poſſe per illum primas obtinere: quapropter conuocatis ſocijs, ſub prætextu, ad regem legatos mittere decreuerunt, quòd & Euthycles Lacedæmonius apud regem eſſet. Fuere uerò qui ad regem profecti ſunt, à Thebanis Pelopidas, ab Arcadibus Antiochus pancratiaſtes, ex Elijs Archidamus: ſequuti quoque ſunt Argiui. Athenienſes quoque his auditis, & ipſi ad regem Timagoram & Leontem ire iuſſerunt. Qui cùm omnes ad regem peruenijſſent, multum Pelopidæ præ cæteris rex tribuit. Habebat enim dicere, ſolùm ex omnibus Græcis regi Thebanos in Platæenſi aſtitiſſe prælio, nec unquam poſtea regi bellum intuliſſe: eoſq; in Lacedæmoniorum iram eam ob rem incidiſſe, quoniam cum Ageſilao aduerſus regem militare noluiſſent, neque illum digredientem in Aulidem Dianæ ſacra facere permiſiſſent, ubi Agamẽnon quondam cùm in Aſiam nauigaret ſacrificans, Troiam inde ceperat. Multum præterea ſplendoris Pelopidæ attulit, quòd Thebani eo duce in Leuctris victores extitiſſent, & quòd inde Lacedæmoniorum fines ferro & igni depopulati eſſent. Oſtendebat præterea Pelopidas, Argiuos & Arcades à Lacedæmonijs victos ac fuſos eſſe, quando Thebani abfuiſſent. Aſtipulatus eſt illi in omnibus tanquã uera diceret Timagoras Athenienſis, qui proximus poſt Pelopidam à rege honorabatur: quapropter cùm Pelopidas à rege interrogaretur, quid literis præcipi uellet, reſpondit: Vt Meſſenij à Lacedæmoniorũ eximerentur iugo, Athenienſes quoq; claſſem reducerẽt. Quòd

Fasti Thebanorum.

Legati Græcorum ad Artaxerxem.

si minus parêrent, illis bellum indiceretur: & si ciuitas quæpiam sequi recusaret, in primis contra illam moueretur. Hæc cùm scripta, legatisq; recitata essent, Leon audiente rege exclamauit: Per Iouem, Athenienses, ut uideo, alius pro rege amicus uobis quærendus est. Scriba uerò cùm regi quid Athenienſis dixisset, interpretatus esset, literis addi iussit, quòd si Athenienses quæ iustiora illis sint, cognouerint, regem adeant, ac de his edoceant. At legati cum singuli domum regressi essent, Timagoras ab Atheniẽsibus necatus est, à Leonte accusatus, quòd illi ne conniuere quidem uoluisset, sed consilia cũ Pelopida contulisset clandestina. Ex alijs uerò legatis Archidamus Elius, quoniam Elij Arcadibus prælati fuerant, summis laudibus res efferebat regias: ecõtrà Antiochus quasi contemptis Arcadibus, munera respuerat regia, omnibusq; ostendit, regem pistores, obsonatores, pincernas, aianitores habere plurimos: uiros uerò qui contra Græcos pugnare possent, cùm omnia diligenti perscrutatus fuisset indagine, uidere haud potuisse. Aiebat præterea, pecuniarũ copias superbiam sibi uideri, aureamq; platanũ uix cicadæ umbram præbere posse. Thebani uerò legatos à cunctis conuocarũt ciuitatibus, ut regiam audirent epistolam: Persaq; qui literas ferebat, regis ostendebat signaculum, dein uerò quæ scripta erant, legit: et Thebani cunctos qui regis ac ipsorum expeterent amicitiam, in hæc iurare iubebant. Qui uerò à ciuitatibus aderant legati, se non iurandi, sed audiendi gratia illuc missos esse respondebant: si uerò iusiurandum exposcerent, ut ad ciuitates mitterent, iusserunt. Addidit Lycomedes Arcas, congregationem haud Thebis fieri debere, sed ibi ubi bellum gereretur.

reretur. Id cùm Thebani ægrè ferrent, eumq; societatis corruptorem esse dicerent, ille in concilio consedere noluit, sed discedens abijt, quẽ omnes ex Arcadia insequuti sunt legati. Cùm uerò qui in urbe Thebana collecti fuerant, iurare nollent, Thebani legatos ad singulas misere ciuitates qui iuramentum exigerent, regijsq; parêre iubérent mandatis, existimantes unamquanq; ciuitatem non ausuram ipsorum simul et regis inimicitias subire. Verùm cum primò Corinthum legati uenissent, Corinthij iurare renuerunt, asserentes minimè iuramenti cum rege communis indigere: quos aliæ quoq; multæ ciuitates eadem respondentes sequutæ sunt. Et Pelopidæ ac Thebanorum principatus affectatio hoc maximè dissoluta est pacto. At Epaminundas cũ Achæos corripere uellet, ut Arcades ac socij reliqui eò magis Thebanis obedirẽt, Achaiam bello adoriri statuit. Pisiæ itaq; Argiuorum præfecto ut Onium occuparet, persuadet. Et Pisias Onij custodiam ab Naucleo, qui peregrinis Lacedæmoniorũ præerat militibus, & Timomacho Athenienſe negligi edoctus, septem dierum commeatu assumpto, nocte cum duobus millibus peditibus Cenchreorum tumulum occupat. Aduenere interim Thebani qui Onium transgressi erant, omnesq; socij, Epaminundæ ductu, Achaiã irrupere. Cumq; optimates Achaiæ illi obuiam facti fuissent, neq; optimates expellere, nec reipublicæ statum immutare decreuit, sed tantùm fide accepta, ut socij forent, ac Thebanos quocunq; ducerentur, sequerentur, domum reduxit exercitum. Accusantibus uerò illum Arcadibus & factiosis, tanquam Lacedæmonijs suo discessu Achaiam tradidisset, uisum est Thebanis harmostas in Achaicas mitti debere

ciuitates: qui ingreſsi, optimates cum multitudine expulere, ac popularem ſtatum in Achaiam introduxere. At qui exciderant, haud contẽnenda collecti ſunt manu, per urbesq; celeriter incedentes, illas occupabant: quas cùm obtinuiſſent, non ſolùm medios ſe non geſſere, ſed et impigrè Lacedæmonios iuuêre, ita ut Arcades uehemẽter hinc à Lacedæmonijs, inde uerò ab Achæis urgerentur. Sicyoni uerò ad hoc uſq; tempus communibus Achæorum legibus reſpublica regebatur. Inde Euphron cùm apud Lacedæmonios longè maximus ciuium eſſet, apud illorum aduerſarios quoq; clareſcere cupiens, Argiuos & Arcades edocet, ſi ditiores palàm Sicyonem obtinerent, proculdubio ciuitatem rurſus Lacedæmoniorum ſequuturam partes: ſi uerò, inquit, popularis inducetur ſtatus, ſcitote ciuitatem uobis ſaluam fore. Si igitur adiumento mihi eritis, populum ego conuocabo, uobisq; fidem meam oſtendam, ciuitatemq; in ſocietate multò fideliorem reddam. Id uerò eam ob cauſam agam, quòd faſtum Lacedæmoniorum, quemadmodum & uos, iampridẽ ægreferam, ciuitatemq; è ſeruitutis iugo eripere quæram. Arcades & Argiui lætis hæc excepere animis, illiq; opem præſtiterunt. Et ille confeſtim in foro, præſentibus Argiuis et Arcadibus populum conuocat, aſſerens gubernandi formam æqualem ac cõmunem eſſe debere. Qui cùm illi aſſenſi fuiſſent, duces quicunq; illis idonei uiderentur, elige re iußit. Illi uerò ipſum elegere Euphronem, & Hippodamum, Cleandrumq;, Acriſium & Lyſandrum. His actis, peregrino militi Adeam filium ſuum præficit, abrogato Lyſimeni imperio, qui antea illis præfuerat. Et Euphron confeſtim quoſdã ex illis mercenarijs beneficijs ſibi concilia-

conciliabat, ac fidos reddebat, reliquos uerò solicitabat: inde neq; priuatis, publicis, seu sacris abstinebat pecunijs, & quoscunque ob Laconismum eijciebat, illos omnibus spoliabat fortunis. Ex collegis quoq; nonnullos dolo aggressus interfecit, alios uerò urbe pepulit, ita ut omnia nutu gubernarentur suo, iamq; in manifestam erumperet tyrannidem. Verùm ut socij hæc negligerent, partim pecunijs transegit, partim uerò peregrino milite quocunq; duceretur impigrè sequendo illos demerebatur. Argiui interea Phliunti supra Iunonis templum Tricranũ ædificauerunt, Sicyonij uerò in montibus Thyamiam erexerunt: quapropter Phliasij uehementer urgeri, summaq; inopia premi cœpere, nihilominus tamen in societate perstitere. Enimuero si ciuitas magna quid egregiũ peragit, in omnibus celebratur historijs: mihi uerò si ciuitas quædam parua multa memoria digna egerit, longè magis laudibus extollenda esse uidetur. Igitur Phliasij florẽtibus adhuc Lacedæmoniorum rebus illis amici facti sunt: eorum uerò uiribus Leuctrica pugna minutis, uicinisq; quamplurimis, necnon hilotis omnibus, socijsq; uniuersis, exceptis paucissimis, deficiẽtibus, cunctisq; Græcis, ut ita dicam, bellum Lacedæmonijs inferentibus, tamen in fide perstitere: et quamuis potentissimos in Peloponneso Argiuos & Arcades hostes haberent, nihilominus tamẽ illis opem tulere, ultimiq; erant qui ex socijs in Prasias descẽderent: ex quibus fuere Corinthij, Epidaurij, Trœzenij, Hermiones, Halies, Sicyonij, & Pellenei, nec unquam defecere. Neque cùm Xenagus præsidio abducto ipsis derelictis discessisset, reuerterunt, sed conducto mercenario duce ex Prasijs, cùm hostes circa Amy-

Phliasij omnium amicorum fuere cæremonijs fideli ssimi.

clas essent, ut potuere penetrantes Spartam uenere: quapropter Lacedæmonij cùm illos uarijs affecissent honoribus, bouem quoq; eis dono miserunt. Cùm uerò hostes ex Lacedæmoniorum excessissent finibus, Argiui illis ob Lacedæmoniorum studium infensi, uniuerso populo Phliuntem irruperunt, regionemq; uniuersam ferro ac igni uastarũt. Cumq; nõ solùm primo ingressu id fecissent, sed & abeuntes cuncta quantũ poterant uastassent, egressi Phliasiorum equites illis imminebant. Cumq; Argiui uniuerso equitatu ac manipulis quibusdam nouissima tutarentur, illos adorti sunt: & cùm sexaginta essent, præsidium uniuersum, interfectis paucis, in fugam uerterunt: cernentibusq; Argiuis, quod perinde erat ac si omnes interfecissent, trophæum erexere. Rursusq; cum Lacedæmonij socijq; Onium præsidio obtinerent, Thebaniq; illum transcendere pararent, Elijq; & Arcades ut eis se coniungerent, per Nemeas iter facerent, exules Phliasiorum illis promisere, si modò uellẽt illis ostendere se, Phliuntem capere posse. Cumq; illi assensum præbuissent, exules cum sexcẽtis alijs circiter aduectis, scalis nocte sub muris delituere. Interim cùm à Tricrano speculatores hostes adesse significassent, & urbs illis animum aduertisset, à proditoribus quoq; ex insidijs ascendendi signum datum est. Hostes itaq; muro conscenso, custodum arma occupauere derelicta, diurnaq; deturbata statione, custodes decem in fugam uerterũt. Nam ex quindena unaquaq; custos unus derelictus fuerat: unum uerò dormientem, alium uerò ad Iunonis confugientem templum obtruncarunt. Quum itaq; fuga è muro desilientium in urbem fieret, cernentibus diurnis custodibus, sine dubio habebant

bebant arcem qui ascenderant: sed cùm clamor in urbem delatus esset, ciues auxilium tulerunt. Et sub initium hostes arce egressi, ante portam quæ in urbem fert, pugnam capessebant: sed cùm undique à succurrentibus premerentur, pedem rursus in arcem referre cœperunt: in quos grauis armaturæ milites signa inferunt, confestimq; media arcis pars deserta est: hostes inde conscensis turribus ac muro, ingressos telis feriebant. At illi humi dimicabant, & ad scalas in murum ferentes decertabant, turresq; nonnullas hinc atque inde ciues occuparunt, & eos qui ascenderant, cominus rabiosè aggressi sunt: quapropter hostes undiq; audacia ac ui oppressi, in angustum cogebantur. Eodem tempore Arcades et Argiui urbem circundantes, de superiore loco arcis muros diruere nitebantur. Qui uerò intus erant, partim eos qui in muro erant, alij uerò ab extra per scalas ascendentes, reliqui uerò eos qui turres occupauerant, oppugnabant: ignemq; in tabernaculis offendentes, facesq; quas fortè in arce inuenerant incendentes turribus subijciebant: quapropter qui turres obtinebant, flamma perterriti, sua sponte turres derelinquebant: qui uerò muros ascenderant, uirtute ciuium ab his deiecti ac expulsi sunt. Cumq; semel hostes inclinare cœpissent, confestim uniuersa arx ab hostibus derelicta est, illicoq; equites urbe egressi sunt: quos hostes cernentes, derelictis scalis, mortuisq; ac uiuis nonnullis qui sequi nequiuerant, aufugêre: cecidereq; ex hostibus tam intrà, quàm extrà, haud pauciores octoginta. Hinc ob salutem cernere erat uiros quidem inuicem complectentes, mulieres uerò potum ferentes, ac præ gaudio lachrymas effundentes, omnes uerò præsentes fletũ cum

lætitia miscere. Insequenti quoque anno Argiui & Arcades uniuersi Phliuntem ingressi sunt. Quòd uerò Phliasios ita semper premebant, causa erat, quòd illis infensi erant: & quia in medio siti erant, sperabant commeatus penuria illos cogi posse, ut tandem à Lacedæmonijs deficerent. In hac quoq; expeditione Phliasiorum equites ac electi, unà cum Athenienſium equitibus qui tum aderant, hostes in transitu fluminis aggressi uicerũt, hostesq;, quod reliquum diei supererat, ad montes redire coëgerunt, tanquam ab amicis frugibus uastandis abstinerent: rursusq; Sicyonis præfectus, cum Thebanis qui in præsidio erant, Sicyonijs ac Pellenensibus (tum enim Thebanos sequebantur) Phliasiorum ingressi sunt fines: necnon Euphron cum duobus millibus mercenarijs militibus, & reliqui per Tricranum ad Iunonis ascenderũt templum, ut inde in agros impetum facerent: in montium uerò summitatibus ac angustijs quæ Corinthum ducunt, Sicyonios ac Pellenenses reliquere, ne illis occupatis Phliasij super capita eorum ac Iunonis consistrent templum. At qui in urbe erant, cùm hostes adesse, eosq; ad agros uastandos aduenisse cognouissent, cum equitibus & Phliasiorum electis urbe egressi, manus cum illis conseruere, nec ut in plana descenderent, permisere, ibiq; inuicem lacessendo magnam partem transegere diei. Et qui cum Euphrone erant, Hippasimum usque processere: Phliasij uerò Iunonis non prætergrediebantur templum. Cùm uerò hora iam abeundi esse uideretur, hostes Tricranum uersus gradiebantur: ne enim breuiori uia ad Pellenenses perucnire possent, fossa ante muros erecta illis impedimento erat: eos uerò parũper ante diluculum Phliasij præteruersi, iuxta muros fossam

sam transgressi, ad Pellenenses & qui cum illis erant, pergebant: quam Phliasiorum festinationem cùm Thebani resciuissent, omni ope Pellenensibus succurrere accelerabant. Phliasiorum interim equites Pellenenses aggrediuntur, ab quibus fortiter excepti sunt: illi uerò parumper declinarunt, rursusq; cum peditibus qui iam aduenerant, in illos irruunt, ac atrocissimum ædebant prælium. Atqui non tulere hostes impetũ, sed protinus in fugã uersi sunt. Cecidere pugna ea Sicyonij nonnulli, ac Pellenensium haud parum multi, uiriq; fortes desiderati sunt. His actis, Phliasij clarissimum erexere trophæum, pæana canẽtes, ut æquum erat. Et Thebani, quiq; cum Euphrone erant, hæc tanquam spectaculum quoddam cernere cogebãtur: inde Sicyonem abiere, Phliasij uerò in urbem rediere. Nec minus egregium id quoq; Phliasij egere. Viuum enim in potestatem redactum hospitẽ Pellenensem, quamuis summa rerum premerentur inopia, absque precio dimisere. Nónne igitur meritò hi qui talia gessere, generosi ac fortes appellandi sunt? eo quoque nomine clari, quòd tam summa constantia amicis fidem seruauerint. Quamuis enim à colligendis arcerentur frugibus, perdurabãt tamẽ, quædam ex hostili rapientes terra, nonnulla uerò ex Corintho coëmentes, multis periculis illuc contendentes, difficulter quoque precium corradentes, difficilius uerò à uendentibus necessaria redimentes, iumenta quoque ad deuehendum commeatũ summa difficultate à uicinis contrahentes. Tandem omnium rerum pressi inopia, Chareti persuasere, ut pro deuehendo commeatu præsidium cum illis mitteret. Qui cùm Phliuntem peruenissent, illum exorarũt ut inutilẽ turbam Pellenẽ emittere liceret:

quam

quam ibi quoq; dimiserunt. Inde digressi necessaria coëmerunt, ac quotquot potuerunt, onerarunt iumenta, nocteq; reuertebantur, haud ignari ab hostibus transitum insideri: satius tamen rati egregiè pugnando periclitari, quàm tanta rerum premi indigentia. Igitur cum Charete progressi, cũ hostes adesse certiores facti essent, se ad certamen accingunt, ac inuicem hortantur, Charetemq; opem ferre clamant. Parta itaque victoria, hostibusq; repulsis, cum omnibus quæ ferebant salui domum peruenere. Cumq; totam uigilassent noctem, ad multum dormierunt diei. At cùm Chares surrexisset, equites primoresq; ciuium illum ita alloquuti sunt: Propositũ est tibi, ô Chares, pulcherrimã hodie exequi rem. Regionem enim montanam Sicyonij muro circundare nitũtur ædificatoribus plurimis, uerùm haud ita multis confisi militibus: hos nos equites præstantioresq; ciuium aggredi in animo habemus: tu uerò si peregrino subsequutus fueris milite, fortasse confectam rem inuenies: fortasse cùm apparueris, ut Pellenæ, hostes in fugam uertes. Si uerò quæ narramus tibi factu difficilia uidentur, Deos sacrificijs consule: arbitramur equidem potius illos quàm nos, ut hæc peragas iubere. Nec te lateat, si hæc peregeris, hostibus superiorẽ fore, amicamq; seruaturum ciuitatem: glorioßimũ quoque in patria, nominatißimum præterea tam inter socios quàm hostes euasurum. His persuasus Chares sacrificabat. Interim uerò Phliasiorum equites arma induebant, equosq; frenabant, pedites quoq; ad certamen se præparabant: inde composito agmine ad locum ubi sacra fiebant, unà tendebant. Quibus obuiam factus Chares cum uate, nuncians pulchra apparuisse exta: uerùm aliquantißper

tisper expectate, inquit, nos enim unà egrediemur. Confestimq; mercenarij milites ingenti alacritate, tanquam numine afflati, ad hostes pergebãt. Præcesserant hos Phliasiorum tam equites quàm pedites, quantaq; poterant celeritate ad hostes festinabãt: tandemq; equites equos concitant, pedites q; seruatis quantum poterant ordinibus cursu ferebantur: quos Chares celeriter sequebatur. Dies uerò iam præcipitabat, ac in uesperum uergebat. Nacti sunt hostes partim operi incumbentes, alios se lauantes, nonnullos cœnam præparantes, hos panem pinsentes, illos uerò lectos sternentes: qui cum Phliasios cum impetu ac celeritate irruentes cernerent, metu perculsi, omnes in fugam uersi sunt. Cùm necessaria cuncta uiri tam egregijs reliquissent, illi ibidem cœnantes, reliqua domum tulerunt, pæanizantes, ac ob res feliciter gestas sacra instaurantes: inde excubijs locatis quieti se dederunt. At Corinthij cùm de pugnæ euẽtu certiores facti essent, per humanè contractis iumentis illa cuncta frumento onerarunt, Phliuntemq; misere: & anteaquàm undiq; muro circundarentur, quotidie necessaria inferebantur. De Phliasijs itaque, quemadmodum amicis fidem seruarint, quamq; egregiè se in bello gesserint, ac omnium indigi in societate permanserint, sat dictum est. Eodem fermè tempore Aeneas Stymphalius cùm Arcadum dux esset, ac quæ Sicyoni fierent intoleranda iudicaret, occupata cum exercitu suo arce, Sicyonios præstantiores qui in urbe erant, necnon illos qui absq; decreto exciderant, conuocabat: quapropter Euphron timore perculsus in Sicyoniorum perfugit portum, Pasimelemq; ex Corintho accersiuit, ut Lacedæmonijs portum traderet, simulans se id

fide

fide ac beneuolentia facere. Siquidem cùm deliberatum fuisset, num à Lacedæmonijs ciuitas deficere deberet, ego cum paucis, inquit, restiti. Cùm uerò rursus proditores meos ulciscì uellem, popularem statum constitui: & nunc, inquit, relegati sunt à me omnes uestri proditores. Quòd si potuissem, cum uniuersa ad uos defeciſſem ciuitate: sed cùm id mihi facere haud licuit, id quod potui feci, portũq; uobis tradidi. Audiebant hæc multi, sed qui crederent non admodum patet. Verùm cùm Euphronis mentionem fecerim, quæ de eo acta sint, ad calcẽ usque educam. Cùm Sicyoni optimates ac populus seditione certarent, Euphron accepto ex Athenis præsidio, ciuitatẽ cum populo in suam redegit potestatem. At cùm Thebanus harmostes arcem obtineret, illeq; cerneret quandiu arx in Thebanorum esset potestate, se ciuitati dominari haud posse, accepta pecunia Thebas profectus est, ut Thebanis persuaderet, ut expulsis optimatibus sibi rursus ciuitatẽ traderent. At qui antea exciderant, cùm ipsius præsensissent consilia, ipsi quoq; Thebas profecti sunt. Verùm cùm ipsum familiariter cum primorib. uersari cernerent, timentes ne rem ex sentẽtia perageret, periclitati sunt quidam, ac illum quũ in arce cum primoribus ac senatu sederet aggressi, obtruncant. At primores comprehensis autoribus, in senatum introduxere, itaq; loquuti sunt: Viri ciues, nos Euphronis interfectores hos mortis reos deferimus, uidẽtes probos nil unquam iniustè aut iniquè perpetrare: pra uos uerò si quid mali agere nitantur, id ut clanculum fiat conari. At hi adeò cunctos audacia ac scelere exuperant homines, ut coram principibus ipsis, uobisq; dominis, qui & uitæ ac necis potestatem obtinetis, hominem obtruncare

care haud ueriti sint. Qui si ultimo haud afficientur supplicio, quis posthac securè ad urbem hanc accedere poterit? Cuius præterea conditionis ciuitas erit, si unicuique ex libito quenquam, antequàm ostendere possit cur huc uenerit, interficere permissum erit? Nos igitur hos ut scelestissimos ac iniquissimos, quique ciuitatis leges admodum transgressi sunt, deferimus. Vos uerò postquàm malefacta eorum audiuistis, ea pœna qua uobis digni uidentur, illos plectite. Et ciuitatis principes talia sunt loquuti. At facinoris autores, alij se criminis reos esse negabant: unus uerò qui rem ingenuè fatebatur, ita se defendere cœpit: At uos quidem contemnere, Thebani, impossibile est homini, qui sciat in potestate uestra esse de se statuere uestro arbitratu. Qua tamen re fretus hìc hominem occidi, primùm ut hoc sciatis, quòd me arbitrarer iusta facere: deinde uos rectè facturos. Sciebam enim cùm Archias ac Hypates olim similia Euphroni audentes à uobis deprehensi essent, non sententia aliqua damnatos esse, sed cursitigiò ultimo affectos supplicio: siquidem existimabatis eum qui manifesti sceleris, proditionis ac tyrannidis conuictus esset, ab omnibus hominibus iam morte damnatum esse. Nónne igitur Euphron quoque criminum illorum omnium reus fuit? quandoquidem templa cunctis statuis tam aureis quàm argenteis spoliauit. Quis præterea manifestior Euphrone proditor fuit? Nam cùm summa amicitia Lacedæmonijs deuinctus esset, illis tamen relictis ad uos transfugit. Cumq; fidē dedisset, à uobisq; accepisset, rursus uobis proditis, portum hostibus tradidit. Atqui nónne apertissimè tyrannidem exercebat, cùm seruos non solùm in libertatē uendicaret, sed & ciuitate donaret? Præterea

non

non eos qui iniustè egerant, interficiebat, expellebat, fortunisq; omnibus spoliabat, sed quos ei uidebatur: hi uerò optimates erant. Inde cum inimicissimis uobis Atheniensibus in urbem irrumpens, arma præfecto uestro intulit: quem cùm urbe pellere haud posset, corrasis undique pecunijs huc accessit. Proinde cùm uobis arma intulit, meritò mihi gratias habebitis, quoniam illũ obtruncaui. Quo pacto etenim ad mortem iustè à uobis damnari uiderer, si illum sustuli qui collectis undiq; pecunijs ideo huc appli cuit, ut uos illis corrumperet, persuaderetq; ut rursus cũ ciuitatis dominum constitueretis? Etenim qui ui uiolantur, lædũtur quidem, sed alijs haud iniurij esse uidentur. At qui pecunijs corrumpuntur, ij & læduntur, et infamiam incurrunt. Quòd si ille mihi hostis, uobis uerò amicus fuisset, fateor me haud rectè egisse, quòd illum apud uos interfecissem. Cùm uerò uos prodiderit, num mihi an uobis hostilior extiterit, considerate. Sed dicet aliquis, sponte sua huc uenit. Ergo si procul ab urbe nostra obtruncatus esset, laudibus interfectorem decoraretis: nunc uerò cùm de securitate certus ad nos uenerit, alia præter priora mala facturus, negabit eum quisquam iustè occisum esse? Verùm illi respondeo, ut mihi leges Græcorum ostendat, quæ proditoribus, seu transfugis, aut tyrannis securitatem præstent. Mementote præterea uos aliquando publicè decreuisse, exules in omnes ciuitates socias cõmuni decreto reduci posse: at qui absq; publico decreto reuersus fuerit, hũc dicere ausim haud iniustè morte pœnas dedisse. Proinde si me interfeceritis, uiro uobis omnium inimicissimo uindictam persoluetis. Quòd si me rectè egisse iudicabitis, uindictam debitam exegisse non solùm

lùm nomine uestro, sed & sociorum uniuersorum uidebimini. Quæ cùm Thebani audiuissent, meritas Euphronem pœnas luisse decreuerunt. Ciues uerò eum tanquam uirum bonum in forum detulerunt, ibiq; sepelierunt, ac tanquam ducem ciuitatis uenerati sunt. Ita enim utplurimum euenit, ut homines benefactores suos, uiros bonos esse statuant. Et quæ circa Euphronem acta sunt, ita se habent. Ego uerò unde digressus sum reuertar. Phliasij cùm adhuc Thyamiæ munitioni incumberent, Charete adhuc præsente, Oropus ab exulibus occupatus est: cumq; contra illos Athenienses uniuersi expeditionem sumpsissent, Charetemq; ex Thyamia accersiuissent, portus Scionius rursus à ciuibus & Arcadibus captus est. At cùm Athenensibus nemo è socijs opem ferret, cum Thebanis ita cõuenire coacti sunt, ut Oropus redderetur, quoad iure lis dirimeretur. Lycomedes igitur cùm resciuisset Athenienses socios incusare, tanquam multas molestias propter illos paterẽtur, nemo uerò illis auxilium præstaret: quamplurimis persuasit, ut cum eis de societate ageretur: et sub initium magna pars Athenensium ægrè ferebant, quòd cùm Lacedæmoniorum essent amici, illorum tamen hostibus societate conciliarentur: sed cùm diligenter rem perpenderent, inuenerunt haud minus Lacedæmonijs quàm ipsis conferre, ut à Thebanis Arcades distraherẽtur: quapropter cum Arcadibus societatem iniere. Quæ cùm Lycomedes ex animi sententia peregisset, ab Athenis profectus est, finemq; beatissimum fortitus est. Cùm enim plura adessent nauigia, ipseq; ex illis quodcunque placuisset eligere ac ostendere iussus esset, ubinam potissimum se exponere uellet, ibi descendere elegit, ubi quãplurimi essent

exules. Et ille hoc occubuit pacto, & societas maximè ita contracta est. Interea Demotion apud populum Atheniensem uerba fecit, ostendens, sibi Arcadum amicitiã utilem esse uideri: iubendum tamen esse ut duces operam darent, ut Corinthus salua populo remaneret Atheniensi. Quæ cùm Corinthij audiuissent, misso undiq;, ubi Athenienses in statiuis erant, præsidio ualido, illos abire iusserunt, ostendentes amplius illorum opera haud indigere: qui confestim paruere. Cumq; ex præsidijs uniuersis milites in urbem confluxissent, Corinthij præconis uoce nunciare iusserunt, si quis ab illis iniuria affectus esset, ostenderet: eos etenim ius adepturos. Aduenit interim Chares cum classe Cenchreas, qui cùm gesta intellexisset, dixit se cùm de insidijs certior factus fuisset, illos auxilij gratia accessisse. Corinthij uerò cùm eum laudibus extulissent, minimè tamen naues intra portum receperunt, uerùm illum cum classe abire iusserunt, necnon milites iure illis reddito, dimiserunt. Et Athenienses hoc maximè pacto Corintho discessere: & Arcadibus ob societatem equites in subsidium, si quis contra Arcadiam militaret, mittere astricti erant: ad Laconicum tamẽ bellum haud procedebant. At Corinthij cùm animo uoluerent quantis periculis obnoxij forent, cùm iam antea terra uicti essent, noui præterea hostes Athenienses accederent, milites tam equites quàm pedites conducere cœperunt, quibus & ciuitatem defendebant, hostesq; malè afficiebant. Miserunt et Thebas sciscitaturi, num si illuc accederent, pacem consequi ualerent. Cumq; Thebani illos tanquam uoti cõpotes futuros aduenire iussissent, rursus Corinthij rogarunt, ut socios co nuenire permitteretur, ut quos pacis cupidos reperirent,

perirent, secum adducere possent: quos uerò bellum præferre intelligerent, bellare sinerent. Cumq; id quoque ab Thebanis illis concessum esset, Lacedæmonem perrexere, itaq; uerba fecerunt: Nos, uiri Lacedæmonij, amici uestri huc ad uos conceßimus, postulamusq;, ut si quam salutem, si bellare perseueramus, cernatis, nos quoq; certio res reddatis. Si uerò de rebus uestris dubij hæretis, dummodo id uobis cõducere existimatis, precamur ut unà nobiscum pacem faciatis: nobis enim cum nemine alio suauius est, quàm uobiscum saluari. Quòd si bellum magis uobis prodesse existimatis, supplicamus ne nobis impedimento esse uelitis, quo minus pacem cõponamus. Etenim si à bello aliquantisper respirauerimus in tempore, quandoq; uobis usui esse poterimus. At si nunc perimus, amplius uobis prodesse nequimus. Quæ cùm Lacedæmonij audiuissent, Corinthijs ut pacem facerent, suasere: nec reliquis socijs impedimento fuere quo minus à bello desisterent: se uerò bello periclitaturos asserebãt, quoad Deo uideretur: nunquam enim concessuros ut Messene, quam à patribus acceperãt, è manibus eriperetur. Quæ cùm Corinthij audiuissent, Thebas pro pace contenderunt, & Thebani ut societatem iurarent, petiere. Quibus responderunt, societatẽ non pacem, sed belli esse permutationẽ: at si uellent, se adesse ut de pace æqua agerent. Et Thebani eos admirati, quòd quamuis in periculo essent, nollent tamen benefactoribus bellum inferre, eis cum Phliasijs & reliquis quibus cum Thebas accesserant, pacem eisdem concessere conditionibus, iuramentumq; hac de re interpositum est. Et Phliasij protinus ac ita conuentum est, ex Thyamia decessere. Et Argiui quãuis hãc quoq; iurassent

pacem, cum tamen obtinere non possent, ut Phliasiorum exules in Tricrano, tanquam in eorum urbe, permanerēt, ipsos in fidem susceperunt, præsidioq; iuuerunt, asserentes eam quoque terram suam esse, quam paulò antè ut hostilem uastauerant. Cumq; hanc ob rem à Phliasijs in ius uocati essent, minimè paruere. Circiter eadem tempora defuncto iam Dionysio seniori, filius ipsius Timocratem præfectum cum triremibus duodecim in subsidiū misit Lacedæmoniorum, cuius auxilio Selasiam ceperunt: qua capta ille domum abijt. Non longè inde Elienses Lasionem ceperunt, olim iuris eorum, tunc uerò temporis Arcadum sequentem partes. Nec Arcades eam neglexere iniuriam, sed confestim copijs eductis in auxilium aduolāt. Non quieuere ob id Elienses, sed cum septingentis obuiam fiunt uiris, cumq; per diem in campestriori loco Elienses castra haberent, Arcades nocte conscensis montibus qui Elienſibus à tergo incumbebant, illorum summitates occupant, ac orta die in Elienses ruunt. At illi cernentes à superiore parte, ac ui ingenti hostes imminere, quid agerent dubij erant: terga enim uertere turpe existimabant. Congressi itaque, ac quamprimum ad manus uentum est, in fugam uersi sunt, ac propter loci iniquitatem abiectis armis, complures ex eis cecidere. Arcades uerò his actis montanas aggressi ciuitates, omnes præter Thraustum in suam redegere potestatem. Inde Olympiam descendentes, Saturni munierunt templum: ibiq; occupato Olympiaco monte, in statiuis agebant. Marganeas quoq; nonnullis tradentibus ceperunt, ita ut Elienses in ultimam penè redigerentur necessitatem. Progressi inde urbem uersus Arcades, ad forum usque peruenere: ibi Elienses tam equiti-

equitibus quàm peditibus eruptione facta eos repulere, ac nonnullis interfectis trophæum erexere. Elis uerò iampridem in diuersas distracta erat factiones: nam qui cum Charopo, Thrasonide ac Argio sentiebant, ciuitatem ad popularem trahebant statum: at qui Stalcæ, Hippiæ & Stratolao adhærebant, ad paucorum regimen illam ducere quærebant. Cùm uerò Arcades ui magna adessent, hi qui popularem inducere quærebant statum, ac Charopo faucbant, propter illos animos extollere cœperũt, ac cum Arcadibus clàm composita re arcem occupant: qua re minimè equites ac trecenti perterriti, ueestigiò in arcem ascendunt, illosq; expellunt, ita ut cum Argio ac Charopo quadringenti circiter exciderint ciues. Haud longè inde hi secum assumptis Arcadibus nonnullis, Pylum occuparunt: ad quos multi ex populo ab urbe confluxere, tanquam ad regionem fertilem, ob potentiamq; ingentem, Arcadum confidentes societati. Post hæc iterum Elienstium fines inuasere Arcades, ab exulibus persuasi, tanquam ciuitate ad illos defectura. Verùm cùm Achæi Elienstium tum amici essent, urbem illorum tutati sunt, ita ut Arcades re infecta discedere coacti sint: regionem tamen uastarunt. Confestimq; relicto agro Elienses, cùm resciuissent Pellenenses in Elide agere, nocte longissimum confecere iter, ac Olurum illis subditum ceperunt. Iam enim rursus Pellenenses Lacedæmoniorũ sequebantur partes. Pellenenses itaq; cùm hac de re certiores facti essent, domum ut potuere contendunt, indeq; Arcades qui Olurum obtinebant, uniuerso educto populo, etsi pauci essent oppugnabant, nec antea destitere, quàm Olurum subegissent. Arcades uerò iterum contractis copijs Elim inuase-

runt: cumq; inter Cyllenem ac urbem castra locassent, ab Elijs inuasi sunt: quibus uiriliter resistentes, illos uicerũt. Eo certamine Andromachus Elienstium præfectus, quiq; huius prælij causa ferebatur, sibi mortem conscuit: reliqui uerò in urbem refugerunt. Occubuit quoque pugna ea Soclides Spartanus: tum enim Lacedæmonij Elienſibus socij erant. Cumq; Elij in proprijs uehementer urgerentur finibus, missis Lacedæmonem legatis rogarunt, ut illi Arcadibus bellum inferrent: arbitrabantur enim maximè hoc pacto Arcades repellere posse, si utrinq; lacesserentur. Archidamus itaq; urbanis eductis copijs, Cromnum cepit, ac ex cohortibus duodecim, tres ibi præsidio reliquit, reliquas domum reduxit. At Arcades cùm ex Elienſi expeditione adhuc collecti essent, in auxiliũ aduolarunt, Cromnumq; duplici circundederunt uallo, ac securè agentes, intra urbem constitutos obsederunt. Lacedæmonij uerò cùm ægrè obsidionem eam ferrent, quippe ciuium suorum, denuò eduxerunt copias, quarum dux erat tum quoque Archidamus: qui profectus igni ac ferro quascunque poterat Arcadiæ ac Sciritidis oras uastabat, neq; intermittebat quicquã, quò si quidem liceret in se Arcadas prouocaret. At illi cùm nihilo mouerentur magis, omnemq; illius conatũ spernerent, obseruato quodam tumulo Archidamus, quo uallum exterius cinxerant Arcades, occupare eum instituit, ut quo superato durare amplius in obsidione hostes non possent. Ducto igitur circum eum locum exercitu, ut uiderunt qui præcurrerant Archidami sagittarij Arcadũ custodes, quos Eparitos uocant, extra uallum, facto in eos impetu, unà inuadere etiam equites ausi sunt. Qui cùm non modò non inclinarent aciem,

sed

ſed magis etiã urgerent, magnus undique coortus eſt clamor. Quo audito Archidamus Cromnum tendente uia regia conuerſus, inſtructo in binos agmine ſuppetias tulit. Poſtquam uerò congreſſi ſunt propius, Lacedæmonij quidem compoſito cornu, ſecundum uiam nempe incedentes, Arcades autem facta ſcutis teſtudine ſtipati, nihil ibi quidem Lacedæmonij reſiſtere horum multitudini potuere, ſed confeſtim et Archidamo uulnere penetratũ eſt femur, et qui ante eum certabant Polyænidas et Chilon, cui Archidami ſoror nupta erat, ac pleriq; alij nõ pauciores triginta occubuere. At uerò ubi eadem uia regreſſi in campi ſeſe ſpacia contuliſſent Lacedæmonij, cõpoſita denuò acie hoſtem operiebãtur. Verùm illi copijs ita ut erant inſtructis conſtitere: et quanquã numero quidem inferiores eſſent, longè tamen alacritate præſtabant. Lacedæmonij uerò animo erant penitus deiecto, et quòd uulneratũ cernerent Archidamũ, et quòd cæſorum nomina audirẽt, fortiſſimorum quidem uirorũ maximeq; illuſtrium. Iamq; conſerente manum utroq; exercitu, cùm de ſenioribus quidã exclamaſſet, Quænam uiri nobis cauſa eſt, ita mutuis perire cædibus, quàm pactis utrinq; inducijs cõcedere malle? Voce ea ſummo cum gaudio excepta, ac inito protinus fœdere, Spartani quidem ſublatis cadaueribus diſceſſere: Arcades autem eò unde primùm eruperant reuerſi, trophæum ſtatuerunt. Cumq; iam non longè Cromno abeſſent, Elij urbe egreſſi, ac primò quidem Pylum profecti, militibus illic uixdum thalamo auulſis incidunt: quos minimè neglectos facta ſtatim irruptione aggreſſi Eliorum equites, pleroſq; obtruncant, reliqui in tumulum ſe quendam recipiũt: quos non ita multò pòſt inde depulſos, qui

ſuperuenerant pedites partim quidem cædunt, partim uiuos capiunt, circiter ducentos: quorum ex numero peregrinis quidem diuenditis, reliquos quotquot ſupererant transfugas trucidarunt. Inde uerò & Pylios, cùm nemo opem ferret amplius, cum toto ſimul agro depopulãtur, et Marganeas recipiunt. Demũ Lacedæmonij nocte quidem Cromnum reuerſi, uallóq; potiti, Argiuos, et ex ſuis quotquot obſidebantur, protinus euocarunt: atq; horum quicunq; in proximo erant, quiq; arrepti celeriter conſequebantur, effugerunt: reliqui ab Arcadibus non parum multis occupati, quanquã mutuam ſibi opem ſedulò præſtantes, intra mœnia occluſi ſunt, moxq; cõprehenſos æquali inter ſe partitione Argiui, Thebani, Arcades, Meſſenij diſtribuerunt. Spartani ac finitimi tum quidem capti plures centum fuere. Porrò Arcades relicta Cromni obſidione, rurſum circa Elios occupabãtur, Olympiamq; maioris aliquanto roboris præſidio muniebãt. Iamq; anno inſtante olympiaco, ad celebranda Olympia ſeſe unà cum Piſſatis ijsq; primis accinxere, qui ſe fano præeſſe ferrent. Cùm igitur menſis iam adeſſet ac dies, quibus & ſacris ijs operari, & ſolenniter undiq; conuenire ſolebant, Elij quidem palàm collectis copijs, aduocatisq; Achæis, per olympiacam ſeſe uiam egere: quos Arcades minimè pergere ad ſe arbitrabantur, & ipſi cum Piſſatis ſacrorum ſolennitatem adornarant. Ac equeſtre quidem cæteraq; quinquertij, & curulia maximè certamina iam abſoluerant. Qui uerò ad palæſtrã acceſſerant non ſolitis iam ſpacijs, uerùm inter metam atq; aram luctæ ſe committebant: ſiquidem Elij ad delubrum iam cum armis aderãt. Neque uerò Arcades occurrere illis longius, ſed ad Cladaum

daum amnem, qui Altin præterfluens in Alpheum delabitur, in aciem sese componere. Neque decrant ipsis etiã socij, grauis armaturæ milites, ex Argiuis quidem duo millia, Athenienſium autem quadringenti. Cæterùm Elij ab altera fluuij parte ordines inſtruebant, peractisq; illicò ſacris, loco mouebantur. Et quanquam hactenus quidem ad res bellicas ab Arcadibus, Argiuisq;, necnon Achæis & Athenienſibus, tanquã inidonei exiſtimati, contemptiq; fuiſſent, eo tamen die ita ſe geſſere, ut ſociorum omniũ fortiſſimi ducerentur: nam & Arcadas primo ſtatim conſl. ctu in fugam uerterunt, & Argiuis ſuppetias illis ferre conantibus occurrentes, ſuperiores ipſis quoq; euaſere: eosq; inſecuti in eum uſq; locum, qui inter forum ac Veſtæ templum eodemq; pertinens theatrum eſt, nihilo quidem pugnabant minus, & ad aram uſq; propulſabant. Verùm & à porticibus ac foro, magnaq; æde feriebantur, & in æquo loco pugnabant, mortuiq; ſunt & alij Elienſium, & ipſe trecentorum dux, Stratolas. Quibus ita geſtis, ad caſtra ſua reuerſi ſunt. Arcades porrò, quiq; ipſis aderant, poſtera die tanta laborarunt formidine, ut nocturno etiam tempore certatim quæ magno labore fixerant tentoria uallũq; deſtruentes, neutiquã inter quieſcerent. Cumq; Elij poſtridie accedentes munitũ murum & multos in templa aſcendiſſe uiderent, in urbem ſe receperunt, cùm quidem tales fuiſſent, quales poſſit Deus quidem, inſpirata uirtute, efficere uel uno die, ſed homines ne longo quidem tempore eos qui non ſint, ita fortes reddere poſſint. Iam uerò cùm ſacris pecunijs uterentur Arcadum principes, atque hinc Eparitos ſuos nutrirent, primi decreto ſtatuerunt Mantinei, neutiquam uti

ijs debere: ratamq; ipsi partem illis ex urbe suppeditantes, magistratibus miserunt. Quibus Arcadicum eos nomen afficere ignominia dictitantibus, ad Myrios, quibus præfectis utebantur, prouocarunt: cumq; illi non parêrent, contra eos tulere sententiam, miseruntq; Eparitos, ceu eos qui essent damnati adducturos. Igitur Mantinei clausis portis, non receperunt eos intrò. Haud uerò ita multò pòst alij quoq; Myrijs abstinendũ esse sacris facultatibus dicebãt, neq; culpam illam in Deos per omnem ita ætatem posteris relinquendam: itaq; publico etiam decreto sacrarum deinceps pecuniarum usu interdictũ est: quo facto protinus quicunq; ex Eparitis carere stipendio nequibant, diffundebantur: qui uerò poterant, ipsis hortantibus in Eparitorũ ordinem sunt restituti, ut non ipsi illis, sed ipsis illi adderẽtur. Cùm uerò intelligerẽt, qui ex principibus sacrarum opum administrationi præfuerant, si ab ipsis reddenda essent ratio, fore ut de salute periclitarentur, missso Thebas nuncio suadent, nisi expeditionem suscipiant, Arcadum rursus ad Spartanos defectionis imminere periculum. Delectu itaq; habito, hi ad expeditionẽ sese pararunt: illi autem quæ maximè Peloponneso conducerent deliberantes, commune Arcadum persuasere, ut missis legatis Thebanos, nisi quid fortè postularent, armis Arcadiam inuadere dehortarentur: & simul quidem hæc Thebanis dicebant, simul uerò bello nihil esse opus arbitrabantur. Neque uerò præesse Iouis templo ita multum referre putabant, quin diligentius tuendo iura, pietatemq; colendo, uel maximè gratificari Deo posse existimarent. Eadem uerò censentibus etiam Elijs, pacem facere utrisq; uisum est, atq; ita fœdus iniere. Cumq; iuramen-

to

to sese iam obligassent mutuò cæteri omnes ac Tegeatæ, ipsq; Thebanorum dux, qui intra Tegeam Bœotis grauis armaturæ militibus trecentis instructus agebat, alij quidem Acarnanes eodem loci remanentes, conuiuijs ac hilaritati uacabant, fœderaq; et pæanas quasi firmata iam pace decantabant. Thebani uerò et qui ex principibus repetundarum actionem horrebant, unà cum Bœotis atque eiusdem sententiæ Eparitis, clausis ijs quæ Tegeatarũ muri erant portis, ad eosq; mittentes qui illis adhærebãt, optimos quosq; corripiũt: quippe cùm ex omnib. undiq; urbibus adessent Arcades, omnesq; pacem cuperẽt, complures etiam qui caperentur esse oportebat, adeò ut ilicò & carcer et publica urbis domus illis cõpleretur. Cumq; non pauci iam custodiæ essent traditi, multi etiam per murum euasissent, quidã uerò per portas dimitterentur (siquidẽ nemo cuiquã indignabatur qui se non perijsse putaret) id uel in primis dubiũ animi consilijq; inopem Thebanũ, cæterósq; unà cum ipso istuc agitãtes reddidit, quòd Mantineorũ (quos uel maximè comprehensos cupiuerant) paucos tantũ quosdam tenerent. Quia enim non longè urbs eorum aberat, domũ fermè omnes abierãt. Orto itaq; die, cùm quæ essent gesta Mantinei audirẽt, missis confestim in reliquas Arcadiæ ciuitates legatis, ut arma corriperẽt, urbesq; præsidijs firmarẽt præmonuere: quib. facilè ac statim obtemperatũ est. Simulq; Tegeã missi sunt, qui & quotquot illic Mantinei tenerẽtur, reposcerent, et cætero rum Arcadum neminẽ uel tenere uinculis, uel indicta causa necare æquũ esse affirmarent. Neq; deerant qui causarẽtur, et denunciãtes dicerent, Mantineorũ ciuitatẽ sponde re se repræsentaturã esse in communi Arcadũ concilio,

quotquot postulasset aliquis. Quibus auditis Thebanus ambigebat, quonam pacto ea in re se gereret, tandemq; omnes dimisit: conuocatisq; postero die quotquot haud inuiti conueniebant Arcadibus, factum excusare, erroremq; se deceptum fateri. Audiuisse enim, inquit, Lacedæmonios cum armis fines iam ingressos, Tegeamq; illis per Arcadas quosdam iri proditum: quæ tametsi qui audiebant de se falso conficta omnia agnoscerent, abiere tamen, legatisq; Thebas missis, illum ut capitali omnino supplicio plectendum accusarunt. Cæterùm Epaminundam, qui tum exercitui quoque præerat, dixisse ferunt, multò quidem feciisse Thebanos rectius cùm cepêre illos, quàm cùm dimiserunt. Etenim quòd nobis, ait, propter uos ad bellũ iam instructis, præter nostram sententiam uos interim pacem feciistis, quonam pacto proditionem etiam uestrũm aliquis non iure appellitare posit? Scitote autem, inquit, nos quidem in Arcadiam exercitum ducturos, atque his qui nobis consentiunt bello neutiquam defuturos. Quæ quidem ubi ad commune Arcadum urbesq; relata sunt, sese deinceps respicere cœperunt Mantinei, Arcadèsque alij quibus curæ erat Peloponnesus: similiter autem & Elij et Achæi, quòd liquidò Thebani Peloponnesum esse quã infirmißimam cupere uiderentur, quòd eam sibi minimo cum negocio subigerent. Quorsum enim, inquiunt, bellum susciperе nos uolunt? an ut mutua ipsi nos clade conficiamus, et ab ipsorum inde auxilio pendeamus utrique? aut quid, cùm eorum ope nihil egere nos in præsentia dicamus, expeditionem ita moliuntur? an non nobis procinctu illo machinari exitium abunde appareat? Miserũt autem Athenas etiam, succurri sibi flagitantes: quin & Lacedæ-

Lacedæmonios missis ex Eparitorum ordine legatis hortabantur, cõmunibus prohibere uiribus uellent, si qui Peloponnesum subacturi inuaderent: tamen de principatu illic transigebant, ut suæ quique reipub. imperitarent. Interea uerò dum hæc geruntur, exercitum Epaminundas educit Bœotis uniuersis & Eubœis compluribusq; Thessalis instructum, misso etiam ab Alexandro & aduersarijs eius auxilio. Phocenses autem quiescebant, suis fœderibus sese excusantes, quibus minimè ad lacessendũ alios, sed ferendum tantummodo, si quis Thebas inuaderet, auxilium obstringi se dicebant. Cæterùm Epaminundas in Peloponneso etiam superesse sibi existimabat Argiuos & Messenios, idemq; secum statuentes Arcadum quosdam: & erant hi quidem Tegeatæ, & Megalopolitæ, Aschetæq; ac Palantenses, atque aliæ ciuitates quædam, quæ & quia paruæ erant, & quòd in illarum medio sitæ, facilè illis obsequi compellebantur. Profectus est igitur statim Epaminundas, Nemeamq; ingressus, moram ibi aliquandiu traxit, quòd aduenientes illuc se excepturum Athenienses putaret, magni id momenti futurum ad roboranda auxilia sua, incutiendamq; hostibus desperationẽ existimans: et ut paucis absoluam, summo bono fore Thebanis putabat, Athenienses deprimi. Interea ergo dum ita cunctaretur, quicunq; pari studio Peloponnesi quærebant salutem ex Arcadibus atque alijs, Mantineam omnes conuenere. Epaminundas porrò ubi Athenienses pedestri quidem itinere proficiscì nolle, mari autem se parasse intellexit, tanquam suppetias Arcadibus per Spartam laturos, translatis illicò ex Nemea castris, in Tegeam contendit. Hanc igitur expeditionem haudquaquam

ego

ego impræsentia quidem succesisse illi pulchrè dixerim: quanquam quod ad egregia prudentiæ ac fiduciæ opera pertinet, nihil adeò ei uiro defuisse uidetur. Nam primùm quidem hoc ego facinus eius laudo, quòd in Tegeatarum mœnibus exercitũ locauit, ubi & tutius erat, quàm si foris castra fecisset, & hostibus quicquid ageretur minimè appareret: instruere denique ac parare, quacunq; re tandem opus esset, intra urbem agenti commodius liceret: eorum uerò qui extra muros castra posuerant, inspicere erat si quid uel rectè, uel perperàm facerẽt. Cumq; se superior esse hostibus arbitraretur, cùm uideret eos æquiore in loco esse, non inuadebat. Cùm autem ciuitatem quidem ad se nullam deficere, nihilo autem secius interea tempus transigi animaduerteret, saltem aliquid sibi esse agẽdum statuit, alioqui partam hactenus gloriam magna se infamia permutaturum existimans. Postquàm igitur ad Mantineam, cæteris quidem in statione collocatis, Agesilaum cum reliquis Lacedæmonijs accersitũ intellexit, infestoq; exercitu iam profectum ac Pellenem ingressum, peracta ilicò cœna, excitisq; edicto militibus, rectà Spartam contendit, ac nisi diuina quadam sorte Cretensis quispiã accedens Agesilao hostilem adesse exercitum nunciasset, tantum non urbem iam ceperat, nihil tum quidem à deserto uindicibus nido differentem. Cuius rei in ipso negocij uelut cardine certior factus Agesilaus, euestigiò urbẽ prior occupat: ac Lacedæmonij quidẽ compositis ordinibus strenuè præsidio aderant, quanquam essent admodum pauci, quippe quorũ equitatus omnis in Arcadiam concesserat, necnon mercenarij milites, & ex decem cohortibus tres. Cum uerò tandem in urbẽ peruenisset Epaminundas quoque,

Epaminundas Spartam exercitum ducit.

que, ijs quidem locis abstinuit ubi uel ex æquo loco pugnaturi erant, uel de domibus feriendi, uel ubi nihilo plures pugnaturi quàm si pauci essent, cùm essent multi. Sed occupato eo loco, quem sibi æquiorem esse existimabat, descendit in urbem, non ascendit. Quod tamen inde accidit, uel numini adscribi, uel hoc dici potest, desperatis à nemine resisti posse. Cùm enim ducē ageret Archidamus, neq; centum habens uiros, ac præteritis si quæ erant impedimentis ad hostes uaderet: ibi sanè qui ignem spirabant, qui Lacedæmoniorum paulò antè uictores fuerant, ac prorsum etiam plures, ad hæc superiora etiam loca tenebant, adeò non paruam illam Archidami manum excipere sunt ausi, ut ad fugam etiam inclinarent. Ex Thebanis igitur primi quique occubuere. Rursum qui intra urbem erant cùm uictoria exultantes longius quàm pro temporis ratione persequerentur, ipsi etiam interempti sunt. Siquidem quasi circumscriptum à numine uidebatur, quatenus eis uictoria concederetur. Et Archidamus quidem eo loci ubi præclarè ab eo gesta res est, trophæum statuit, ac interfectorum corpora hostium per præconem ad sepulturam postulata concessit. Cæterùm Epaminundas cùm putaret Arcades Spartæ auxilium laturos, noluit illis quidē ac Lacedæmonijs unà iunctis congredi, præsertim successu iam meliore usis, cæteris uerò conatu frustratis. Reuersus igitur quàm potuit celerrimè in Tegeam, concessáq; peditibus quiete, Mantineam equites misit, etiam atq; etiam eos uti perdurarent precatus: docensq; ueriſimile esse omnia Mantineorū iumenta, atque ipsos etiam homines foris iam agere, maximè quia comportandi frumenti tēpus erat. atq; hi quidem ibant.

Thebanis Spartanis fusis et fugatis Epaminundas Man fugam conuertit.

Athenien-

Athenienſes uerò equites Eleuſin egreſſi, in Iſthmo cœnauerant: iamq; peragrato etiam Cleonis oppido, Mantineam acceſſere, ac intra mœnia exercitum per ædes locauerunt. Cumq; adeſſe iam etiam hoſtes uiderentur, ciues quidem Athenienſium equitum opem implorare, ſi quid poſſent, ruri enim eſſe armenta omnia & operarios: multos uerò etiam pueros ac ſeniores, eosq; ingenuos pleroſque: quibus auditis Athenienſes confeſtim ad ferendum ipſis auxilium ſeſe expediunt, quanquam impranſi adhuc & ipſi & equi. Atque ibi quidem rurſus uirtutem ipſorum quis non iurè extollat ac ueneretur? qui tametſi multò plures cernerent hoſtes, iacturamq; Corinthi haud itapridem equites feciſſent, nihilo inde cunctatiores apparuere: neq; quòd Thebanis ſimul ac Theſſalis, qui equitatu excellere tum quidem uel potiſſimũ uidebantur, congrediendum eſſet. Verùm turpiſſimum ſibi fore rati, ſi præſentes nullo commodo ſocios iuuiſſent, ut primùm hoſtes conſpexere, iunctis illicò uiribus aggreſſi ſunt, relictam à maioribus gloriã reſeruare tueriq; ſedulò cupientes: ac ſtrenuè pugnando Mantineis quæcunq; extra mœnia habebant, ab interitu uindicarunt. Cecidere autẽ ex ipſis uiri fortiſſimi, & quales ijdem etiam peremerunt. Nullum enim utrique ita breue telum habebant, quod nõ ad aduerſarios poſſet pertingere. Mox ſuorum quidem cadauera ſuſtulerunt, ex hoſtibus uerò quædam ad ſepulturam poſtulata tradidere. Epaminundas porrò cùm ſibi poſt paucos dies abeundum propter exactum iam militiæ tempus cogitaret: eos uerò quibus fortunæ bellicæ ſocius acceſſerat, obſidionem ab hoſte ueritus, ægrè deſereret: ſe deniq; ad extrema prorſus redactũ arbitraretur: quippe

Thebani uenũt ad Mantineam.

pe tanto cum exercitu tamq; instructo à paucis Spartæ uictus: neque minus etiam equestri prælio ad Mantineã inferior: & quia autor fuerat ob expeditionem in Peloponnesum, ut Lacedæmonij, Arcades, Achæi, Elij, et Athenienses coniunctis inter se uiribus uterentur, discedere absque pugna omnino sibi fore impossibile existimauit, ita secum reputans, si uinceret, ista omnia se facilè resoluturum: sin uerò cadere se contingeret, pulchra sanè morte occubiturum, patriæ uidelicet relinquere imperiũ Peloponnesi conatum. Neque uerò talia ipsum uersasse animo uehementer admirandum puto: siquidem tales esse uirorum, sublimibus tantùm rebus gloriam aucupantium, consultationes solent. At parasse ita exercitum, ut neque laboribus quicquam siue noctu siue interdiu defatigaretur, periculúmue exhorresceret: & quanquam rerum necessariarum penuria laborarent, morem tamen duci gerere omnes uellent, ea uerò longè magis admiranda mihi esse uidentur. Nam cùm postremò accingi omnes uelut instante iam pugna edixisset, summa cum alacritate galeas quidem iubente illo extergebant equites: nomina uerò dabant etiam Arcadum quidam grauis armaturæ milites, clauas gestantes quasi Thebani essent: omnes uerò exacuebant & hastas & gladios, clypeisq; splendorem inducebant. Quos ubi hoc pacto expeditos abduxit, scire operæprecium est quæ deinceps peregerit. Primùm enim quemadmodum par erat in ordines disposuit: quo facto ad conflictum eos ita parari iussos, declarare omnino uidebatur. Instructa igitur iam ut uolebat acie, contractam magis partem non aduersum hostes, sed ad occasum respicientes Tegeæ montes, & ulteriorem inde regionem

abduxit, ut ipsis etiam hostibus minimè pugnaturus eo quidem die uideretur. Nam cùm ad montana accessisset, ac phalangẽ sibi iam parasset, à peditibus arma poni curauit, ut castrametandi tantùm speciem præberet: quo facto, plerorũque sanè hostium non solùm quem animo iam conceperant ad pugnam, sed & quo ordines instruxerant, apparatum soluit. Postquàm uerò adductis in conspectum quæ opportunè accesserant cohortibus, firmum penes se præsidium reddidit, capere tum arma iubens præiuit, atque hi quidem sequebantur: quos cùm appropere rare præter expectationem hostes uiderent, relicta omni cessatione hi quidem currebant ad ordines, hi uerò exercitu sese instruebant: ac rursum alij frenabant equos, alij thoracibus induebantur, omnesq; adeò lædendi magis quàm læsuri uidebãtur. Ipse uerò acie uelut triremi infesta ad hostem admouit, existimãs se quacunque inuadendo perrumperet, uniuersam hostiũ uim pessundaturum: siquidẽ firmissima aciei parte ad conflictũ dispositã, imbecillimã longius collocauerat: quam fortè uictam, suis desperationẽ, hostib. uerò fiduciam pariturã haud ignorabat. Verùm hostes ipsi quoque in longum, sic ut armatorum phalanx solet, equitatum instruxerunt, peditibus nullis intermixtis. Cæterùm Epaminundas equitatus præsidiũ quoque ualidum reddebat, equóque carentes pedites adiungebat, ita se uniuersi hostium exercitus penetrando uictorem euasurum putans: difficillimè enim perduraturos ullos, postquàm fugere ex suis aliquos cernerent. Ne uerò suppetias insuper eis afferent Athenienses, à sinistro cornu in proximum, aliquot illis in collibus quibusdam equites peditésque armatos obiecit, quò horrorem ipsis quoque

que incuteret, tanquam si opem ferrent, illos à tergo sibi irruituros. Atque hoc sanè pacto congressus, spe sua minimè frustratus est: qua enim parte irruperat superior factus, uniuersam hostium uim in fugam conuertit. Ipse uerò ubi cecidit, qui supererant, neque uictoria rectè uti amplius potuerunt, quanquam tergũ uertente iam etiam quæ opposita ipsis fuerat phalange, nec armati quenquã trucidarunt, ac ne loco quidem ubi congressum est excesserunt: nec equites, cùm obiecti sibi equites fugerent, instando quenquam uel equitem uel peditem sustulerunt, sed tanquam uicti per hostium fugientium medium trepidè elapsi sunt. At qui equis carebant, & sagittarij cum equitibus sentientes, ad sinistrum sese cornu contulerunt, tanquam rerum iam potiti: ubi tamen ab Athenienſibus plerique occisi sunt. His ita gestis, contrà accidit quàm uniuersi homines putarant fore. Cùm enim conuenissent uniuersa ferè Græcia, atq; inuicẽ alij sese alijs obiecissent, nemo non futurum putabat, si ad manus esset uentum, ut qui superiores euasissent, imperio potirentur, uicti autem sese iugo submitterent. Verùm ita Deus disposuit, ut utrique tanquam uictores trophæum statuerent, neq; statuentibus alteri alteri obstarent. mortuos autem utrique ceu uictores ad sepulturam postulatos concesserunt, utrique uerò etiam uelut uicti receperunt: & cùm utrique uicisse se dicerent, neutri tamen potiti esse uel regione, uel urbe, uel imperio, siue ulla re alia aucti magis quàm ante pugnã commissam uidebantur. Confusione uerò atque tumultu longè amplius post pugnã quàm antea per totã Græciam laboratũ est. Atq; hæc quidẽ hactenus mihi descripta sunto: quæ uerò deinceps gesta sunt, alij forsitan curæ erunt.

FINIS.

Xenophontis uita ex Raph. Volaterrano.

XENOPHON Grylli filius Athenienſis, Socratis diſcipulus, ob eloquentiam Muſa Attica uocatus, equorum, uenationis, & rei familiaris in primis ſtudioſiſsimus fuit, ut ex eius literis deprehendi poteſt. Venit in amicitiam Cyri Minoris, cum quo militauit, ac eius pediam ſcripſit, non tam hiſtoriæ ſeruiens ueritati, quàm ut perfectum inſtitueret ducem, ut Cicero in II. de Oratore teſtatur, quã ſe frequenter lectitaſſe & manibus triuiſſe alibi in epiſtola quadam dicit. Præterea ſcripſit Sympoſium & Oeconomicum, paruum admodum libellum, à Cicerone conuerſum, ſi credimus Columellæ ac diuo Hieronymo, qui ſi extaret, labori meo iterum uertendi conſuluiſſet. Edidit & hiſtoriam Peloponneſiaci belli, ac eorum quæ Athenienſes poſt Thucydidem geſſerunt, quam Paralipomena appellauit, alioſq; tractatus qui adhuc extãt. Quintilianus Xenophontis iucunditatem inaffectatam dixit, quam nulla adfectatio conſequi poſsit. Primus hic philoſophorum hiſtoriã ſcribere cœpit. Cum Platone ſimultates geſsit, ut author eſt Gellius, qui ait libros inter ſe carpſiſſe. Nam et Plato in libris ſuis teſtatur Cyrum uirũ fuiſſe quidem gnauum & ſtrenuum, παιδάρια δὲ εὖν ὀρθῶς ἔφη τὸ παράπαν, id eſt, non rectam tamen omnino diſciplinam agnouiſſe. Contrà uero Xenophon in libris quos dictorum et factorum Socratis compoſuit, negat Socratem de cœli atque naturæ cauſis unquam diſputaſſe. Idcirco mentiri eos qui diſſertationes huiuſmodi Socrati tribuant.